Digitized by Google



Digitized by Google

BENEDICTA SIT SANCTA TRINITAS.

PROLOGOMENA

IN SCRIPTVRAM SACRAM.

V B I,

PEROPPORTVNA OBLATA OCCASIONE, PROPOSITIONES 26. 27. ET 28. CIRCA RESTRICTIONES mentales à SS. D. N. Innocentio XI. damnatæ, salvo semper Apostolicæ Sedis iudicio: debitaque cum reverentia eiusdem exponuntur.

DVO THEOLOGIÆ MORALIS PRINCIPES, ET AMBO iure summo Venerabiles ob insignes, & heroicas suas virtutes, N. P. Fr. Leander à SS. Sacramento, & P. Thomas Sanchez à quorumdam Recentiorum calumnia vindicantur.

ET INFALLIBILITAS SVMMI PONTIFICIS IN definiendo ex Cathedra seorsim, & independenter à Concilio Generali, & Ecclesiæ consensu accedente, adversus Illustrissimum Clerum Gallicanum, & Gallicanæ Ecclesiæ libertatum vindices defensatur,

AVCTORE

P. Fr. IOANNE A S. THOMA, NAVARRO; OPPIDI de Sarasa: Ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis, Redemptionis Captiuorum: in Salmanticensi suo Collegio Sacræ Theologiæ Primario Lectore, atque Ministro: & in Regia Curia semel, & iterum Procuratore Generali.

SVPERIORVM PERMISSV.

SALMANTICÆ:
Apud Viduam Lucæ Perez. Typ. Vniv. Anno Dñi 1692.

CARMELITES DESCALÇOS DE CATALUNYA
DIPOSIT BIBLIOTECA PUBLICA EPISCOPAL DE BARCELONA
Digitized by Google
R. 71.700

Digitized by Google

ILLMO AC NOBILMO

D·D·BALTHASARI

HVRTADO DE MENDOZA ET SANDOVAL,

EXCELLENTISSIMORVM COMITVM
DE ORGAZ FILIO DIGNISSIMO:
IN REGIO, ET SVPREMO ORDINVM
SENATV CONSILIARIO MERITISSIMO,
CALATRAVENSIS MILITIÆ EQVITI
PRÆCLARISSIMO:
OLIM IN SALMANTICENSI VETERI
COLLEGIO COLLEGÆ MAIORI.

AVDAX Sine dubio videbor, Illustrissime Domine, quod levidensi hoc munusculo te adeundum existimaverim. Nec ideo desistam, aut proram alio avertã. Præstat namque audaciæ damnari, quàm ingrati animi nota affici. Compulit me in obsequium istud, præter egregias animi tui dotes, tenera, ac suavis memoria ingentium beneficiorum, quibus veluti multis nominibus, & syntagraphis me debitorẽ iam pridem consignasti. Quantum tibi amoris, confidentiæ, honoris, bonæ existimationis semper debuerim: testes sunt locupletissimi quot* illustrissimam vestram Dominationẽ, & me norunt in hac vbique terrarum celeberrima Salmãticensi Academia: in Granatensi Cancellaria: & in Curia Regia.

* quot

Fere viginti ab hinc retrò annis, cum esses alumnus, & sodalis huius tui insignis Veteris, & maioris Collegij D. Bartholomæo sacri, hominem eousque ignotum: nullis dotibus præditum: Spiritualis vitæ ducem, ac directorẽ, perinde ac si ego nomine, aut munere isto dignus forem, elegisti. Ex tunc me admisisti inter illos, quibus secretiora, & penitiora cordis, & conscientiæ committi solent. Sapien-

¶ 2 tissi-

Digitized by Google

tissimis colloquijs tuis adeò frequenter me dignatus es: vt licèt omnium clientum tuorum minimum præ cæteris lõge amplioris consuetudinis licentia, & singularissimo familiaritatis exemplo, & vnicitatis decore, forsitam rarissimè, vel nusquam viso, cumulaveris: haud sine magna omnium admiratione: & maxima mea confusione. Assistentiam, & operam meam semper, & vbique desideratissime ad tuum contubernium asciviſti.

Quæ omnia sunt incitamenta valdè efficacia huius mei officij, & obsequij: vt hos qualescumque primogenitos ingenioli mei fructus, aut primitias Dominationi vestræ multiplici titulo debitos, tibi consecrarem.

Sed compulit me etiam illa virtutum tuarum dignitas, & splendor eximius. Est quæstio celeberrima, acri partium concertatione exagitata: vtra nobilitas sit excellentior, honoratior, magisque expetenda: num quæ hæreditario habetur iure: an potius, quæ proprio acquiritur labore? Vtraque in te, Illustrissime Princeps, de prælatione gratiosè contendit.

Hæreditario iure nobilissimus es. Splendidissima domus tua de Orgaz vniversæ Hispaniæ Astrum primæ magnitudinis semper extitit. Idem tibi, Ascendentibusque tuis oriens, atque Hispaniæ Regibus, & Principibus. Quid omnes Progenitores tuos commemorem? Primos, & novissimos referam: intermedios his, & illis æquales, brevitatis causa, silentio prætermittam. Parentes, Avi, Atavique tui rectam virilem ducunt originem ab Athanagildo, Gothorum Rege, qui Toleti florere cœpit anno 530. Duodecim circiter sæcula tanti splendoris, & Regij sanguinis in domo tua de Orgaz hodie numerantur. Quot Reges ab eadem illustrissima domo, & familia tua Generos acceperunt: Nurus elegerunt? Sufficiat dicere: vix aliquid magnum in his Hispaniæ Regionibus reperiri, quod ex tua illustrissima domo ortum non ducat, immò deducat, vsque ad ipsa Regum diademata, & auro flammantia solia, & cum Clarissimi generis tui nobilitate illigatum non sit. Hæc de primis tuis Ascendentibus indigitasse sufficiat: quibus nihil maius, excellentiusve excogitari posse videtur.

Comes de Mora D. Petrus de Roxas in discurso origin Toletorum, cap 1. §. 2. & 3. Silva in Genealog. Regal. Hispan. n. 13.

Novissimos inspiciamus. Pater tuus, Illustrissime Princeps, fuit Excellentissimus D. D. Balthasar de Mendoza (nos

Digitized by Google

(nonus Comes de Orgaz) Genitrix tua fuit Excellentissima D.D. Maria Gomez de Sandoval & Roxas, filia Excellentissimi D. Comitis de Saldaña, D. Didaci Gomez de Sandoval, & Soror D. D. Roderici Diaz de Vivar & Mendoza, Ducis del Infantado, & Didaci Gomez de Sandoval, Ducis de Lerma. *Comes de Mora, & Silva vbi supra.*

Rogo nunc, Illustriss. Princeps, quæ familia in Universa Hispania, aut Regio sanguine illustrior, & antiquior: aut magnitudine glorioſior, quã vestra? Quæ domus magis Regia, aut illustrium Procerum fœcundior? In ipsa proculdubio tot primæ magnitudinis, nobilitatis, & virtutis resplenduerunt lumina, quot in cœlo, sidera: tot fulmina belli, quot in Sole radij. Et si ego aggrederer illustrissimæ domus tuæ titulos: in Reges obsequia: horum beneficia recensere: Principes viros bellica laude conspicuos: scientia, & virtute eximios commemorare: traducerer: haud secus, ac si numerare intenderem Lybyci litoris arenas: cœlorum Stellas: Oceani guttas.

Grandia, & glorioſa sunt hæc. Maiora canamus. Ex tua illustrissima familia, & quod plus est, in ipsa domo tua orti fuerunt Sanctissimi Archipræsules Toletani, Eugenius Tertius: & Ildephonsus, qui ob singularem vitæ integritatem, susceptamque defensionem adversus hæreticos Deigenitricis Virginitatem impugnantes, ab eadem candidissima veste donatus est. Et D. Gundisalvus Ruiz de Toledo, decimus tertius Avus tuus, ab infantia cognomento *Sancti*, ob eximias suas virtutes, & devotionẽ erga Deum, & Sanctos omnes, præcipuè Stephanum Protomartyrem, & Augustinum Ecclesiæ Doctorem (quos mirifice coluit) ab his singulatissimè honoratus est. Eo enim mortuo, cum corpus ipsius Toleti in Ecclesia Parochiali Sancti Thomæ Apostoli de more Christiano sepeliendum esset: Sanctus Stephanus Leviticis indutus vestimentis: & S. Augustinus Pontificalibus vestitus ornamentis visibiliter de cœlo delapsi, corpus Gundisalvi è feretro proprijs manibus attollentes: ad circunstantes conversi: sensibili voce dixerunt: *Tal galardon recibe quien a Dios, y a sus Santos sirve*: & illud in sepulchro posuerunt. Quod portentum haud exiguum est Avi tui beatitudinis, & gloriæ testimonium. Enimvero hæc omnia non tam tua, quàm tuorum sunt. Ad propria descendamus. *Comes de Mora, & Silva vbi supra.*

Sin-

Digitized by Google

Singulare naturæ privilegium est, nasci morigeratum, virtuosum, & iustum. Quæ excellentia, Illustrissime Princeps tua esse videtur. Innatam pene habes virtutem, modestiam, iustitiam. Tecum natæ videntur cunctæ virtutes, tecum creverunt: cum hoc tamen discrimine: quod in te adhuc infante, erant robustæ: in iuvene, sunt senes, & maturæ. Prius te novimus in hac Salmanticensi Academia adolescentem, quàm puerum: ante virum, quàm iuvenem: & ipso vernantis flore, maturum te experti sumus senem.

Vix quintum decimum expleveras ætatis annum, cum te totum spiritualibus exercitijs, Religiosorum proprijs, & optimarum artium mancipasti studijs: quasi ad sola cœlestia, & æterna aspirares: & de vnico litterarum pulvere famam, aut victum deducturus fores. Brevissimo temporis spatio eam virtutis, & sapientiæ famam tibi comparasti, vt non tam nobilitatis, quam sapientiæ, & virtutis merito fueris coaptatus in veteri, & maiori Salmantino Collegio. In quo scientiarum Emporio, virtutum omnium seminario inter reliquos Concollegas tuos adeò singulari morum, & doctrinæ splendore radiasti: vt non ita post: adhuc ætate iuvenis: iudicij maturitate senex: Granatensis Cancellariæ electus fueris Consiliarius dignissimus. Vbi munus istud vix per quatuor integros menses exercuisti: quando ad Regium Ordinum Senatum summa omnium gratulatione promotus fuisti. Nec mirum. Ea enim animi integritate rem omnem tam privatam, quam publicam semper, & vbique gessisti: vt cunctis humanis affectionibus, aut in tactus, aut maior videaris. Tanta benignitate ius dicis: vt ab his ipsis sincerè, & tenerè diligaris, qui te iudice, causa cadunt.

Quid hic commemorem præclaram illam, ac verè Regiam, infulis omnibus, Purpura, & Regali diademate dignam indolem: singularem humanitatem: vitam sublimem, verum animo humilem, & modestissimam? Ad miserationem propensissimus es: sermone iucundus: moribus iucundior: aspectu Angelus: animo, & virtutibus magis Angelicus. Te, tuamque familiam ea prudentia, & industria gubernas: vt domus tua, ad instar Monasterij Discalceatorum Religiosorum ad morum sanctitatem, pietatem, modestiam, & quævis spiritualia exercitia optimè ordinata videatur.

Mul-

Digitized by Google

Multa alia virtutum tuarum possem recenlere ornamenta & specimina. Sed prohibeor à tua modestia. Et hęc paucula, te invito, absque dubio pronuntiavi. Potissima quippè tua laus est, laudari nolle. cum te in tantum laudabilem effeceris, in quantum te dignè nemo laudare poterit.

Perge igitur Illustrissime Princeps, æmulare meliora charismata: Ildephonsos, Eugenios, Gundisalvos: vt Toletanæ stirpis tuæ sis novum Augustissimum decus: Orgacensis domus iubar splendidissimum, immortaleque ornamẽtum, & post longævam canitiem, & cumulatissima merita in Ecclesiam, & Rempublicam, æterna, & nunquam peritura consequaris præmia. Ex hoc nostro Salmanticensi Collegio Ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum. Die 4. Februarij, anno 1692.

Illustrissimæ Domin. tuæ humilis
cliens, ac servus.

Fr. Ioannes à S. Thoma.

Digitized by Google

LICENTIA ORDINIS.

BENEDICTA SIT SANCTA TRINITAS.

FR. Petrus de Sancto Michaele, Maior, ac Generalis Minister Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum; tenore præsentium (de consensu Nostri Definitorij Generalis) facultatem facimus P. Fr. Ioanni à S. Thoma dicti nostri Ordinis Religioso, Sacræ Theologiæ professori, vt obtenta Illustrissimi Ordinarij licentia, cæteris que necessarijs, typis mandare valeat librum à se elaboratum, cui titulus *Prologomena in Scripturam Sacram*. Quatenus ex commissione dicti Nostri Deffinitorij recognitus, & approbatus est à gravibus, & doctis Ordinis nostri Religiosis. Dat. in hoc nostro Matritēsi Conventu, manu nostra, ac Secretarij nostri chyrographo subscriptis, sigillique Nostri Definitorij munitis. Die 11. Iulij, anno Domini 1691.

Fr. Petrus à S. Michaele.
Minister Generalis.

Mandato P. N. Ministri Generalis
Fr. Ioannes a Iesu Maria.
Secretarius.

CENSVRA SAPIENTISSIMI D. D. D. PETRI DE Lastres y Aguilar: quondã in Almæ Salmantinæ Vniuersitatis Maiori Diui Iacobi Cebedæi Collegio (vulgo de Cuenca) Collegæ: in Granatensi Metropolitana Ecclesia Magistralis Canonici: in huius Vniuersitate Sacræ Theologiæ Antecessoris Primarij: eius studiorum Visitatoris: in eodem Granatensi Archiepiscopatu Iudicis, & Examinatoris Synodalis: atque Abbatis (vulgò de Sancta Fè) Nobilissimis itidem Monialibus Regalis Monasterij Incarnationis Matritensis à Confessionibus.

DOminus Doctor D. Ildephonsus de Portillo, dignitas Ecclesiæ Talabrigensis, & Vicarius Generalis Matriti mihi iniunxit perlegere *Prologomena in Sacram Scripturam* maximo stu-

Digitized by Google

studio elaborata, & maturo delectu compacta à RR. P.Fr. Ioanne à Sancto Thoma, Ministro meritissimo in Collegio Salmanticensi Sanctissimæ Trinitatis austerioris observantiæ, & multis ab hinc annis emerito Magistro; & ea aviditate arripui lustrare, eo gaudio percurrere, vt nimis brevia, & succinta, etiamsi omnibus numeris absoluta auctumarim. Vel melius dicã, quod de Divo Petro, Ioanne, & Iacobo Doctor Maximus Scripturarum nobis iudicium reliquit epist. 130. Breves simul, & longos: breves in verbis, longos in sententijs. Liber enim vitæ, quem Ioannes vidit Apocalyps. 20. cap. vnus erat, libri vero, qui erroribus peccatorum scatebant, iuxta quos pœnæ infligebantur, erant multi: *Et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris.* Quod enim optimum vnum, aut aliud: quæ vero inculta, defectuosaque passim inveniuntur. Optimus iste liber vnus, & brevis quodammodo vitæ nuncupari potest: intellectum enim instruit, rationem adiuvat, memoriam alit, prudentiam præmunit, voluntatem allicit ad carpendos maturo delectu vberrimos, & salutares fructus ligni vitæ, quod in sacræ Scripturæ iugiter horto vernante consitum est: huius enim folia nunquam excidunt, huius rami semper virent, huius fructus nunquam incocti. Vnus itaque iste liber est, sed instar ingentis bibliothecæ merito videri potest; quod de quolibet Plinij opere politissimus Muretus dixit. Vnde ad censuram deveniens, iudico, hoc opus in lucem edi posse, vtpote quod illibata doctrina constans, maximam sacrarum litterum studiosis afferet vtilitatem: in eo enim gravi iudicio vnita deprehenduntur, quæ in optimæ notæ Scriptoribus, & non cuique obvijs, difficile est invenire. Ita censeo Matriti die 15. Augusti anno Domini 1691.

Doct. D. Petrus de Lastres & Aguilar.

FACVLTAS VICARII GENERALIS Matritensis.

VISA superiori approbatione, facultatem facimus P. Fr. Ioanni à Sancto Thoma Trinitario Discalceato, &c. vt opus inscriptum *Prologomena in Scripturam Sacram*, in lucem edere queat. Matriti die 22. Augusti anno 1691.

Licent. D. Ildephonsus Portillo, & Cardos.

Digitized by Google

APPRO-

APPROBATIO RR: AC DOCTISSIMI P. M. Fr. MARcellini Fernandez de Quiros, Ordinis Beatissimæ Virginis de Monte Carmeli, Sacræ Theologiæ Doctoris Salmantini, in eaque Vniversitate Philosophiæ Professoris publici: Toletani Archiepiscopatus Examinatoris Synodalis, suæ Castellanæ Provinciæ primi Exdiffinitoris, atque olim Conventus Toletani Prioris.

EX Regij, atque Supremi Castellæ Senatus iussu, hocce titulo: *Prologomena in Sacram Scripturam*: Auctore RR. P. Fr. Ioanne à Sancto Thoma, Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorũ; librum cum perviderim; & in eo, quæ paucis multa sunt; fuerim compertus; mox quod & ipse, liber; quodque tanto Auctore nominetur, & opus; dignum iam, existimo; idque vel arbitrio non fuisse: opus est, revera, liber sane liber; qui verò? qui? si Magistri, si Artificis apud primæ Philosophiæ Primates, apud Catholicæ Curiæ Magnates ita internotissimi sit, quod vix vllum neque tanti operis præ tantiæ in admirationem ciere, sinat ille. Verumenimvero haud mirari cum possum, huius quod admirationem superat? Vtiliora, videlicet in eo, gravis inveniri; ipsa, quæ artis acutiora: mirum equidem in modum Auctor graciliter, graviter sua quæque significata colligit, litterarum avidis, satis ipsa offundens; spargens satis; quod placidè, & vtilitèr à cunctis excipiantur. Observatione quoque dignam; quod vbi, quasi proœmiari tantum, epigraphe pollicetur, ibi æquè, aptissimeque id præstetur; non solum; verum & narrate apertè, ornare excelsè, pugnare blandè, docere acriter, oblectare fortiter, delicere suaviter; & quod prologia demum, quæ velut comæ lascivunt, velut flores erumpunt, vti gemmæ turgent, iam ipsa vti sapiétiæ fructus matureſcant; consummatique officij in scribendo ita effectum; quod, in quasi præmissis, tum eloquentiæ lepore, tum Scholastica, rigidaque severitate insigniter perfectum inveniamus opus; vbi dum dives est causa dicendi, ditior adhuc suppetit vena fœcunda, atque facunda Scriptoris. Sacra igitur eruditione adeò refertissima, doctrina sana, severiori disciplina, quod à nostra Orthodoxa fide, vel candidis moribus, vel in iota dissentiant: in nulloque obliniri digna; sacra hæc Prologomena cum putarim, quodque propterea modulis dignissima sentiam. In hoc Carmelitarum Matritensi Conventu subscripsi die 14. Septembris, anno 1691.

M. Fr. Marcellinus Fernandez de Quiros.

FACVLTAS REGII CASTELLÆ SENATVS.

VISA superiore approbatione Regius Castellæ Senatus permisit P. Fr. Ioanni à Sancto Thoma Trinitario Discalceato, vt opus inscriptũ *Prologomena in Scripturam Sacram* typis committeret, vt latius patet ex authographo Privilegio expedito die 23. Septembris, anno 1691. apud D. Emmanuelem Negrete de Angulo, Regiæ Cameræ Secretarium.

PRO-

Digitized by Google

PROLOGVS AD LECTOREM.

SAcrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus (candide Lector) pijs Summorum Pontificum, & probatorum Conciliorum constitutionibus inhærens, easque amplectens, & illis adijciens, ne Cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat, statuit, & decrevit, quod necdum in Ecclesijs Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis, verumetiam Monasterijs, & Conventibus Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, sacræ Scripturæ lectio habeatur, quæ Scripturæ lectio, expositio, & interpretatio à Capitulis Generalibus, vel Provincialibus assignetur dignioribus Magistris, seu idoneis Lectoribus. Quia eadem Tridentina Synodus lectionem huiusmodi cæterarum omnium maximè necessariam iudicavit ad Catholicæ fidei defensionem, & incrementum, sanæque doctrinæ conservationem, & propagationem. (A)

(A) *Trid Sess. 5. in decreto de reform. c. 1.*

Quoniam verò Christianæ Reipublicæ non minus necessaria est prædicatio Evangelij, quam lectio: & hoc est præcipuum munus Episcoporum, Archiepiscoporum, Primatum, Prælatorum, & quorumcumque Regularium, præsertim Mendicantium, statuit, & decrevit eadem Tridentina Synodus, omnes prædictos teneri per seipsos, si legitimè impediti non fuerint: vel per idoneos viros, si legitimo detineantur impedimento, ad prædicandum Sanctum Iesu Christi Evangelium: ad pascendas oves sibi commissas salutaribus verbis: docendo eas, quæ scire omnibus necessarium est ad salutē: annuntiandoque illis cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari, oporteat: vt æternam pœnam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. (B)

(B) *Trid Sess. 5. in decreto de reform. c. 2.*

Duplici huic Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi saluberrimo decreto Noster Sacer, & Cœlestis Ordo Discalceatorū SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum humiliter, vti par est, semper obediens diligentissimè providit, vt præter communes Philosophiæ, & Theologiæ Scholasticæ, & Moralis lectiones, alia expositivæ, seu Scripturæ sacræ inter nos haberetur, in qua Nostri Scholares eamdē Scripturam sacram, huius versiones, idiomata, phrases, sensus litterales, & spirituales, figuras, tropos, & alia id genus addiscerent: antequam Evangelici Oratoris munus exercere inciperent, suggestumve ad concionandum ascenderent. Et quidem iustissimè. (C)

(C) *Constitut. nost c. 38. §. 3. n. 1. & §. 6 n. 1.*

Digitized by Google

Per hanc enim viam innúmeris, & exitialibus occurritur malis, quæ ævo noſtro iure ſummo deploramus, & iam pridem haud ſine magna bili reprehendebat Sanctus Hieronymus ad hæc verba: (D) Sola Scripturarum ars eſt, quam ſibi paſsim omnes vindicant. Scribimus indocti, doctique poëmata paſsim. Hanc garrula anus: hanc delirus ſenex: hanc ſophiſta verboſus: hanc vniverſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant. Alij, adducto ſupercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de ſacris litteris philoſophantur. Alij diſcunt, pro pudor! à fœminis, quod viros doceant, & ne parum hoc ſit, quadam facilitate verborum, immò audacia ediſſerunt alijs, quod ipſi non intelligunt. Taceo de meiſimilibus, qui ſi fortè ad Scripturas ſanctas poſt ſæculares litteras venerint, & ſermone compoſito aures populi mulſerint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint; ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia: quaſi grande ſit, & non vitioſiſsimum docendi genus, depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam Scripturam trahere repugnantem ::: Puerilia ſunt hæc, & circulatorum ludo ſimilia, docere quod ignores: immò, vt cum ſtomacho loquar, ne hoc quidē ſcire, quod neſcias. Hactenus Hieronymus in exponendis Scripturis Doctor Maximus. Et quidem veriſsimè, atque rectiſsimè. Quia plurimi docent, vt Magiſtri, quæ nunquam didicerunt vt diſcipuli.

(D) *Hierony. in prolog. galeat. n. 6.*

(E) *D. Thom. 1. p. q. & art. 1. Ariſt. lib. 1. de cœlo, text. 33. N. P. Emmanuel à Cœceptione in ſuo Curſ. Philoſ. Trin. tom. 1. n. 248. 1203. & 1207. Cano de locis lib. 10. c. 5. Bald. 1 ff. de orig. iuris.*

Demonſtrationum, & ſcientiarum principia ſemper ſunt prænoſcenda. Ignoratis principijs, ignorantur principiata. Sine Logica aliæ ſcientiæ non acquiruntur. Veritates ipſæ naturales ſine doctrina ſacra divinitus revelata à paucis, per longum tempus, & non niſi cum admixtione plurium errorum obtinentur. Proles ſine matre: ſegetes abſque ſemine: rivulus ſine fonte: domus ſine fundamento: concluſio ſine præmiſsis: finis ſine medijs fruſtra ſperatur. Quam ſimiliter legitima Scripturæ ſacræ interpretatio, & ſaluberrima Verbi Dei prædicatio, quas Tridentina Synodus, & Noſtra Sacra Religio in ſuis ſanctiſsimis legibus intendunt, fruſtra à Noſtratibus expectabuntur, niſi Prolegomena iſta, ſeu Prologomena in Scripturam ſacram præiaciantur. Vt ſancta illa intentio ſuum ſortiatur effectum: Fratres Noſtri (in quorum potiſsimum gratiā laborem iſtum, & provinciam ſuſcepimus) quæ in hoc opuſculo tradimus, prædiſcere ſtudeant. Sunt enim principia, fundamenta, & media, quibus obtinetur ille duplex finis. Et parvus error in principio, maximus eſſe ſolet in fine. (E)

Scriptura ſacra plena eſt reſtrictionibus mentalibus. Et inter alias

Digitized by Google

alias vias ad explorandum legitimum Scripturæ sacræ sensum auctoritas, & infallibilitas Summi Pontificis extra, & supra quælibet Concilia Generalia in definiendis rebus fidei, & morum, haud infimum tenet locum. Peropportunam ergo nacti occasionē à num. 718. vsque ad 905. de restrictionibus mentalibus agemus: & exponemus propositiones 26. 27. & 28. à Sanctissimo Domino nostro Innocentio XI. damnatas, Recentiorum expositiones examinabimus: & nostrum P. Fr. Leandrum à Sanctissimo Sacramento, Theologiæ Moralis in hoc nostro sæculo facile Principem, & Sapientissimum M. P. Thomam Sanchez ab eorumdem Recentiorum calumnia vindicabimus. De summa autem, & maxima Summi Pontificis auctoritate, & infallibilitate adversus Illustrissimi Cleri Gallicani declarationem à num. 1201. agemus. Licet enim Eminentissimus D. D. Iosephus de Aguirre Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & immortale decus huius Illustrissimæ Salmanticensis Academiæ, Auctor tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, & alij messores validissimi, non minus strenue, quam feliciter in hac materia laboraverint, quorum laborem, & eruditionem semper venerabimur. Nihilominus spicas aliquas, quæ ipsorum fugerunt manus, cum paupercula (sancta tamen, & discreta) Ruth colligere tentabimus. Et plurimum expedit, Summi Pontificis auctoritatem ad sanguinis vsque effusionem ab omnibus defendi.

Dicent tamen aliqui laborem hunc nostrum supervacaneum, irritumque fore. Quid enim proprio Marte, proprijsque dabimus præsidijs, & auspicijs, qui comparatione tantorum Gigantum, qui nos præcesserunt, Pigmæi sumus? Actum ne agemus? Cussa recudemus? Alienorum puri Compilatores, aut Consarcinatores erimus? Ijsdem verbis per eamdem lineam reciprocabimus serram? Videtur, quod sic.

Sed objectiuncula ista perantiqua est, antiquata iam, & à cunctis Scriptoribus, si primos excipias, contempta. Pro omnibus respondet Magnus Parens Augustinus dicens: (F) *Vtile est, plures libros à pluribus diuerso stylo, etiam de eisdem quæstionibus fieri, vt ad plurimos res ipsa perveniat: ad alios quidem sic: ad alios vero sic.* Magni ergo Parentis Augustini Auctoritate innixi, quidquid in prioribus optimum, & præstantissimum invenimus, selegimus, confirmavimus, & recenti aliqua luce donare studuimus. Graviores, & magis principales quæstiones Scholastico stylo, rationes dubitandi pro vtraque parte in medium proferentes, discutiemus. Prælectoribus, atque Scholaribus Nostris sufficien-

(F) *Augustin. tom. 3. lib. 1. de Trin. c. 3.*

Digitized by Google

cientem ministrabimus materiam disputandi, tam in quotidianis vnius horæ conferentijs, quàm in Dominicalibus trium horarum conclusionibus. Vbi & candidati difficilem subeuntes aleam sortitiarum prælectionum ad promerendas Præbendas, vel Cathedras Scripturæ sacræ, vt suo muneri satisfaciant, invenient quidquid desiderare possunt. In reliquis quæstionibus ita brevitati consuluimus, vt nihil scitu dignum, & à Doctoribus in hac materia scriptũ, penitus intactum prætermiserimus. Et omnia sub eodem stylo persequi, fuisset operis infiniti, & longe alienum à scopo nostri instituti. Hæc est ergo responsio Magni Parentis Augustini, & nostra ad invidorum calumniam.

(G) *Hieron. in ep. 50. seu Apolog. ad Pammac. cap. 8.* Quod si adhuc obtrectatores in suo persistant errore, & dicant, tibaria nostra illorum palato non placere: animas suas super isto cibo levissimo nauseare, sciant certissimè, se nihil aliud à nobis audituros, quàm illud, quod Hieronymus contra huiusmodi iustissimè stomachatus aiebat: *Aut profer meliores epulas, & me conviva vtere, aut qualicumque nostra cœnula contentus esto.* Aut illud Martialis: *Carpere, vel noli nostra, vel ede tua.* Nec nos plura. (G) Vale.

Martial. lib. 1. ep. 92.

IN-

Digitized by Google

INDEX DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM, QVÆ IN HIS PROLOGOMENIS CONTINENTVR.

Omnes numeri sunt marginales.

DISPVTATIO I.

De nomine, existentia, & essentia Scripturæ sacræ, num. 2.

QVÆSTIO I. *De nomine isto:* Scriptura sacra. 3.

Quæst. 2. *An sit Scriptura sacra?* 12.

Quæst. 3. *Quid sit Scriptura sacra?* 15.

Quæst. 4. *De causa materiali, formali, & finali Scripturæ sacræ.* 17.

Quæst. 5. *De causa efficienti Scripturæ sacræ.* 20.

Quæst. 6. *An Deus se solo immediatè, & sine vllo Angelorum, vel hominum ministerio aliquid scripserit?* 24.

§. Vnic. *Contraria soluuntur argumenta.* 31.

Quæst 7. *An Christus D. doctrinam suam immediatè scriptã tradiderit?* 52.

Quæst 8. *An Maria Sanctissima immediatè per se ipsam scripserit aliquam partem Scripturæ sacræ?* 66.

Quæst. 9. *Qui fuerint Scriptores Canonici, per quos Deus Scripturam sacram scripserit?* 70.

Quæst. 10. *Quomodo Deus Scripturas sacras per homines scripserit?* 74.

Quæst. 11. *An Scriptores sacri libere scripserint?* 86.

Quæst. 12. *An Spiritus Sanctus sacris Scriptoribus singula dicta verit verba?* 110.

§. Vnic. *Contraria soluuntur argumenta.* 123.

Quæst. 13. *An Scriptores sacri evidenter cognoverint se nec fallere, nec falli posse?* 156.

Q. 14. *An extra Scripturã sacrã probari possit, Deum esse principalem efficientem eiusdem Scripturæ sacræ causam?* 159.

Quæst. 15. *An, vt Scriptura aliqua sit Canonica, sufficiat, quod humano spiritu vere, ac sincere scripta sit, & postea Deus testificetur, eam esse verã?* 173.

Quæst. 16. *Quinam sint libri sacri, & Canonici?* 181.

Quæst. 17. *Quæ sit infallibilis regula ad dignoscendum quinam liber sit Canonicus?* 184.

Quæst. 18. *Error Libertinorũ, sive Atheorum circa libros Canonicos breviter refutatur.* 201.

Quæst. 19. *An omnes libri num.* 182. *ex Concilio Tridentino relati pro Canonicis indubitan-*

Digitized by Google

tanter sint habendi? 231.
Quæst. 20. An pro Canonicis indubitanter nunc admittantur aliqui libri, quos quondam nonnulli Catholici à Canonismo reieceruni? 234.
Quæst. 21. An a Canone sacrorũ librorum nunc excludantur aliqui libri, quos olim Catholicorum nonnulli pro sacris habebant? 240.
Quæst. 22. An postrema appendicula libri Iob sit Canonica, & sacra? 246.
Quæst. 23. An præfatiuncula Threnis Ieremiæ præfixa sit Scriptura Canonica? 248.
Quæst. 24. An librorum tituli sint Canonici? 254.
Quæst. 25. An perierint aliqui libri, tanquam Canonici ab antiquis fidelibus recepti? 257.
Quæst. 26. Cur prædicti libri perierint? 266.
Quæst. 27. An omnes libri Canonici Veteris Testamenti aliquando perierint? 270.
Quæst. 28. Antographæ Scripturæ, seu Codices sacri originales, qui perierunt, quando, & quo tempore perierunt? 289.
Quæst. 29. An aliqui libri, qui non erant in Canone Hebræorum, sint in Canone Catholicorum? 282.
Quæst. 30. An interpretationes nominum, quæ in sacra Scriptura inveniuntur, sint Scriptura sacra? 291.
Quæst 31. An aliqua Scriptura sacra ante Moysem extiterit in rerum natura? 304.
Quæst. 33. Quis fuerit litterarum inventor? 206.
Quæst. 33 Quæ fuerit omnium linguarum prima? 312.
Quæst. 34. In quo idiomate, vel lingua, & quibus characteribus fuerint scripti libri Canonici? 317.
Quæst. 35. Verum liceat, & expediat sacros libros cõvertere in alias linguas à primis, quibus fuere conscripti? 321.
§. Vnic. Contraria soluuntur argumenta. 329.
Quæst. 36. An libri Canonici in alias linguas à primigenijs cõversi sint Canonici? 339.
Quæst. 37. Quæ sint vernaculæ versiones Scripturæ sacræ? 349.
Quæst. 38. Quot sint vernaculæ versiones Scripturæ sacræ? 356.
Quæst. 39. An de facto existat vernacula versio Vasconica Scripturæ sacræ? 360.
Quæst. 40. An expediat Scripturã sacrã verti in quaslibet vernaculas, & vulgares linguas? 373.
§. Vnic. Hæreticorum soluuntur argumenta. 408.
Quæst. 41. Vtrùm liceat, & expediat Sacra omnia vernaculis facere linguis? 425.
Quæst. 42. Quot sint versiones nõ vernaculæ Scripturæ sacræ? 437.
Quæst. 43. An Hebræus Veteris Testamẽti Textus, qui nunc extat, incorruptus, & sincerus sit? 438.

§. Vnica

Digitized by Google

§. Vnic: *Doctissimi Salmeronis argumenta breviter soluuntur.* 457.
Quæst. 44. *An hodiernus Noui Testamenti textus Græcus sit omnino incorruptus?* 464.
Quæst. 45. *An Thargũ, seu Chaldaica versio sit pura, & sincera?* 470.
Quæst. 46. *An Syriaca versio sit pura?* 478.
Quæst. 47. *Quot extent Græcæ Veteris Testamenti versiones?* 483.
Quæst. 48. *Quæ Græcarum versionum sit omnium nobilissima?* 500.
Quæst. 49. *De historia versionis Septuaginta Interpretum.* 503.
Quæst. 50. *An versio ista Septuaginta Seniorum fuerit miraculosa?* 507.
Quæst. 51. *An Septuaginta duo Interpretes per donum, quod est interpretatio sermonũ, versionem suam fecerint?* 508.
Quæst. 52. *An huiusmodi donum interpretationis sermonum reducendum sit ad donum Prophetiæ?* 509.
Quæst. 53. *Qualis, quantaque fuerit auctoritas huiusmodi Græcæ versionis?* 515.
Quæst. 54. *Quot extent Latinæ versiones Scripturæ sacræ?* 527.
Quæst. 55. *Latinarum versionum quænam sit omniũ optima?* 531.
Quæst. 56. *An Veteris; & Vulgatæ nostræ versionis Auctor fuerit S. Hieronymus?* 538.
Quæst. 57 *Quam perite, & sapiẽter Scripturam sacram verterit, correxerit, ac recognouerit D. Hieronymus?* 557.
§. Vnic. *Contraria soluuntur argumenta.* 567.
Quæst. 58. *An D. Hieronymus Scripturã sacram speciali Spiritus Sancti assistentia transtulerit, correxerit, & recognouerit?* 588.
§. Vnic. *Contraria soluuntur argumenta.* 596.
Quæst. 59. *Quanta fuerit auctoritas Vulgatæ nostræ versionis tempore S. Hieronymi?* 607.
Quæst. 60. *Quanta fuerit Vulgatæ nostræ auctoritas mortuo Hieronymo?* 608.
Quæst. 61. *Quanta sit iam Vulgatæ nostræ auctoritas?* 609.
Quæst. 62. *Cur Vulgatam nostram editionem cunctis aliys editionibus, cuiuscumque sint idiomatis, Tridentinum Concilium ita prætulerit?* 611.
Quæst. 63. *Quam Vulgatam Veterem Hieronymi versionem Latinam cæteris Tridentina Synodus ita prætulerit?* 617.
Quæst. 64. *An Vulgata nostræ versio hactenus fuerit mendosa?* 618.
Quæst. 65. *An Tridentina Synodus prætulerit versionem nostram Vulgatã Hebræis, Græcisque fontibus?* 621.
Quæst. 66. *An ex vi Synodi Tridentinæ Vulgata nostra Latina editio sit magis authentica?*

Digitized by Google

& Canonica, quam Hebraica, & Græca, & quævis alia pura, & sincera? 624.
Quæst. 67. An versionem nostrã Latinam Tridentina Synodus prætulerit omnibus alijs Latinis versionibus, quæ fuerunt sunt, & esse possunt? 628.
Quæst. 68. An aliqua Latina versio melior, quam nostra Vulgata, aliquando futura sit in rerum natura? 632.
Quæst 69. Quando, & quomodo Vulgata nostra editio recognita, correcta, & edita fuerit ex præscripto Tridentinæ Synodi? 633.
Quæst. 70. An à nemine possit deinceps vllum mendũ in Vulgata nostra Latina editione notari, & emendari? 63.
Quæst. 71. An in Vulgata nostra editione sint aliqui errores Typographorum? 640.
Quæst. 72. An Vulgata nostra versio Latina ex D. Hieronymi, vel Interpretum ignorantia, vel incuria, sit falsa, & erronea saltim quoad aliquod verbum? 643.
Quæst. 73. An in Vulgata nostra editione Latina inveniantur, Chronologici errores? 650.
Quæst. 74. An Vulgatæ nostræ Latinæ editioni iam correctæ mendarium, error, vel falsitas simpliciter, & absolutè subesse possit? 679.
§. Primus. Quædã notabilia præmittuntur. 680.
§. Secundus. Proponuntur septem conclusiones. 696.
§. Tertius. Contraria solvuntur argumenta. 706.
Quæst. 75. An Vulgata nostra editio Latina intermixta sit verbis ampbibologicis, & æquivocis, pureve mentaliter restrictis, & omnino insensibilibus? 718.
§. Primus. Vtrùm restrictio pure mentalis possit honestari ex causa? 720.
§. Secundus. Proponuntur sententiæ. 730.
§. Tertius. Nonnulla præmittũtur notabilia. 740.
§. Quartus. Variæ proponuntur conclusiones. 749.
§. Quintus. Recentiorum argumenta contra septimam nostrã conclusionem resoluuntur. 782.
§. Sextus. Potissimũ contrariorũ argumentum dissoluitur. 792.
§. Septimus. Salua cõdemnatione propositionũ 26. & 27. per Innocẽtiũ XI. promulgata: adhuc occultari possunt ex causa valde iusta, & gravi per restrictionem pure mentalem quælibet secreta. 826.
§. Octavus. Sententia Sapientissimi M. Martini de Torrecilla, & aliorum Recentiorum solas restrictiones non pure mentales admittentium, & pure mentales negantium, revera quo ad praxim, & præcipuum difficultatis caput nihil differt à sententia N. Leandri, Thomæ San-

Digitized by Google

Sanchez, & noſtra, eaſdem reſtrictiones pure mentales ex iuſta cauſa admittente. 837.
§. Nonus. Differentia, & diſcordia inter ſententiam Reverendiſſimi M. Torrecilla, & aliorum Recentiorũ, & inter ſententiam noſtri Leandri, Thomæ Sanchez, & noſtrã quoad ſpeculationem non eſt quæſtio de puro nomine, ſed de re valde neceſſaria. 838.
§. Decimus. Criſis, ſiue iudiciũ noſtrum ſuper ſententiam, & expoſitionẽ Sapientiſſimi M. P. Fr. Martini de Torrecilla circa propoſitiones 26. & 27. vbi noſter Leander, & Thomas Sanchez defendũtur. 840.
§. XI. Cauſa iuſta, ſufficiens, & idonea pro licito vſu, & praxi reſtrictionum purè mentaliũ, & nõ pure mentaliũ, & æquivocarum locutionum aſſignatur, & propoſitio 27. ſpecialiter exponitur. 852.
§. XII. Exponitur propoſitio 28. ab Innocentio XI. damnata, & proſcripta. 864.
§. XIII. Qualis debeat eſſe ſubintellectio, vel reſtrictio, vt ſit licitus reſtrictionis mentalis vſus, explicatur. 868.
§. XIV. Specificantur plures caſus, in quibus licitum eſt occultare veritatem ex iuſta cauſa per locutionem æquivocam, & reſtrictionem necdum ſenſibilem verumetiam pure mentalem: ſalua damnatione Pontificia. 870.
Quæſt. 76. Vtrum in Vulgata noſtra editione reperiantur antinomiæ, ſeu textus contradictorie oppoſiti? 905.
Quæſt. 77. An pro corrigẽdo aliquo textu Vulgatæ noſtræ Latinæ, vel pro ipſius intelligentia recurrendum ſit ad textum Hebraicum, vel Græcũ? 906.
Quæſt. 78. Quæ ſit vtilitas linguarum Hebraicæ, & Græcæ, ſi non ſit neceſſarium recurrere ad fontes Hebræos, & Græcos? 908.
Quæſt. 79. Qualis, quantaque ſit auctoritas eorum triũ, quæ ante Bibliorũ noſtrorum textum correctum inveniuntur? 910.
Quæſt. 80. Qualis, quantaque ſit auctoritas eorum, quæ poſt noſtram Vulgatam Latinam editionem correctam in Bibliis ponuntur? 911.
Quæſt. vltim. De Bibliis Complutenſibus, Regijs, & alijs quorũdã Tetraplis, Hexaplis, Octaplis, & Pentaplis. 912.

DISPVTATIO II,
De ſenſibus ſacræ Scripturæ. num. 915.

QVÆSTIO I. Quid ſit Scripturæ ſacræ ſenſus? 916.
Quæſt. 2. Quotuplex ſit ſenſus ſacræ Scripturæ? 917.
Quæſt. 3. Quis ſit litterarius ſacræ Scripturæ ſenſus? 918.
Quæſt. 4. Vtrùm conueniens fuerit, quod ſenſus litteralis Scripturæ ſacræ non ſemper fuerit pro-

Digitized by Google

proprius, & rigorosus; sed sæpè improprius, & metaphoricus? 919.
Quæst. 5. Vtrùm omnis sensus metaphoricus impropriè tantum sit litteralis? 927.
Quæst. 6. Quotuplex sit sensus litteralis proprius? 928.
Quæst. 7. Quotuplex sit metaphoricus litteralis sensus Scripturæ sacræ? 932.
Quæst. 8. An Rethores, Philosophi, & Poetæ Ethnici figuras, Tropos, & metaphoras a Scriptoribus sacris acceperint? 933.
Quæst. 9. An in omnibus Scripturæ sacræ textibus sit litteralis sensus? 936.
Quæst. 10. An sub eisdem verbis Scripturæ sacræ multiplex litterarius reperiatur sensus? 950
Quæst. 11. Ex quibus capitibus oriatur huiusmodi litteralium sensuum pluralitas in eisdem Scripturæ sacræ textibus? 967.
Quæst. 12. An opinio negans vniversim iisdem Scripturæ sacræ verbis duos, vel plures sensus litterarios, sit digna aliqua cẽsura Theologica? 970.
Quæst. 13. Quando idem textus in duobus sensibus litteralibus cõtrarijs, & interse pugnãtibus per Sanctos PP. & Interpretes exponitur, cui standũ si? 972.
Quæst. 14. An Scriptores sacri cognoverint omnes, & singulos sensus litterarios à Spiritu Sancto in singulis textibus intentos? 977.
Quæst. 15. An inter plures litterarios sensus sit aliquis gradus maioris, & minoris certitudinis? 978.
Quæst. 16. An Scriptura sacræ penes sensum litteralem tam proprium, quam metaphoricũ sit locus Theologicus omnino firmus, & irrefragabilis? 979.
Quæst. 17. An sensus litteralis proprius simul cum litterali metaphorico sub eadem littera reperiatur? 981.
Quæst. 18. An Scripturæ sacræ verba accipi possint in sensu metaphorico, relicto proprio, manifesta ratione ad id nos non cogente? 983.
Quæst. 19. An liceat Scripturæ sacræ verba accipere in sensu litterali methaphorico, relicto proprio, quando sensus improprius nõ evertit propriũ? 986.
Quæst. 20. An pleraque dicta de Christo Domino in Veteri Testamento intelligenda sint in sensu litterali? 987.
Quæst. 21. An quando libri Veteris Testamenti citantur in Novo, semper citentur tantum in sensu litterali? 1000.
Quæst. 22. An litteraliter convenire possit figuræ, quod de figurato mystice dicitur? 1001.
Quæst. 23. An aliquando eadem sacra verba litteraliter significent figuram, & rem figuratam per illam? 1003.
Quæst. 24. An sensus litteralis subdiuidi possit in Allegoricũ, Mo-

Digitized by Google

Moralē, & Anagogicū? 1011.
Quæst. 25. Quisnam sit litteralis sensus in visionibus Propheticis? 1013.
Quæst. 26. An quicumque sensus Scripturæ sacræ, qui in vna parte non est litteralis, in alia parte necessario sit litteralis? 1016.
Quæst. 27. An præter sensum litteralem Mysticus, vel spiritualis in Scriptura sacra admittendus sit? 1019.
Quæst. 28. Vtrū in omnibus Scripturæ sacræ textibus, præter sensum litteralem, sit etiam admittendus aliquis sensus Mysticus? 1033.
Quæst. 29. An habere sensum Mysticum, & Spiritualē, sit proprium solius Scripturæ sacræ? 1041.
Quæst. 30. Quatuplex sit spiritualis; & Mysticus Scripturæ sacræ sensus? 1043.
Quæst. 31. An ex sensu spirituali possit desumi firmum, & solidum argumentū ad fidei res probandas, & ad Hæreticos coarguendos? 1045.
Quæst. 32. An sensus Mysticus dignior, & excellentior sit litterali? 1051.
Quæst. 33. An Prophetarum visiones, & Parabolæ Mysticum habeant sensum? 1055.
Quæst. 34. Vtrùm necesse fuerit, quod Scriptores sacri, seu Hagiographi cognoverint omnes sensus Mysticos verborum suorum? 1057.
Quæst. 35. An Scriptura sacra in aliqua actione peccaminosa Mystice, & spiritualiter significaverit virtuosam, & ex adverso in virtuosa peccaminosam? 1058.
Quæst. 36. An viri impij, de quibus in Scriptura sacra fit mētio, sint typus, & figura Christi, eumque spiritualiter significent? 1060.
Quæst. 37. An sub ijsdem Scripturæ sacræ verbis plures sint sensus Mystici? 1061.
Quæst. 38. Quibus verbis, & factis Mysticum, & litteralem sensum commendent Sancti Patres? 1062.
Q. 39. Qui sint, qui nō rectè se gerunt in sensibus Mysticis? 1063.
Q. 40. An Scripturæ sacræ sensus sit obscurus? 1064.
Q. 41. Quid sit causa obscuritatis Scripturæ sacræ? 1075.
Q. 42. Cur Deus voluerit, Scripturā sacrā esse obscurā? 1077.
Q. 43. An præter litteralē, Mysticumque sensum, sit in Scripturis sacris accommodatitius aliquis? 1078.
Q. 44. An sensus iste accommodatitius sit Scripturæ sacræ formaliter sumptæ? 1082.
Q. 45. Quid requiratur, vt Scripturæ sacræ accommodatio sit licita? 1083.
Q. 46. Vtrùm penitus relegandā, & abolēda sit consuetudo, quæ viget in aliquibus Ecclesijs, cōcionandi in Aurora Dominicæ Re-

Digitized by Google

Resurrectionis, quibusdã facetijs ad risũ provocãtibus? 1089
Q. 47. *An omnia, & singula Veteris Testamenti de Christo testimonia, eiusque mysterijs in sensu tantum accommodatitio possint, & debeãt exponi?* 1091
Q. 48. *Virũ Historiæ, quas affert Scriptura sacra, vt incitet homines ad virtutis amorem, vitiorumque detestationem: afferantur ab ea in sensu purè accommodatitio?* 1092.
Q. 49. *An verba Scripturæ sacræ vsurpata à priuato aliquo Doctore, vsurpentur ab eo in sensu purè accommodatitio?* 1093.
Q. 50. *An quando à tota Ecclesia Scripturæ sacræ verba in officijs Sanctorum vsurpantur, in sensu purè accõmodatitio vsurpentur?* 1095.
Q. 51. *An quando verba prioris Scriptoris sacri vsurpantur à posteriori, ab isto vsurpentur in sensu accommodatitio?* 1098.
Q. 52. *An ex accommodatitio Scripturæ sacræ sensu efficax, quasi diuinum, & firmum argumentũ desumi possit?* 1100.
Q. Vlt. *An ex sensu purè accõmodatitio Scripturæ sacræ, vt formaliter tali, saltem probabile argumentum pro veritatibus fidei probandis desumi possit?* 1102.

****
****

DISPVTATIO III.

Quibus vijs perveniatur ad verũ, & legitimum Scripturæ sacræ sensum? n. 1107.

QVÆSTIO I. *Quot sint viæ ad inuestigandos veros, & legitimos Scripturæ sacræ sensus?* 1108.

Q. 2. *An Scriptura sacra sit via ad inueniendum verum & legitimum eiusdem Scripturæ sacræ sensum?* 1110.
Q. 3. *An sola Scriptura sacra sit huiusmodi via?* 1111.
Q. 4. *Quid sit traditio?* 1112.
Q. 5. *Quotuplex sit traditio.* 1113.
Q. 6. *An traditiones Apostolicæ dicantur Diuinæ; & ex aduerso: Diuinæ dicantur Apostolicæ?* 1121.
Q. 7. *An traditiones Ecclesiasticæ possint dici Apostolicæ, & Diuinæ, & ex aduerso?* 1122.
Q. 8. *An Ecclesiasticæ traditiones sint rigorosè de fide, sicut Diuinæ, & Apostolicæ?* 1124.
Q. 9. *Quid sit traditio Diuina, Apostolica, vel Ecclesiastica?* 1126.
Q. 10. *An traditiones Diuinæ, Apostolicæ, & Ecclesiasticæ admitti debeant?* 1127.
Q. 11. *Quot, & quænã sint certæ regulæ ad discernendas veras traditiones à falsis?* 1141.
Q. 12. *Quædam Diuinæ, & Apostolicæ traditiones designantur?* 1145.
§. Primus. *Traditiones certo Diuinæ, vel Apostolicæ specificantur:* 1146.

Digitized by Google

§. Se-

§. Secundus. *Veritatẽ iſtam*: Maria Virgo in cœlos cum corpore eſt aſſumpta: *eſſe traditionem Apoſtolicam: probatur aduerſus Excellentiſsimũ Principem Marchionem de Mondexar.* 1148.

§. Tertius. *Traditiones probabiliter Diuinæ, vel Apoſtolicæ deſignantur.* 1164.

Q. 13. *An traditiones Diuinæ, & Apoſtolicæ ſint via ad explorandum legitimum Scripturæ ſacræ ſenſum?* 1169.

Q. 14. *An auctoritas Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ſit via ad explorandum verum Scripturæ ſacræ ſenſum?* 1170.

Q. 15. *An auctoritas Conciliorũ Generalium à Summo Pontifice approbatorum ſit via ad inueniendum legitimũ Scripturæ ſacræ ſenſum?* 1183.

Q. 16. *An definitiones Concilij Generalis a Summo Pontifice approbati ad ſacrã pertineant Scripturam?* 1188.

Q. 17. *An Conciliũ Generale ſit ſupra Papam?* 1189.

Q. 18. *Quot fuerint Concilia Generalia hactenus celebrata in Eccleſia?* 1195.

Q. 19. *An Sacroſanctum Tridẽtinum Concilium ſit receptum in Gallia, nec dum quoad [redacted] creta, quæ contra Lutherum, Caluinum, & alios Hæreticos ſunt de fide: verumetiam penes omnes Canones ab eodem Tridentino circa Eccleſiæ ordinẽ, & diſciplinã cõſtitutos?* 1196.

Q. 20. *Cur Galli reſtiterint receptioni Cõcilij Tridẽtini?* 1200

Q. 21. *An auctoritas Romani Pontificis ſit via ad inueniendum legitimum Scripturæ ſacræ ſenſum?* 1201.

Q. 22. *An Romanus Pontifex habeat ſummam infallibilitatem in definiendis rebus fidei, & morum ſeorſim, & indepẽdenter à Concilio Generali, & conſenſu Eccleſiæ?* 1202.

§. Primus. *Primum, & principale argumentũ, & quod* Achilleum *vocant Aduerſarij, proponitur.* 1222.

§. Secundus. *Singularis doctrina Eminentiſsimi Principis, ac Domini Cardinalis de Aguirre circa Achilleum iſtud aduerſariorum argumentum debita cum reuerentia breuiter expenditur.* 1235.

§. Tertius. *Achilleum Illuſtriſsimi Cleri Gallicani argumentum diſſoluitur.* 1243.

§. Quartus. *Illuſtriſsimus Clerus Gallicanus perperam, & fruſtra confugit tanquam ad arã ad libertates Eccleſiæ Gallicanæ, vt tueatur auctoritatem Concilij Generalis ſupra Papã. Vbi plura ſciru digna referuntur ex Recentioribus, & celeberrimis Galliæ Scriptoribus.* 1257.

§. Quintus. *Reliqua ſoluuntur argumenta.* 1278.

§. Sextus. *Nonnulla corollaria bre-*

Digitized by Google

breviter inferuntur ex dictis? 1281.

§. Vlt. *Numerus Summorum Pontificum à D. Petro, usque ad Innocentium XII. refertur, & specimen prophetiæ S. Malachiæ de successione futura singulorum Pontificum usque ad finem mundi proponitur.* 1291.

Q. 23. *An auctoritas SS. PP. sit via ad inveniendum legitimum Scripturæ sacræ sensum?* 1293.

Q. 24. *An auctoritas Scholasticorum sit via ad assequendum legitimum Scripturæ sacræ sensum.* 1294.

Q. 25. *An auctoritas Canonistarum sit via ad inveniendum legitimum Scripturæ sacræ sensum?* 1295.

Q. 26. *An ratio naturalis sit via ad assequendum legitimum Scripturæ sacræ sensum?* 1296.

Q. 27. *An auctoritas Philosophorum sit via ad assequendum legitimum Scripturæ sacræ sensum?* 1298.

Q. 28. *An auctoritas Peritorum in iure Cæsareo sit via ad assequendum legitimum Scripturæ sacræ sensum?* 1299.

Q. 29. *An auctoritas historiæ humanæ sit via ad assequendum legitimum Scripturæ sacræ sensum?* 1300.

Q. 30. *An linguarum peritia sit via ad assequendum legitimum Scripturæ sacræ sensum?* 1301.

Q. 31. *Quibus virtutibus præditus esse debeat, qui legitimum Scripturæ sacræ sensum assequi vult?* 1302.

Q. 32. *An Scripturæ sacræ intelligentia à solo Deo sit expectanda, solisque precibus obtinenda?* 1303.

Q. 33. *An à puericia vacandum sit Scripturæ sacræ?* 1304.

Q. 34. *An in addiscenda Scriptura sacra oporteat adhibere aliquos Magistros, & quales isti esse debeant?* 1305.

Q. 35. *Quæ regulæ observari debeant ad rectam Scripturæ sacræ intelligentiam?* 1306.

Q. 36. *Quotuplex sit methodus explicandi Scripturam sacram?* 1309

Q. 37. *Quid sit Paraphrastica methodus?* 1310.

Q. 38. *Quid sit Scholastica methodus exponendi Scripturam sacram?* 1314.

Q. 39. *Quid sit Syllabica methodus exponendi Scripturam sacram?* 1315.

Q. 40. *Quid sit conceptualis methodus exponendi Scripturam sacram?* 1316.

Q. 41. *An methodus ista conceptualis exponendi Scripturam sacram, & concionandi, sit nova?* 1320.

Q. Vlt. *Vtrum perfecti Concionatores Euangelici præter Prolegomena ista, discere debeant Rethoricam sacram, & Euangelicam?* 1321.

Digitized by Google

BENEDICTA SIT SANCTA TRINITAS.

PROLOGOMENA IN SCRIPTVRAM SACRAM.

1 TRACTANT De Prologomenis istis Sancti Patres, & præcipuè Augustinus, Hieronimus, Ambrosius, Gregorius, D. Thomas 1.p.q.1. Abulensis pluribus in locis, Melchior Cano lib. 2. de Locis, Gravina, Salmeron, Bellarminus, Serarius, Vazquez, & novissimè Sapientissimus, & R.P. Richardus Lyncæus Societatis Iesu, Sacræ Theologiæ Doctor, & Magister Salmanticensis, de Locis Theologicis tract. 5. & sequentibus, Ioannes de la Haye tom. 1. Prologom. ad Biblia maxima, & doctissimus, iuxtaque Religiosissimus R. P. Fr. Antonius à Matre Dei Carmelita Excalceatus in libro, cuius epigraphe est: *Præludia isagogica ad Sacrorum Bibliorum intelligentiam*: vt alios innumerabiles missos faciam.

DISPVTATIO PRIMA.

De nomine, existentia, & essentia Scripturæ Sacræ.

2 IN Librorum scriptione nihil gratius accidere solet, quàm si in eadem succinta brevitas cum claritate concurrat. Conabimur, vt ita fiat,

Digitized by Google

QVÆSTIO PRIMA:

De nomine iſto: Scriptura ſacra.

3 SVNT Scripturæ ſacræ complura nomina, propria, & impropria: vſitata, & minus vſitata: quæ vix, ne vix quidem ad numerũ certum reduci valent. Tot titulis ipſa inſignitur! tot præconijs celebratur! communi eius nomine intelligimus libros ſacros,& canonicos, quos Spiritu Sancto ſpecialiter dictante, & aſsiſtente, Auctores Sacri, Scriptores Canonici, & Hagiographi ſcripſerunt.

4 Cuiuſlibet ſcripturæ, aut libri prima omnino principia, & elementa ſunt litteræ. Ideo tam ſcripturæ, quàm libri haud rarò retinent litterarum ipſarum nomen. Vt proles præ ſe ſemper ferat, omnibuſque gratè,& piè demonſtrat matrẽ. Hinc ſcripturæ noſtræ præ omnibus alijs iure ſummo ſacræ dicentur litteræ. Quia tam earum Auctor principalis, quàm materia, & argumentum ſunt quid ſacrum,& ſanctum,ſi quod maximè.

5 Sæpè pluraliter, id eſt, *Scripturæ*,dicuntur: quia pluribus conſtat partibus Scriptura ſacra. Sæpè in ſingulari, hoc eſt, *Scriptura*: quia ipſa ſola pene videtur digna, quæ ſcribatur, legatur, audiatur,& Antonomaſticè *Scriptura* appelletur. Scripturæ ſacræ denominantur *Deinitùs inſpiratæ*, quia ſunt à Deo miraculosè revelatæ. Appellãtur etiam *Deificæ*: quia per eas quodammodo Divinæ conſortes naturæ, & Dij efficimur. Intitulatur *Liber* in ſingulari, *Libri* in plurali. *Libri* pluraliter recidit in idem cum ly *Biblia*. Nomen iſtud *Biblia* hodiè eſt vſitatiſsimum, etiam apud vulgus, præſertim in partibus Septentrionalibus. Triplicem habet notionem. Primò accipitur pro *Libro*, aut *Libello*: ſecundò pro *Epiſtola*: tertiò pro *Syngrapha*, aut ſcriptura cuiuſlibet cõtractus emptionis, venditionis, &c. Quibus omnibus modis, propter Scripturæ ſacræ excellentiam, illius volumen à poſterioribus ſæculis appellatum eſt, aut *Sacra Biblia*, aut ſimpliciter, & præcisè *Biblia*. Primò, quia liber iſte omnes omnium Scriptorum Bibliothecas longiſsimè excedit tam auctoritatis põdere, quàm vtilitatis vbertate. Secundò, quia continet quãdam veluti epiſtolam à Rege Regum, & Domino dominantium divinitùs ad nos miſſam. Tertiò, quia etiam continet contractus Dei cum hominibus. Quare etiam dicuntur teſtamentum, inſtrumentũ,&c. vt infra exponemus.

6 Quidam nunt *Biblia* in

Digitized by Google

in singulari, & genere fœmini no. Baronius tom 9. fol. 340. *Vetus Biblia*. Communiter in plurali numero, & nuetro genere, *Biblia Bibliorum*, dicendum est.

7 Scripturæ appellantur *Sanctæ*. Primò, quia sunt immunes, & mundæ ab omni errore: secundò, quia sanctificant eos, qui eas legũt, & fide atque opere illas amplectũtur tertiò, quia sunt firmæ, & ratæ. Appellantur etiam sacræ tum quia differunt à profanis ob excellentiam Auctoris, materiæ, altitudinis, & dignitatis; tum quia inviolabiliter observari debent, ne profanos in vsus, hæreticosque sensus extensæ, polluantur impiè, & sacrilegè.

8 Vocantur *Prophetica*: quia à Spiritu Sancto profectæ, plura futura à Deo, & libera hominum voluntate dependentia, nos docent. Denominantur etiã eloquia Dei: quia per ipsas tãquam per oracula certissima, & quibus falsitas subesse non potest, Deus ad nos loquitur, suamque revelat, & manifestat nobis voluntatem.

9 Nuncupatur etiam *Verbum Dei scriptum, Testamentum*: quia Dei voluntatem nobis testantur: pacta, & fœdera Dei cum hominibus continent, & Deus ipse iustos omnes sui hæredes passim in eis appellat. Vocantur Dei instrumentum, vel instrumenta: quia nos docent, & instruunt de rebus, quas scire debemus. Et huiusmodi instrumentum Divinum, aut sacrum est duplex, vetus, & novum. Dicitur vetus primò ratione temporis, secundò ratione rerum in eo contentarum, tertiò ratione modi significandi, quartò ratione finis. Novum verò instrumentum, & testamentum nuncupatur ratione temporis, rerum, modi significandi, & finis.

10 Deinde Scriptura denominatur *Canonica*. *Canon* duo pricipaliter significat. Primò regulam, seu normam, quam in rebus agendis, sequi debemus: secundò numerum, sive catalogum aliquarum rerum. Scriptura sacra, vtroque sensu, dicitur *Canonica*, & iure Summo: quia continet normam, sive regulã, quam in fide, & moribus sequi debemus: & quia quę in ea sunt scripta, in catalogo, & numero Scripturarum sacrarum annumerantur.

11 Dicitur etiam Scriptura sacra animarum Paradysus, singularis medicina morborum omnium cordis, mentis speculum, Dei virtus, &c. Quibus, & alijs nominibus, præconijs, & titulis insignitur, & celebratur Scriptura sacra. Et quia in ea ne nomẽ quidem aliquod, imò nec jota, nec apex vacat mysterio: quia nihil est in ea, quod magni ponderis, & momen-

menti non sit: nomina ista præmitti debuerunt. Vide sapientissimum Salmeronem Prologom. 1. Serarium cap. 25. Antonium à Matre Dei, Prælud. 1. dub. 8.

QVÆSTIO SECVNDA.

An sit Scriptura sacra?

12 QVÆSTIO: *An sit?* semper præcedit quæstionem: *Quid sit?* Nec mirum, quòd inquiramus: an sit, vel existat Scriptura sacra? Cum D. Thomas 1. p. q. 2. a. 3. inquirat: *Vtrum Deus sit?* Conclusio affirmativa est fidei dogma, & articulus Constat ex Concilijs Oecumenicis, Lateranensi sub Innocentio, & Tridentino sess. 4.

13 Scripturæ sacræ existentiam, immo omnia principia tam Dialectica, quàm Physica, Metaphysica, Theologica, & quævis alia temerè negant Hæretici Libertini, independentes, Atheistæ, & Machiavellistæ: haud alio fundamento ducti, quàm sola audacia negandi omne id, quod eorum libertati, voluntati, voluptati, libini, avaritiæ ambitioni quoquomodo opponitur. Adversus quos otiosa, inutilis, & vana erit disputatio omnis: vt notat Melchior Cano lib. 3. de Locis cap. 2.

14 Scripturæ sacræ existentia, cũ sit punctum fidei, ex sola ratione naturali evidenter demonstrative probari nequit adversus eos, qui eam negant; quia foret petitio principij. Licet enim Scriptura affirmet se esse Divinam, sacram, canonicã a Deo inspiratam, & dictatam; non ideò certò constat eam esse talem, nisi prius habeatur motivum credendi fide Divina ipsam Scripturam, quæ hoc asserit esse Verbum Dei, qui nec fallere, nec falli potest. Quemadmodum licèt in Alcorano Mahometi sæpè affirmetur ipsum Alcorani librum esse à Deo cœlitùs missum, aut inspiratum, non ideò tamen illi credimus, aut veluti à Deo missum recipimus: vt optimè notat Bellarminus tom. 1. lib. 4. de Verbo Dei scripto, cap. 4. §. *Quarto necesse est.* Igitur Scripturæ sacræ existentia ex traditione Apostolica, & Ecclesiæ auctoritate probanda est. Vide infra n. 114. 115. & à n. 159. Quod intellige de probatione efficaci, & convincente. Coniecturaliter probatur ex eo, quòd omnes gentes (exceptis Atheis, & Machiavellistis) peringenuè fatẽtur aliquod Verbum Dei scriptum. Et Ethnici quidem oracula, & leges quasdam divinitùs acceptas, & litteris mandatas iactarunt apud Clement. Strom. 1. Lactantium lib. 1. Institut. Et

Digitized by Google

Ia-

Iapones, Sinæ, & Turcæ etiam num existimant, Deũ, qui hunc condidit mundum, fuisse Alcorani sui Auctorem. Præterquã quod nulla est natio adeò Barbara, quæ non habeat aliquas leges scriptas, aliqua oracula, quibus quodammodo Dij gentium (qui *omnes Dæmonia* Psalmo 95. v. 5.) suis loquuti fuerint cultoribus. Vide Salmeronem Prologom. 25.

QVÆSTIO TERTIA.

Quid sit Scriptura Sacra?

15 SCRIPTVRA Sacra est *Liber Diuinus, & sacer à Spiritu Sancto specialiter reuelatus, & dictatus, per sacros, & Canonicos Scriptores, & Auctores litteris mandatus.* Definitio ista in re, & substantia, licèt non sub hac syllogistica, aut dialectica forma (vt insimiliait D. Thomas 2. 2. q. 4. art. 1.) reperitur Ioan cap. 14. v. 26. & epist. 2. Petri cap. 1. v. 20.

16 Particula *Liber* ponitur loco generis Per quam cõvenit cum qualibet Scriptura profana. Reliquæ ponuntur loco differentiæ Per eas differt Scriptura sacra à traditionibus Diuinis, Summorum Pontificũ definitionibus, Generaliũ Conciliorum decretis, &c Licèt enim gaudeant infallibilitate ex speciali assistentia Spiritus Sancti: nihilominus singulæ sententiæ, & verba nõ sunt specialiter dictata à Spiritu Sancto, sicut contingit in Scriptura sacra, ex dicendis n. 121. Vide Melchiorẽ Cano lib. & cap. 5.

QVÆSTIO QVARTA.

De causa materiali, formali, & finali Scripturæ Sacræ.

17 NOMINE Causæ materialis Scripturæ sacræ intelliguntur in præsentiarum variæ res, de quibus tractat. Et sunt Deus, in essentia vnus: in Personis trinus: omnes Diuinæ perfectiones: omnia opera creationis, & Redemptionis: & vno verbo: Deus in se, suisque operibus cõsideratus. D. Bonaventura in principio sacræ Scripturæ dixit, testamentum vetus totum esse de Deo incarnando: testamentum novum de Deo incarnato In vtroque agitur de Catholicę fidei mysterijs, de Christo Domino, de beatitudine, de medijs, quibus illa obtinetur; de æterna damnatione, ad quã per peccatum mortale pervenitur De fide, cultu, obedientia, sanctitate, quibus Deũ venerari debemus. Et hæc sufficiant de materiali causa Scripturę sacræ.

18 Ipsa habet suam causam formalem. Quia est Verbum Dei scriptum, publica, ac solemni auctoritate confirma-

Digitized by Google

tum. Quæ causa formalis multipliciter cõsiderari potest. Primò, quatenus Scriptura sacra est verbum, & verbum est vox articulata. In hac consideratione, vocum articulatio, & conformatio erit eius forma, seu formalis causa. De qua formali causa agemus à n. 317. quando egerimus de linguis, in quibus litteris mandata est Scriptura sacra, & in quas linguas trasla ta sit. Secundò quatenus idẽ verbum est vox significans: ipsa significatio, sive sensus erit causa formalis. De qua agemus num. 341. & disp. 2. à n. 805. Tertiò prout Scriptura sacra publicam & solemnem habet auctoritatem: forma illius est summa, infallibilis, certissima, & Divina veritas: vt alias omittam acceptiones.

19 Causa finalis Scripturæ sacræ est duplex, proxima, & remota. Remota est Dei gloria cum nostra fœlicitate æterna, Proxima verò Dei cognitio, & amor, proximi dilectio, & omnium humanarum actionum rectitudo, & honestas.

QVÆSTIO QVINTA.

De causa efficienti Scripturæ Sacræ.

20 CAVSA Efficiens est duplex Principalis vna; instrumentalis alia Curs. Philos. Trin. tom. 2. à n. 1735. Respondeo, & quidem certissimè, solùm Deum fuisse causam principalem, vel Auctorem Scripturæ sacræ, homines verò fuisse causas instrumentales eiusdem. Ita communiter Sancti PP. Scholastici, & Interpretes, præsertim Augustinus tom. 4. lib. 1. de consens. Evangelistarum, & Gregor. in præfat. ad lib. Iob. cap. 1. ad hæc verba:

21 Ipse igitur hęc scripsit, qui hæc scribenda dictavit: Ipse scripsit, qui & illius operis inspirator exstitit, & per scribẽtis vocem imitanda ad nos eius facta transmisit. Si magni cuiusdam viri susceptis epistolis, legeremus verba, eaque quo calamo fuissent scripta, quæreremus: ridiculum profectò esset, si non epistolarum Auctorem scire, sensumque cognoscere; sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare studeremus. Cùm ergo rem cognoscimus, eiusque rei Spiritum Sanctum Auctorem tenemus, quia Scriptorẽ quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras, de calamo perscrutamur? Hactenùs Gregorius.

22 Deinde probatur ratione conclusio nostra quoad vtramque partem. Solus Deus propria virtute: homines autem virtute Dei, & nõ propria, Scripturam sacram effecerunt. Ergo Deus est causa principalis effectiva:

Digitized by Google

ctiva: homines verò causa instrumentalis eiusdem Scripturæ sacræ.

23 Nec Scripturæ sacræ auctoritas minuitur ex eo, quod homines, vel Angeli fuerint causa effectiva instrumẽtalis. Quia illa principaliter desumitur ex principali eius causa, & Auctore. Abulensis tom. 1. in Matth. cap. 4.

QVÆSTIO SEXTA.

An Deus se solo immediatè, & sine vllo Angelorum, vel hominum ministerio aliquid scripserit?

24 PRIMA Sententia est affirmativa, quam tenent Rupertus, Cornelius à Lapide, Antonius à Matre Dei, Prælud. 1. n 13. & alij ab ipso relati.

25 Secunda sententia est negativa. Quæ probabilior nobis videtur, & pro vnica conclusione statuitur. Eam tenent D. Thom. 1. 2. q. 98. a. 3. Anselmus 3. ad Galat. v. 19. Abulensis ad cap. 31. Exodi, Salmeron. Prolog. 26. Suarez lib. 9. de Legibus cap. 5. Serarius, Caietanus, & alij permulti.

26 Probatur primò. Si quid Deus se solo immediatè sine hominum, Angelorumvè ministerio scripsisset, maximè Decalogum, seu legem, quam dedit Moysi in mõte Sinai. Sed non istam. Ergo nihil Deus immediatè se solo scripsit. Consequentia est optima. Maior est Adversariorum fundamentum. Minor verò probatur ex cap. 7. Actu. Apost. v. 38. *Hic est, qui fuit in Ecclesia, in solitudine cũ Angelo, qui loquebatur ei in monte Sinai, qui accepit verba vitæ, dare nobis.* Et v. 53. dicitur: *Iudæos accepisse legem in dispositione Angelorum.* Et ad Galat. 3. v. 19. dicitur: *Quid igitur lex? Propter trãsgressiones posita est ::: ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Quorum verborum sensus litteralis, & quidem genuinus, & legitimus est, Decalogum fuisse ordinatum, dispositum, & exaratum in tabulis lapideis Angelorum ministerio, quin Deus immediatè per se ipsum exaraverit, aut locutus fuerit Moysem, sed dumtaxat per Angelũ. Et exinde manet probata minor.

27 Probatur secundò, & confirmatur prima ratio. Congruentius est Divinæ Providentiæ erga homines, quod Deus ministerio Angelorum legem illam scripserit. Ergo ita eam scripsit. Antecedens probatur primò. Quia communis ordo Divinæ Providentiæ est, vt inferiora per superiora: infima per media, & Divina ad homines, per Angelos deferantur. Ergo. Probatur secundò idem antecedens. Omnes apparitio-

Digitized by Google

nes Divinæ hominibus factæ in veteri testamento, fuerunt medijs Angelis: vt sentiunt Augustinus lib. 2. de Trinit. à cap. 10. & lib. 3. cap. 10. & 11. Hieronymus, Gregorius, Divus Thom, in 2. dist. 8. a. 6. Abulensis pluribus in locis, Suarez lib. 6. de Angelis cap. 20. n. 28. Lorinus, & alij. Quia congruêtius erat Divinæ Providentiæ hoc genus aparitionis. Ergo & congruentius erit id genus scriptionis ministerio Angelorum. Ergo

28 Probatur tertiò. In humanis est argumentum excellentiæ, & prærogativæ, quòd quis in scribendo vtatur Secretario, aut Amanuensi. Et Amanuensis dictus est, quia ad manum Principis erat, vt iste scriberet medio illo. Ergo excellẽtia ista Deo nequit negari. Ergo.

29 Confirmatur primò. Qui inter Gentiles sese sapientes, & Magistros existimabant: per se ipsos nihil immediatè scribebant: vt notat Augustinus tom 4. de consens. Evang. lib. 1. cap. 7. & D. Thom. 3. p q. 42. a. 4. idem advertit. Ergo.

30 Confirmatur secundò. Scribendi ministerium à multis reputatur Mercenãtum, mechanicum, servile, & saltem minus decorosum: & ad dignitates apud plures nationes est impedimentum. Ergo.

§. VNICVS.

Contraria solvuntur argumenta.

31 AAGVITVR Primò. Exodi 31. v. 18. dicitur: *Deditque Dominus Moysi :::: duas tabulas testimonij lapideas, scriptas digito Dei.* Idem dicitur Deuteronomij cap. 9. v. 10. Ex quibus verbis tale formatur argumentum. Scripturæ sacræ verba in sensu rigoroso accipienda sunt, quoties nullum inde sequitur absurdum: vt dicemus à n. 872. Ergo cum nullum sequatur absurdũ, ex quo sic accipiantur verba superiora, ita accipienda sunt. Ergo.

32 Confirmatur. Deum immediatè per semetipsũ scripsisse Decalogum sæpius docetur, resumitur, & inculcatur locis citatis, & alibi in scripturis sacris. Ergo signum est, quòd Deus immediatè per se ipsum, sine Angelorum ministerio Decalogum scripserit.

33 In primis argumentum, & confirmatio concordanda sunt cum testimonijs n. 16. relatis. In quibus abs dubio illorum robur infringitur. Quod nemo non videt. Cur enim posteriora præ prioribus in rigoso sensu sunt accipienda?

34 Deinde respondeo, ly *Scriptas digito Dei*: perinde esse, ac opere Dei Quia digitus dicit, & significat aliquid operati

Digitized by Google

rativum. Quare Divivina operatione eas fuisse scriptas, significatur in illis, & alijs similibus verbis. Quod non obstat, vt fuerint scriptæ Angelorum ministerio. Qui fuerunt ministri totius huius legislationis: vt constat ex dictis n. 26.

35 Et quoties in Scriptura sacra dicitur, quòd Deus aliquid fecit, egit, operatus est, nunquam intelligendum est, quòd ipse immediatè per se ipsum sine Angelorum, hominúve ministerio egerit, nisi illud excedat vires, & potentiã creatam. Quia sic decet dignitatem Dei, qui tantam habet copiam ministrorum.

36 Hanc regulam docet Abulensis. Et est valdè necessaria ad rectam, & veram Scripturæ sacræ intelligentiam.

37 Sic Deus se solo creavit cœlum, & terram: resuscitat mortuos. Hic est Divinus ordo, quem Deus non variat, aut mutat sine gravi causa: vt notat idẽ Abulensis.

38 Et propter eamdem rationem, & causam, quoties in Scriptura sacra fit mẽtio de locutione, vel de dicere Dei: si id, quod dicitur, est tale, vt Angelis competere possit: intelligitur sermo dictus, vel locutio mentalis ad Angelos. Si verò Angelis convenire non possit; sed soli Deo, intelligi debet quasi ibi sit sermo vnius personæ Divinæ ad aliam. Quãquam in Sanctissima Trinitate nullus sit sermo, aut dicere speciale in rei veritate: præter illud dicere Patris Æterni, quo generat Verbum, seu Filium Vide Abulensem in Gen. pag. 131. col. 2. lit. E. Hinc

39 In forma, concesso antecedenti, nego suppositum consequentis. Absurdum enim est, & grave, quod tribuatur Deo, quod non decet infinitam illius dignitatem. Officium autem, aut minus scribendi ex n. 30. non decet Divinam maiestatem, quando tot habet ministros, per quos scribere potest.

40 Ad confirmationem respondeo, concesso antecedẽti, negando consequentiam. Frequens enim eiusdem rei inculcatio, seu repetio in scriptura propter duo principaliter fieri solet. Primo, vt aliquid addatur. Secundo, vt memoriæ magis commẽdetur. Quia est speciale, & memoria dignissimum illud, quòd frequenter repetitur. Pluribus namque sensationibus, atque intellectionibus fortior causatur specierum impressio, vel memoria: vt constat ex Philosopho 1. Metap & experimento. Vide Abulensem ad cap. 12. Exod. v. 43.

41 Replicabis ex Antonio à Matre Dei. Exod. 31. v. 18. ipsa tabularum scriptio, & dolatio speciali modo tribuun-

tur

tur Deo. Ergo nisi violētia textui inferatur, Angelo tribui nō posse videntur. Ergo &c.

42 Respondeo distinguēdo Antecedens ex n. 21. Speciali modo tribuuntur Deo tāquam causę principali, concedo; tanquam instrumentali, nego antecedens, & vtramque consequentiam.

43 Arg. secundò. Cœlos, & visibilia ista Deus per se ipsum immediatè, sine Angelorum, aut hominum ministerio formavit, & produxit. Ergo illas lapideas tabulas per se ipsū immediatè sine Angelorum, vel hominum ministerio formavit, dolavit & scripsit. Liquet consequentia. Quia sicut Psalm. 8. v. 4 & Psal. 101. v. 26. Cœli, & visibilia ista dicuntur opera digitorum, & manuum Dei: ita prædicto loco Exod. cap. 31. & alibi, tabulæ lapideæ dicuntur dolatæ, & scriptæ digito Dei.

44 Respondeo ex n. 37. concesso antecedenti, negando consequentiam. Cuius probatio manet ibidē præoccupata ex Illustrissimi Abulensis regula, & doctrina. Cœlorū enim, & aliorum visibilium productio potentiam, & vires Angelorum excedit; secus verò dolatio, & scriptio tabularum lapidearū.

45 Replicabis ex Antonio à Matre Dei. Probabile est, tabulas illas, vel de novo fuisse creatas à Deo, vel ab initio mundi sic politas, dolatas, & scriptas extitisse. Sed Angeli nō possunt esse adhuc causa instrumentalis creationis. Ergo nec illius dolationis, aut scriptionis. Ergo idem quod prius. Maior est Abulensis, Exod. cap. 24. q. 16. & cap. 32. q. 23. Minor D. Thomæ, 1. p. q. 45. a. 5. & alibi, quam etiam tenet N. P. Fr. Emmanuel à Conceptione in curs. Philos. Trin. tom. 2. num. 201. 2. consequentiæ autem tenere videntur.

46 Respondeo cum eodem Abulens. dicto cap. 32. Exod. q. 23. concesso integro syllogismo, negando secundam consequentiam. Non enim disputamus de probabilitate opinionis contrariæ, quam esse verè probabilem vltrò, citroque fatemur. Negamus tamen rem evenisse, vt illa affirmat. Et addimus, tabulas illas fuisse creatas à Deo cū alijs rebus in principio, vel postea genitas, sicuti chrystalli ex gelidis gignuntur aquis: & alij lapides pretiosi similiter ex suis generantur materijs. Non tamen erant politæ, dolatæ, & scriptę quousque pervenit tempus, quo Deus voluit, vt Angelorum ministerio poliretur, dolaretur, & Decalogus in eis scriberetur. Nec scriptura illa, aut dolatio fuit immediatè opus totius Sanctissimæ Trinitatis sine interventu causæ instrumentalis creatæ. Quia id nō de-

decebat eamdem Sanctissimam Trinitatem.

47 Arg. tertiò: Officiũ, seu munus scribendi apud plures nationes honorificum semper fuit: & nobiles illud per se ipsos immediatè exercebant. Et Mauritius, Theodosius III. & alij relati à Beierlinch in Theatro vit hum. lit. M. fol. 346. ab officio scribẽdi ad Imperialem dignitatem sunt promoti. Ergo Sanctissimam Trinitatem non dedecet munus immediatè scribendi. Ergo cùm littera textus hoc exprimat, ei standum est.

48 Respondeo dicendũ, quòd de officijs, exercitijs, & artibus, in quibus membra, & organa exteriora applicantur, & exercentur: non est vbique eadem opinio, & existimatio. Artes namque, quæ alicubi cẽsentur mercenariæ, sordidæ, ignobiles, & mechanicæ: alibi habentur, & æstimantur nobiles, & liberales. Et præscindendo ab hac speciali æstimatione iuxta communem existimationem in rebus publicis, & communitatibus, artes illæ, quæ ad quærendum victum communiter exercentur: & certis diebus, vel horis prohibentur, nec solùm ad oblectandum animum, ad sanitatis exercitium, ad fallendum tempus ex natura sua destinantur, mechanicæ, viles, sordidæ, aut mercenariæ reputantur: vt notat R. P. Fr. Bruno Neuser in Polyanthea Theologico-morali Canonica, disp. 119. q. 15. Qua præmissa doctrina,

49 Dico, ad negandum, SS. Trinitatem immediatè exercuisse officium scribendi, seu scriptoris, sufficere, quòd sub dubio sit: an sit, vel non sit officium nobile? Præsertim cũ vel ipsi Adversarij admittant, imò concedant apud homines esse alicuius auctoritatis, & dignitatis vti Amanuensibus & Secretarijs. Et ita permisso, vel concesso antecedenti, negatur vtraque consequentia.

50 Arg. quartò. Deus erga homines exhibuit omnia illa signa specialis, & præcipui amoris, quæ excogitari possunt. Scribere ad aliquem propria manu est signum præcipui, & specialis amoris. Ergo istud exhibuit Deus erga homines. Ergo saltem priores tabulas legis immediatè per se ipsum scripsit.

51 Distinguo maiorem: *Exhibuit omnia illa signa specialis amoris, quæ Diuinam decent maiestatem*: & non sunt contra ordinem doctrinæ, concedo; quæ non decent, & aliàs sunt contra ordinem doctrinæ, nego maiorem, & distinguo similiter minorem. Est signum &c, & alias non decet, & est contra ordinem doctrinæ, concedo; decet, & non est contra ordinẽ doctrinæ, nego minorem, &

Digitized by Google

con-

conſeq. vtramque. Quę ſolutio quęſt. ſeq. amplius explicabitur.

QVÆSTIO SEPTIMA.

An Chriſtus D. doctrinam ſuam per ſe ipſum immediatè ſcriptam tradiderit?

52 RESPONDEO Negativè cum D. Thom. 3. p. q. 42. a. 4. Auguſtino, Hieronymo, Salmeron Prolog. 26. & reliquis Scholaſticis, & Interpretibus. Probatur primò. Chriſtus D. habebat multos miniſtros, per quos ſuam doctrinam ſcribere poterat. Ergo non decuit, quòd ſuam doctrinam per ſe ipſum immediatè ſcriptam traderet. Ergo non ita tradidit.

53 Confirmatur. Quòd Chriſtus per alios commodè facere poterat, nō decebat eius excellentiam, & maieſtatem, quòd per ſe ipū faceret. Ergo.

54 Probatur ſecundò. Chriſtus D. obſervavit excellentiſsimum, & congruentiſſimum modum docendi, quique maximè cōducit ad finem doctrinæ. Sed modus docendi ſola viva voce eſt excellentior, magiſque cōducit ad finem doctrinæ, quàm modus docendi in ſcriptis. Ergo illum, & non iſtum obſervavit Chriſtus D. Probatur minor. Finis docendi, ſeu doctrinæ eſt imprimere doctrinam in mentibus auditorum. Sed doctrina melius imprimitur in mentibus auditorum viva voce, quàm in ſcriptis. Ergo.

55 Probatur tertiò. Ordo doctrinæ exigebat, vt Chriſtus D. diſcipulos ſuos ore, & immediatè doceret: & poſtea ijdem diſcipuli alios verbo, & ſcripto inſtruerent. Ergo ita factum eſt. Ergo Chriſtus D. nullam partem ſuæ doctrinæ per ſe ipſum immediatè ſcripſit, aut ſcriptam tradidit.

56 Arguitur primò. Ioānes cap. 8. v. 6. ait: *Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra*: quando nimirum mulier adultera delata eſt ad ipſum. Chriſtus ergo D. aliquid ſcripſit. Ergo & aliquā doctrinā ſuam per ſe ipſum immediatè ſcriptam tradidit.

57 Doctiſsimus P. Salmeron Prolog. 26. reſpondet Chriſtum D. nihil ſcripſiſſe, eſto Ioannes tradat, eum digito in terra ſcripſiſſe. Quia per Evangelium non conſtat, quid ſcripſerit. Et quia illa ſcriptura quā primum deleta, & obliterata fuit, perinde fuit, ac ſi nunquā ſcripta fuiſſet.

58 Verum hæc ſolutio non placet. Quia Ioannes abſolutè affirmat: quòd Ieſus ſcribebat. Ergo aliquid. Ergo abſolutè dici nequit, quod nihil Deinde Evangeliſtam, & nos latere po-

Digitized by Google

potuit, quòd Iesus scripsit: licèt revera aliquid scripserit. Quod autem quamprimùm deleta est, potiùs convincit, quod aliquid scripserit, quàm quòd nō scripserit Siquidem Scriptura, quæ verè scripta non est, deleri non potuit.

59 Rabbanus, Eutymius, & alij dicunt, Christum D. veras litteras digito non efformasse: gestum scribentis solummodo fecisse: lineas aliquas nihil significantes effeciſſe.

60 Sed contrà. Nulla fictio, aut dissimulatio tribuenda est Christo D. sine gravi fundamento. Nullum est grave fundamentum ad tribuendā Christo huiusmodi fictionē, seu dissimulationem. Ergo non est tribuenda Christo D.

61 Respondeo igitur cū D. Thom. ad prædictum cap. 6. Ioan. Christum verè efformasse litteras aliquid significātes in terra: licèt nos lateat quid illæ significarent, Quia verba sacræ Scripturæ in sensu rigoso accipienda sunt, quando ex tali acceptione rigorosa nullū sequitur absurdum. Et in præsenti nullum sequitur. Tales tamen litteræ statim, vel citò deletæ sunt, & non permanserunt. Quare Christus D. nullam partem doctrinæ suæ, per se ipsum immediatè scriptam nobis tradidit. Et in hoc sensu intelligēdus venit D. Thomas 3. p. q. 42. a. 6. dicens, Christum D. non debuisse doctrinam suam scripto tradere: eam non scripsisse, Quia nullam Scripturam per se ipsum immediatè scriptam, & permanentem nobis reliquit. Quia hoc nō decebat eius dignitatem.

62 Arg. secundò. Christus D. tradidit suam doctrinam eo modo, quo magis conducere poterat ad excludendas omniū errorum occasiones, & ad aperiendam fidei viam. Sed ad hos fines magis conduceret, quòd doctrinam suam immediatè per se ipsum scriptam nobis traderet. Ergo eam ita scriptam tradidit. Probatur minor. Doctrina immediatè scripta per Christum D. efficacior, & maioris fuisset auctoritatis, quàm non ita per ipsum scripta: vt patet in epistolis per magnos Principes scriptis. Ergo.

63 Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad huius probationem nego antecedēs ex dictis n. 25. & ex proximè dicendis. Qui enim doctrinæ per Apostolos scriptæ nō credunt, nec per Christum D. immediatè scriptæ credidissent, aut credent. Quia cùm Christus D. sit causa principalis doctrinę per Apostolos scriptæ, ista eiusdem efficaciæ, & auctoritatis est, ac foret illa.

64 * Gentiles quidam dixerunt, Christum D. scripsisse quos-

quosdam libros continẽtes doctrinam Magicam, qua miracula faciebat, & illos ad Apostolos Petrum, & Paulum misisse. Sed errorem istum Augustinus, & D. Thom. 3. p q. 42. a. 6. refellunt. Et licèt aliqui tradant, eumdem Christum D. per se ipsum immediatè scripsisse quamdam epistolam ad Abagarum Edessæ Regem. Nihilominus eam, & apocrypham dãravit Gelasius Papa, cap. *Sancta Romana, dist.* 15.

65 Licèt autem Christus D. nullam doctrinam per se ipsum immediatè scriptam nobis reliquerit: quia tamen fuit causa principalis, quę impulit Apostolos, vt eam scriberent: iuxta Magnum Parentem Augustinum lib. 1. de consens. Evangelistarum cap. 7. quodammodo illam scripsisse dicendus est. Apostoli enim ne verbum vnũ, aut iota vnum de suo spiritu scripserunt. Quidquid de suis factis, & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquam suis manibus imperavit. Et quidquid scripserunt, Spiritu Sancto specialiter assistente, scripserunt. Ita Augustinus, & Thomas, & quidem verisimè, & rectissimè: vt notat Salmeron Prolog. 26.

****
*****

QVÆSTIO OCTAVA.

An Maria Santissima immediatè per se ipsam scripserit aliquam partem Sacræ Scripturæ?

66 RESPONDEO Negativè cum omnibus Sanctis PP. Scholasticis, & Interpretibus Probatur. Nulli libri à B. V. Maria immediatè scripti habentur in Canone sacræ Scripturæ Ergo ipsa immediatè, & per se ipsam nullam partem sacrę Scripturę, quæ de facto existit, nobis scripsit tam reliquit.

67 Confirmatur. Decebat Deiparæ dignitatem, vt Filium suum in hac parte, sicut in cæteris imitaretur. Ergo sicut Christus nullam Scripturæ sacræ partem se ipso immediatè scripsit: ita, & eius Santissima Mater.

68 Dices. Plurimi tradunt, Deiparã saltem tres scripsisse epistolas: vnam ad B. Ignatium Martyrem, aliam ad Messanenses, aliam ad Florentinos: vt videre est apud Canisium lib. 5. de Deipara cap. 1. pag. 589. & 593. Et Metropolitana Messanẽsis Ecclesia appellatur: *LA MADONA DE LITRIO*: sive de epistola in reverentiam eius, quæ ibi magna colitur veneratione. Ergo & verosimilo

vide;

videtur, quòd aliqua, quæ in sacra Scriptura continentur, & præcipuè in Ioanne, & Luca, per se ipsam immediatè scripserit.

69 Respondeo cum Baronio, ad ann. 48. n. 25. dictas epistolas adhuc carere publica Ecclesiæ auctoritate: licèt plurimi, & graves Auctores eas extitisse, vel extare affirmẽt. Certissimum quidem est, Sanctissimam Mariam cum Apostolis, & præsertim cum Ioãne, & Luca de fidei mysterijs multa cõtulisse: præcipuè illa, quæ ad Incarnationem, Nativitatem, & infantiam D. N. Iesu Christi pertinent. Ab ipsa enim hæc Apostoli audierunt, didicerunt: ipsa dictante scripserunt, nobisque legenda mandarunt. Incredibile tamen videtur, quòd aliquid immediatè per se ipsam scripsisset, & illud inter Scripturas Canonicas cum his, quæ Apostoli scripserunt ad particulares personas, civitates, & nationes, non fuerit asservatum, & annumeratum. Hæretici quidã temerè attribuerunt Deiparæ nonnullos libros, detestandis, & abhorrendis blasphemijs refertos, quos piget referre, necdum refellere.

****
****
****

QVÆSTIO NONA.

Qui fuerint Scriptores Canonici, per quos Deus Scripturam Sacram scripserit?

70 QVONIAM Licèt Deus fuerit causa principalis effectiva sacræ Scripturæ, hanc non immediatè per se solùm, sed per homines scriptis consignavit. Quærimus qui fuerint isti? A qua quæstione breviter nos expediemus. Quia eã latè persequi non est nostri instituti, neque intenti. Pentateuchũ Moyses scripsit, Isaias, Ieremias, & reliqui Prophetæ suos scripserunt libros: Esdras scripsit suum primum librum: secundum verò eiusdem Esdræ scripsit Nehemias. Salomõ scripsit libros, Ecclesiastes, Proverbiorum, & de Canticis Canticorum. Iesus avus Iesu filij Sirach scripsit librum Ecclesiastici. Quatuor Evangelistæ Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes sua Evãgelia. Idem Ioannes Apocalypsim. Lucas Acta Apostolorum. Apostolicæ Epistolæ scriptæ sunt per illos Apostolos, quorũ nomina eis præfiguntur.

71 Quæ omnia fide sancta sunt, & manifesta videntur, vel ex traditione, vel ex textu ipso librorum Canonicorum. Quia in his significantur, & indi-

Digitized by Google

indicantur Auctores, quos numero præcedenti adduximus, & expressimus. Et contextus ipse est certius inditium, quàm titulus, qui libris præfigitur. Quia nõ desunt, qui probabiliter sentiant, librorum sacrorum titulos non esse Scripturam sacram. De quo n. 254.

72 Probabilissimè Iob suum scripsit librum: Iosue suũ. Primum librum Regum quoad priorẽ, & maiorem illius partẽ Samuel Moyses scripsit Psalmũ 89. Eman Psalmum 87. Ethan Psalmum 88. Asaph Psalmum 49. & 72. & decem sequentes. Quæ omnia solũm sunt valdè probabilia. Reliquos 135. Psalmos certissimè scripsit David.

73 Incerti omninò sunt Auctores, qui scripserunt libros sequentes, Iudicum, Regum, excepto primo vsque ad cap. 25. Ruth, Paralipomenon, Tobiæ, Iudith, Esther, Machabeorum, Sapientiæ: vt notavit Bonfron. to. 1. in Proloq. c. 7. sect. 3.

QVÆSTIO DECIMA.

Quomodò Deus Scripturas Sacras per homines scripserit?

74 QVÆSTIO Ista sub præfixo titulo multas continet, & quidem curiosas, & vtiles. Quas sequentibus explicabimus conclusionibus.

75 Prima conclusio. Deus mediis hominib⁹ scripsit Scripturas sacras, eis omnia dictando, & revelando. Ita omnes SS. PP. Scholastici, & Interpretes.

76 Secunda. Aliquando De⁹ dictavit, & revelavit Scriptoribus Canonicis à se electis omnia, quæ scribere debebant per locutionem humanam, sive humanæ similem, & voces sonoras, & articulatas. Quomodo etiam loquutus est Deus cũ Adamo, & Eva, cap. 3. Genes. cum Moyse, & Israelitis Exod. 24. quando legem eis promulgavit, cũ Samuele 1. Reg. cap. 3. v. 4. ita Abulensis & cõmuniter Interpretes, & Scholastici.

77 Nec eximius Doctor P. Franciscus Suarez nobis cõtrarius est tom. 1. in 3. p. disp. 27. sect. 2. §. *Sed occurrit secunda difficultas.* Ibi enim dumtaxat negat, Deum necessario loqui per humanam locutionem, per voces, & signa significantia ad placitum.

78 Nec item Magnus Parens August. lib. 2. de Trin. cap. 10. vbi non dubitat Augustinus de veritate conclusionis nostræ, sed de idiomate, in quo Deus per humanam locutionẽ, aut huic similem loquutus est cum Adamo, & Eva.

79 Tertia. Aliquando Deus dictavit, & revelavit per visionem aliquã externam. Isto locutionis genere Deum Moysi

Digitized by Google

si rubum, & Danieli Scripturã ostendisse, docet D. Th. 2.2.q. 173. a.3. in corp.

80 Quarta. Aliquando Deꝰ dictavit, & revelavit Scriptoribus sacris per impressionẽ, & ordinationem specierum, & imaginum in Phãtasia, seu imaginatione. Ita D. Th. loco proximè cit.

81 Quinta. Aliquando per influxum luminis intelligibilis Deus dictavit, & revelavit Scriptoribus sacris. D. Thom. loco citato.

82 Sexta. Aliquando Deus dictavit, & revelavit Scriptoribus sacris, quæ scribebant, per Angelos, vt Danieli cap. 10. v. 11. Zachariæ cap. 1. v. 2. Et Ioanni Apocalypsis cap. 1.

83 Septima. Quoties Deus humana specie, aut alia simili hominibus apparuit, & loquutus est, vt eis dictaret, aut revelaret: diceret, aut manifestaret aliquid; totum id peregit Angelorum ministerio, nunquam immediatè per se ipsum. Ita Augustinus tom. 3. lib. 8. de Trin. c. 27. & alij n. 27. supra relati, & quidem probabilissimè. Licèt etiam sit probabile, quòd multoties per se ipsum immediatè loquutus sit. Vide Antonium Fernand. vision. 6. cap. 3. comment. 2. sect. 1. vbi vtriusque sententiæ fundamẽta vberrimè expendit.

84 Octava. Aliquando Deꝰ dictavit, & revelavit Scriptoribus sacris, quæ dictare, & revelare volebat: alio modo, omnibus assignatis longè excellẽtiori, qui *ipsus* appellatur, producẽdo principaliter in eorum intellectibus supernaturalẽ cognitionem: per intimam assistentiam, & coexistentiam essentię, vel substantię divinæ in ratione principij principalis elevantis, & operãtis ad substantiam animæ in ratione principij elevati ad producendam talem cognitionem supernaturalem, absque alicuius creaturæ ministerio. Quod dupliciter fieri potest: Primò per raptum, & per alienationem à solis sensibus externis. Secundò per extasim, & alienationem à sensibus tam internis, quàm externis. Et à solo Deo fieri valet. Quia teste D. Thom. in 2. dist. 8. quem communiter sequuntur Theologi, & præcipuè Molina 1. p. disp. 56. art. 2. §. *Dicendum est*: Solus Deus sine ministerio alicuius creaturæ, aut principij creati, potest efficienter mutare intellectum, & voluntatem creaturæ rationalis, eis vtendo prout sibi placuerit. Angelus bonus, & Dæmon possunt etiam immutare tam intellectũ, quàm voluntatem hominum, his proponendo, & repręsentando, vel interius in Phantasia, sive exterius in sensibus externis obiecta. Non tamen valent in eis prin-

Digitized by Google

principaliter efficere intellectionem, aut volitionem per solam intimam assistentiam ad substantiam animæ rationalis, seu per illapsum. Quomodo Spiritus Sãctus illapsus est Apostolis: iuxta illud, quod canit Ecclesia in eiusdem Spiritus S. solemnitate in Hymno ad Laudes: *Cum Spiritus Paraclytus illapsus est Apostolis.* Vide Sanctes Pagninum in isagoge lib. 6. cap. 54. & etiam N. P. Fr. Raphaelem à S. Ioanne in suo aureo libro: *Camino Real de la perfeccion Christiana*: à n. 393. vbi eruditè agit de revelationibus, extasi, raptu, &c.

85 Nona. Deus necdum revelavit, inspiravit, & dictavit Scriptoribus sacris omnes, & singulas veritates in libris Canonicis contentas; sed etiam eisdem indidit supernaturalem voluntatem eas scribendi. Ita D. Th. 1. p. q. 36. a. 1. Et Scholastici, atque Interpretes communiter. Et probatur ex epist. 2. Petri cap. 1. vbi dicitur: *Nõ enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia. Sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines.* Nec alia opus est probatione. Hinc constat, Scriptores sacros fuisse Dei amanuenses.

**** ****
**** ****

QVÆSTIO XI.

An Scriptores Sacri liberè scripserint?

86 QVÆSTIO Præsens, sicut etiam subsequens, sub titulo præfixo quæstioni præcedenti poterant resolvi. Placuit nihilominus eas sigillatim discutere. Et circa præsentem duæ sunt opiniones. Prima tenet, quòd sacri Scriptores taliter fuerunt à Spiritu Sancto repentinè correpti, atque incitati, tam penes intellectum, quàm penes voluntatem, vt licèt sponte, & voluntariè scripserint; nõ tamen liberè. Quod explicari potest exemplo Beatorum. Hi enim sponte, & voluntariè Deum amant; nõ tamen liberè. Hanc tenet sententiam P. Valentia tom. 1. q. 1. de obiecto fidei punct. 7. quæst. 8. §. 43. versu *Deindè*.

87 Secunda absolutè est affirmativa. Quam communiter tenent D. Thom. 2. 2. q. 173. art. 3. ad 4. & Scholastici cum ipso, atque Interpretes. Non tamen cõvenit inter illos, an hæc libertas sit solùm quoad exercitium, an verò etiam quoad specificationem. De vtraque Noster Emmanuel in suo cursu Philosophico Trinitario tom. 3. num. 3292. & 3293. P. Antonius à Matre Dei, Prælud. 1. à num. 57. Sit

Digitized by Google

88 Sit prima conclusio. Scriptores sacri liberè scripserunt. Probatur primò ex 1. ad Corinth. cap. 14. v. 32. *Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt.* Quæ Apostoli verba sic exponit D. Thomas loco cit. *Dicendum, quòd spiritus Prophetarũ dicũtur esse subiecti Prophetis, quãtum ad propheticam enuntiationem, de qua ibi Apostolus loquitur. Quia scilicèt ex proprio sensu loquuntur ea, quæ viderunt, non mente perturbata, sicut arreptitij, vt dixerunt Priscilla, & Montanus; sed in ipsa Prophetica revelatione potius ipsi subjciuntur spiritui Prophetiæ, id est, dono Prophetico.*

89 Quod perinde est, ac dicere: Prophetæ, Apostoli, & reliqui Scriptores sacri (qui omnes fuerunt Prophetæ ex n. 150.) necessariò, & non liberè cognoverunt omnia, quæ Deus illis revelare dignatus est. Ipsi verò liberè manifestarunt, vel scripserunt, quæ necessariò viderunt, aut cognoverunt. In his scribendis, & manifestandis nõ se gerebant, sicut arreptitij, à dæmone possessi, amentes, & perturbati. En germana expositio Præceptoris Angelici.

90 Probatur secũdò. Decet, & nõ repugnat, quòd Scriptores sacri in scribendo mererentur. Sed nisi liberè scriberẽt libertate saltem quoad exercitium, mereri non possent. Ergo liberè scripserunt libertate saltem quoad exercitium.

91 Probatur tertiò. Deus potest vti hominibus, tanquam instrumentis humano, rationabiliq́ue modo operantibus. Ergo & liberè operantibus. Ergo ita Deus vsus est Scriptoribus sacris. Quia non est cur Deo negetur. Ergo Scriptores sacri liberè scripserunt. Patent consequentiæ, sicut & antecedens in Summo Pontifice ex cathedra definiente ea, quę ad fidem, & mores vniversæ Ecclesiæ pertinent. Insuper & in Deipara, Apostolis, & alijs in gratia confirmatis.

92 Probatur quartò. Specialis Dei assistentia, illuminatio, & inspiratio eorum omniũ, quibus Scriptores sacri indigebant, nè in scribẽdo errare possent, optime compatiuntur cum eorum libertate in scribendo. Ergo sic liberè scripserunt. Cõsequentia est legitima, & antecedens probatur primò, ex proximè dictis de Pontifice, Deipara, & alijs confirmatis in gratia. Probatur secundò, ex impeccabilitate Christi Domini, quæ cum eius libertate ad moriendum ex rigoroso præcepto optimè compatitur.

93 Et confirmatur hæc doctrina ex D. Thoma 1. p. q. 22. art. 4. in corpore, dicente: *Quibusdam effectibus Deus præparavit causas necessarias, vt ne-*

ceſſariò evenirent; quibuſdam verò cauſas contingentes, vt evenirent contingenter, ſecundum conditionem proximam cauſarum. Quibus in verbis (teſte RR. P. Henao de Sciētia Media theologicè defenſata part. 2. num. 4778.) Interpretes omnes, excepto Caietano, agnoſcunt redditam à Sancto Thoma rationem perſpicuam confœderationis efficaciæ, infallibilitatiſque voluntatis, Providentiæque Divinæ cum libertate creatorum actuum. Ita Henao.

94 Quam D. Thomæ doctrinam Doctores Dominicani, & eorum aſſeclæ, præſertim Carmelitæ Diſcalceati, & inter ipſos prædictus Antonius à Matre Dei Phyſicam prædeterminationem defendentes ſic exponunt. Deus ſe attemperat, & accommodat rerum creatarum naturis, genijs, & ingenijs, vt dicemus num. 145. Scriptores ſacri, quibus vſus eſt Omnipotens Deus veluti inſtrumentis animatis, & liberis, ad ſacros ſcribendos libros, ex natura ſua, & genio exigebant, vt humano, & rationabili modo, & conſequenter liberè ſcriberent, & in ſcribēdo æternæ vitæ meritum haberent. Scriptores ergo ſacri media Phyſica prædeterminatione efficaciter præmovebantur ad ſcribendum ea, quę Deus volebat. Et licèt in ſenſu compoſito Phyſicæ prædeterminationis non poſſent non ſcribere; quia tamen poterant non ſcribere in ſenſu diviſo: ideò liberè ſcribebant. Hoc pacto, & per hanc viam defendit Antonius à Matre Dei, dicto Prælud. 1. num. 58. libertatem ſcribendi in Scriptoribus Canonicis. Abſdubio ægrè admodum ferent Carmelitæ Diſcalceati, quòd ſuus Pater Fr. Daniel à S. Ioſepho, Polonus, tom. 1. diſp. 24. aſſerit de Phyſica prędeterminatione, ſeu de decreto prædeterminativo per hæc verba: *De hominum ſalute, quæ tota Divinæ gratiæ adiumentis, liberoque arbitrio nititur, malè mereri eos, qui conditionatā à Deo ſcientiam reijciunt: peius, qui eam agnoſcere coacti, abſoluto prædiſinitivo Decreto ſubiectam voluntē peſsimè, qui apud Theologicarum rerum indoctos, aut rectè non ſatis peritos, maledictis ſuis invidiam trahūt.* Hactenus ibi apud P. Mlodzia novvuski etiā Polonū in ſuis prędectionib. Theol.

95 Doctores verò, qui Scientiam Mediam defendunt, eiuſdem Angelici Præceptoris verba, & doctrinam longè aliter exponunt. Hi autem ſunt Sapientiſsimi omnes Patres Ieſuitæ, & cuncti etiam Trinitarij Diſcalceati, inſuper, & plerique Calceati, quorum meminit idem Sapientiſsimus Henao de Scientia Media hiſtoricè propugnata num. 1193. 1214. 1223.

Digitized by Google

1223. 1224. & novissimè eamdem etiam Scientiam Mediam defendit N. P. Fr. Emmanuel à Cõceptione in suo cursu Philosophico Trinit. tom. 2. à n. 1819 vt alios innumeros ab eodem Henao relatos prætermittam. Quam ego etiam semper, & vbiq; libentissimè pro virili defensavi, & defensabo. In hac ergo sententia de Scientia Media libertas Scriptorum Canonicorum hoc pacto defenditur. Deus contulit Scriptoribus sacris auxilia illa congrua, sub quibus per eamdem Scientiam Mediam prævidit, eos liberè scripturos quidquid ipse vellet: suaviter, & fortiter illorum intellectũ medijs suis illustrationibus illuminando, & voluntatem pijs affectionibus movẽdo: ita taliter, vt pro tunc summa cum difficultate scribere possent contrariũ eius, quod Deus inspirabat, dictabat, & revelabat. Quæ omnia, penitus illæsa eorum libertate saltem quoad exercitium, imò quoad specificationem, fieri potuerunt.

96 Sit secunda cõclusio. Scriptores sacri fuerunt liberi in scribendo libertate quoad exercitium dũtaxat, non quoad specificationem. Probatur conclusio quoad vtramque partem. Scriptores sacri in scribendo errare non potuerunt, & aliunde in scribendo meruerunt. Ergo solum fuere liberi quoad exercitiũ, non verò quoad specificationem. Vtrumque enim exigunt & Scripturæ sacræ excellentia, & Scriptoris sacri decentia.

97 Arguitur primò. Scriptores sacri comparãtur calamo, quo scribimus Psalm. 44. v. 2. *Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis.* Sed in calamo, quo scribimus, nulla est libertas. Ergo nec fuit in Scriptoribus sacris.

98 Respondeo, argumẽtum, & exemplum probare nimium. Convincunt enim sensum Scripturæ sacræ à Scriptoribus sacris percipi non potuisse, sicut nec à calamo percipi potest sensus eorum, quæ ipso scribimus. Calamo ergo comparantur Scriptores sacri in eo, quòd sicut calamus summa velocitate movetur, dirigitur, & regitur à scribente: similiter Scriptores sacri movebantur, dirigebantur, & regebantur à Spiritu Sancto ad scribendum. Magno tamẽ cum discrimine. Calamus vt instrumentum inanimatum. Scriptores sacri vt instrumenta animata indifferẽtia, & libera. Quo pacto Summus Pontifex ex cathedra definiens: Sacerdos absolvens, & consecrans sunt etiam instrumenta animata, & libera.

99 Summa ergo illa velocitas, & facilitas scribendi, imò, & loquendi, dumtaxat arguunt

guunt in Scriptoribus sacris miram sapientiam, & notitiam, vel peritiam egregiam eorum, quæ scribebant, vel loquebantur, non verò necessitatem cõtrariam libertati, ad merendum sufficienti.

100 Et explicari potest exemplo Deiparę Virginis Mariæ, Apostolorum, & aliorum, qui fuerunt confirmati in gratia, quorum voluntas per speciale Divinam providentiam sic movebatur, & regebatur vt Deus nõ permitteret, illos peccare. Videndi sunt Divus Thomas q 24. de veritate, art. 9. & 4. contra Gentes, cap. 70. & in 3. dist. 3. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. & alij.

101 Arguitur 2. ex Illustriss. Abulensi Num 12. q. 3. sic dicente: *Si Moyses fuisset suæ libertati relictus: nõ sic de se scripsisset. Erat enim Moyses vir. mitissimus.* Et aliunde se sic libere laudare, quoddam iactantiæ genus fuisset. Ne ergo hoc dicatur, sentiendum est, Moysem, qui fuit primus Scriptor Canonicus, libere non scripsisse. Et idem dicendum videtur de reliquis.

102 Respondeo, Abulẽsem loqui de libertate a præcepto, & obligatione. Si enim Moysi non fuisset impositum præceptum vocandi se ipsum mitissimum, & obligatio laudandi se ad maiorem Dei gloriam, nec seipsum mitissimum vocasset, aut laudasset.

103 Claritatis gratia explico Abulensis testimonium: *Si Moyses fuisset suæ libertati à præcepto relictus*: non sic de se scripsisset, concedo. *si solæ libertati indifferentiæ, & ad merendum sufficienti*, nego antecedens, & consequentiam.

104 Moyses ergo vehementem habuit Spiritus Sancti afflatum, & impulsum ad ita de se libere scribendum. Et idem dicendum est de cunctis Scriptoribus sacris. Et explicatum manet exemplo Summi Pontificis.

105 Arguitur 3. Scriptores sacri permoti impulsu, vi, afflatu, & impetu Spiritus Sancti scripserunt. Ergo non libere. Consequentia patet à paritate Vatum Ethnicorũ, qui necessario & non libere loquebãtur, & operabantur. Quia permoti, correpti, & acti impetu, & impulsu Dæmonum, loquebantur.

106 Concessio antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est. Dæmonum impulsus, vis, & impetus potest indirecte, licet non directè hominis libertatẽ tollere. Et Spiritus Sancti impulsus illęsam creatam libertatem relinquens, potest voluntatem creatam modo superius explicato suaviter, & fortiter movere. Ita Divus Thom ad

Rom.

Digitized by Google

Rom. 8. v. 14. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt Filij Dei.* Vbi sect. 3. sic ait: *Homo spiritualis non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter; sed ex instinctu Spiritus Sancti inclinatur ad aliquid agendum secundum illud Isaiæ 56. Cum venerit quasi fluvius violentus, quē Spiritus Dei cogit. Non tamen per hoc excluditur quin vires spirituales per voluntatem, & liberum arbitrium operentur. Quia ipsum motum voluntatis, & liberi arbitrij Spiritus Sanctus in eis causat.* Quid clarius dici potuit?

107 Similiter Marcus cap. 1. v. 12. ait: *Et statim Spiritus expulit eum in desertum.* Et Lucas cap. 4. v. 1. *Et agebatur à Spiritu in desertum.* Quibus vocibus neutiquam significatur à Christo Domino fuisse ablatā libertatem eundi in desertum, imò potius Christus Dominus à Spiritu S. expulsus, & actus, (vt vtar participijs derivatis à verbis, quibus vtuntur Marcus, & Lucas liberrime perrexit in desertum. Pariter ergo quamvis Scriptores sacri impulsu, vi, afflatu, & impetu Spiritus Sancti correpti, acti, vel permoti scripserint, libere scripserunt, saltem libertate quoad exercitium.

108 Cæterum Ethnici Vates, Divini, vel Prophetæ impulsu Dæmonum acti, correpti, & agitati, non erant liberi ad huc libertate quoad exercitiū: sicut nec esse solent arreptitij, & à Dæmonibus obsessi, vt diximus cum D. Thom. num. 88. & ipse D. Thom 1. 2 q. 80 art 3. expresse tenet, quod Dæmones possunt indirectè, & mediatè, voluntatem creatam ad agendū necessitare: perfectum vsum rationis impediendo: phantasiam perturbando organa loquendi, ambulandi, &c movendo: & varia obiecta tam in sensibus externis, quam internis proponēdo, & repræsentando intellectui, & voluntati, iuxta dicta num. 84. Quamquam ex ibidē dictis nō possint Dæmones immediatè, & directè immutare intellectum, aut voluntatem hominis, & ab isto libertatem auferre. Vide D. Thomam loc. citat & q 6. de potent. art. 5 ad 3. & 4. & 2. 2. q. 165. art. 2. ad 4. Victoriam in Relect. de Magia, num. 19. ad 2. Delrium de Magia lib. 2. q. 19 N. P. Fr. Leandrum à SS. Sacramento, p. 6. tract 9. disp 5. q. 31. & novissime N. P. Fr. Raphaelem à S. Ioanne in suo aureo lib. *Camino Real de la perfeccion Christiana, n.* 400. & 426.

109 Insuper Scriptores sacri intelligebant, quæ scribebant: & eorum, quæ dixerant, memoriam retinebant Ethnici autem Vates, nec quæ dicebant intelligebant, nec eorum postea memoriā habebant. Scrip-

Digitized by Google

tores sacri, quando raptum, aut extasim patiebantur in suis revelationibus ex n. 84. nihil indecorum, indecens, & inordinatum permittebant: teste D. Th. 2 2. q. 173. a. 3. Quia raptus,& extasis,quæ sunt à Spiritu S. nullum indecorum, aut indecentem motum in se permittunt: vt notat Caietanus. Contra verò Ethnici Vates, vel Divini multos indecoros, & indecentes motus semper,vel saltem plerumque patiebantur. Quare disparitas est multiplex, & clarissima.

QVÆSTIO XII.

An Spiritus Sanctus sacris Scriptoribus singula dicta verit verba?

110 IN Percelebri quæstione præsenti non defuere, qui negativam partem amplecterentur, dicentes,Auctores sacros in libris Canonicis spiritu interdum proprio, & humano: sine speciali Divina supernaturali singulorũ verborum inspiratione, aut revelatione loquutos fuisse. Quod ita testificatur Hieronymus in comment. ad cap. 5. Micheæ, &in procem.super epist.ad Philemonem. Pro eadem parte, & sententia negativa referuntur Bonfrer, Cantapretensis, Sanchez, Tirinus, Scalante à P.Fr. Antonio à Matre Dei, prælud. 1. n.29.& addit, Eximium Doctorem P. Franciscum Suarez fortè in re nõ dissentire ab illis. In quo absdubio, & non fortè Carmelita Discalceatus excessit. Quia Suarez disp 5. de fide sect.3. n. 4. contrariam sententiam expresse tenet. Numero enim 3. hanc Scripturæ sacræ definitionẽ præmittit: *Est Scriptura instinctu Spiritus Sancti scripta,dictantis non tantum sensum, sed etiam verba.* Et n. 4.ait: *De tertia particula, videlicèt, Scripturam,vt Canonica sit, debere esse à Spiritu Sancto, etiam quoad verba: aliqui dubitant::: Nihilominus dubitandum non est de veritate, & necessitate illius particulæ.* Quid clarius? Duplex autem modus, quo id fieri potest, ab eodem Suarez n. 5. assignatus, nimirum, vel per specialem motionem antecedentem, vel per specialem assistentiam, & custodiam: in re coincidit cum modo, quem n. 95 assignavimus in sentẽtia Scientiam Mediam defendente, & Physicam prędeterminationem impugnante. Et toto cœlo differt necdum in vocibus, sed etiam in re, à sententia negativa. Et ipsissimum tenet idẽ Antonius à Matre Dei: esto Physicam prædeterminationem defendat.

111 Sententiam istam negativam Doctissimus Melchior

Digitized by Google

chior Cano lib. 2. de locis, cap. 17. in principio vocat *errorem impium*. Addit huius erroris notam Erasmo, & alijs inustam fuisse. Azor tom. 1. institut. lib. 8. cap. 1. quæsito 11. dicit istã sententiam tutò non posse defendi. Et Cantapetrensis lib. 8. hypoth. cap. 4. quia dicere ausus est, suam, & negativam sententiam propius ad veritatem accedere: per Hispanũ Expurgatorium, anno 1632. deleri iussus est.

112 Sit nostra conclusio affirmativa. Quam tenent communiter Sancti Patres, & Doctores, præcipuè Hieronymus locis citatis, & alibi sæpè, Augustinus concion. 2. in Psalm. 90. & lib. 7. Confess. Ambrosius in proœm. Lucæ, Gregor. in præfat. ad libros moral. ad lib. Iob. cap. 1. & ferè omnes Scholastici, & Interpretes, præsertim Suarez disp. 5. de fid. sect. 3. n. 4. Ioãnes à S. Thom. 2. 2. disp. 9. a. 1. pag. mihi 753. Cano lib. 2. de locis cap. 18. in principio, & lib. & cap. 5. Bellarm. in Psalm. 44. v. 1. & 2. Salmerõ Prolog. 26. vt alios omittam. Quam certã iudicamus, & meritò quidem, vt ex proximè dicendis constabit.

113 Probatur primò ex his, quæ Scriptores ipsi sacri de se ipsis testificãtur. Exodi enim 4. v. 12. dicitur. *Perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris.* Psalm. 44. v. 1. & 2. *Eructavit cor meum Verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis.* 2. Reg. cap. 23. v. 1. *Spiritus Domini locutus est per me: & sermo eius per linguam meam.* Amos 3. v. 1. *Audite Verbum, quod locutus est Dominus super vos.* Matth. 10. v. 19. & 20. *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ad Hebræ. 1. v. 1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* Ex quibus omnibus, & alijs (quæ brevitatis causa prætermitto) constat, & quidem certissimè, Deum Optimũ Maximum, vt potè principalem, & specialissimum sacræ Scripturæ Auctorem Scriptoribus sacris, & Auctoribus instrumentalibus, & minus principalibus, quorum opera, & manu ad eiusdem sacræ Scripturæ scriptionem vti dignatus est: nõ solùm revelasse, inspirasse, dictasse, & suggessisse sententias omnes; verum etiam omnia, & singula verba horum seriem, & ordinem: & vsque ad vltimum jota, apicem, litterarum puncta, & summitates, similiter revelasse, inspirasse, suggessisse.

114 Dices. Probatio ista valde imbecillis, & infirma est.

Tum

Tum quia videtur manifesta principij petitio. Tum quia testimonium domesticum valdè suspectum est, debile, & imbecille. Tale autem est ex præiactis testibus desumptum. Quandoquidem ex ipsis Scriptoribus sacris probamus nihil esse in libris Canonicis, quod non sit revelatum, inspiratum, dictatum, & suggestum per speciale Spiritus Sancti afflatum. Cum tamè hoc ipsum sit, de quo quæritur.

115 Peringenuè fatemur, probationem istam contra negantes existentiam, vel veritatem Scripturę sacrę valdè imbecillem esse. Ideò in simili dictum est n. 14. existentiam sacræ Scripturæ ex ipsa probari non posse. Tum quia antequam ex Scriptura aliquid probetur ipsius Scripturæ auctoritas, & fides debet aliundè constare, aut probari. Ne principiū manifestè petatur: nè circulus vitiosus contra Dialecticæ regulas committatur. Tum quia ex C. testes 24. ff. de testibus. L. Nullus, ff. de testam. domesticum, & proprium testimonium semper est imbecillimum: vt optimè ponderatur in replica. Quarè sicut sacræ Scripturæ existentia aliundè quàm ab eadem Scriptura probanda est: nimirum ex traditione Apostolica, & auctoritate Ecclesiæ: adversus illos, qui illius existentiā negant. Ita similiter conclusio præsens adversus eos, qui negāt Deum Scriptoribus sacris singula dictasse verba, extra Scripturā, rationibus prudenter credibilis fieri potest, & debet.

116 Verum enim verò contra eos paucos Catholicos, qui veritatem, & existentiam Scripturę sacræ confitentes, cōclusionem nostram negant: ex præiactis auctoritatibus absdubio efficaciter probatur. Quòd sine circuli vitiosi vitio fieri n. 195. persuadebimus, & explicabimus, & quidem clarissimè. De prima ergo probatione satis dictum est. Deinceps, vt erat propositum, ad reliquas pergamus.

117 Probatur igitur 2. Dignitas, & auctoritas Scripturæ sacræ exigunt, vt nihil, nihil, nè minimum quidem, sit in illa, quòd à Spiritu Sancto specialiter non sit dictatum. Ergo omnia, & singula, quæ sunt in ea, à Spiritu S. specialiter dictata sunt Scriptoribus sacris. Probatur antecedens. Si in Scriptura sacra minimum quid reperiretur, quod à Spiritu Sancto non esset specialiter dictatum: *Tota Scripturarum vacillaret auctoritas, ideòque, & fides nostra.* Verba sunt Magn. Parēt. Augustini lib. 1. de doctrin. cap. 27. Qui etiam poterit videri epist. 9. ex qua desumptus est Canon *Si ad Scripturas*, dist. 9. Tota, & in

Digitized by Google

integra Scriptura sacra posset reprobari: nullum firmum, irrefragabile, & certum fidei nostræ argumentum ex illa posset desumi. Totius Scripturæ sacræ certitudo, & consequenter illius dignitas, & excellentia penitus interiret: vel saltem magna ex parte labefactaretur, & titubaret. Ergo &c.

118 Confirmatur. Instrumentum in parte falsum: penes totum reputatur falsum, & nulla fide dignum: teste Gabriele Pareja de instrum. edit. pluribus in locis, & probatur à Barbosa in collect. ad cap. *si ad scripturas*, dist. 9. Ergo similiter, si aliquid, quantumvis minimum, esset in sacris Scripturis solo humano spiritu, & modo scriptum, vel commemoratum: ipsæ penes totum, quod in eis continetur; reputarentur solo humano modo, spiritu, vel more scriptæ. Ergo, & reputarentur falsitati, & mendacio, atque errori obnoxiæ, sicut quævis scripturæ humanæ, & profanæ. Abisdubio igitur sacræ Scripturæ dignitas minor esset: illius auctoritas vacillaret, titubaret. Firmiter ergo credendum, aut tenendum est, quod Deus Optimus Maximus Scriptoris sacri calamum, manum, linguam, & mentem taliter moverit, & rexerit per aliquod speciale supernaturale auxilium actuale transiens, vel habituale permanens: vt adhuc per negligentiam, humanam fragilitatem, oblivionem, aut similem causam errare non potuerint: vel rem vnam, vel verbum, apicem, vel jota vnum, pro alia, vel pro alio ponendo.

119 Quemadmodum ergo verba, quæ lingua loquitur, vel quæ calamus scribit, à spiritu loquentis, vel scribentis dictantur. Similiter omnia, & singula verba, apices, & jota Scriptoris Canonici à Spiritu S. dictantur. Etsi inter legendum Scripturam sacram malignus spiritus suggesserit nobis: Quomodo sic esse potest, & eiusmodi? Quomodo sic res se habere potest? Respondebimus cũ Domino Iesu Matth. 4. v. 10. *Vade Satana.* Credo Deo, & credo sermonibus Dei. Quia eloquia Dei eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Nihil, nihil est in Dei eloquijs, sive sermonibus obliquum, vel tortuosum.

120 Magnus Parens Augustinus de consens. Evang. lib. 2. cap. 12. sentit, hoc vno argumento cõclusionem nostram esse satis ostensam, & demonstratam. Si enim in libris Canonicis vna quælibet falsitas, vel in minimo verbo, jota, apice, vel puncto inveniri posset; totius Scripturæ sacræ auctoritas, vel certitudo statim titubaret

baret, vacillaret, penitus periret.

121 Tertiò probatur nostra conclusio ex dictis n. 16. & 110. Nisi omnia, & singula sacræ Scripturæ verba sint specialiter dictata à Spiritu Sancto non salvatur illius distinctio, & differentia à cæteris scripturis, quarum veritates, & sensus etiã dictãtur à Spiritu S. & non sunt Scriptura sacra, aut Canonica. Ergo. Probatur assumptum Licèt sensus, & veritates definitionum, & decretorum Summi Pontificis, aut Concilij Generalis per eumdem Pontificem confirmati, dictentur à Spiritu Sancto: quia tamen singula verba non ita dictantur: Concilia Generalia, & Summorum Pontificum decreta, aut definitiones non sunt Scriptura sacra. Ergo.

122 Confirmatur ista ratio, & explicatur. De essentia Scripturæ sacræ est esse dictatã specialiter quoad omnia, & singula à Spiritu Sancto. Ergo nullum est verbum in illa, quod ita non sit dictatum. Quod si aliqua verba solo humano more, & spiritu, vel scripta, vel cõmemorata sunt: nihil obstare videretur, quominus in eadem Scriptura sacra error aliquis, vel mendacium inveniretur. Iam verò si in Scriptura sacra errorem, aut mẽdacium invenire possemus: principalem illius Auctorem esse Deum Optimum Maximũ, qui nec fallere, nec falli potest; quis sibi persuadere valebit?

§. VNICVS.

Contraria soluuntur argumenta.

123 AD Maiorem cõclusionis nostræ firmitatem operæpretiũ duxi contraria solvere argumẽta, esto imbecillia. Quamquam nonnulla de industria prætermittam, quæ nimirum faciliora videntur, quàm quibus solvendis aut oleum, aut operam insumere deberem.

124 Arguitur ergo primò. Non videtur dignum, quòd Spiritus Sanctus Scriptoribus sacris omnia, & singula verba dictaverit. Ergo non dictavit. Probatur antecedens. Non videtur dignum Maiestate Divina, quod specialiter dictaverit Paulo scribẽti ad Timoth epist. 2. cap. 4. v. 13. verba ista: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum.* Et illa, quæ dicuntur Tobiæ 11. v. 9. *Tunc præcucurrit cani, qui simul fuerat in via; & quasi nuntius aduehiens blandimento suæ caudæ gaudebat.* Ve omittã alia plura id genus, quæ videntur indigna gravitate, & Maiestate Divina. Ergo non videtur dignum, quòd Spiritus S. Scriptoribus sacris omnia, & singula verba dictaverit. Imò omnino in-

Digitized by Google

indecens,& indignum videtur, Spiritus Sancti Maiestatem ad naturales, & evidentes humani corporis necessitates deducere.

125 Confirmatur istud argumentum. Sicut Deus non deest in necessarijs,ita non abūdat in superfluis: teste Aristotele. Sed, vt Scriptores sacri scriberent ea, quæ oculis videbant, auribus audiebant, manibus attrectabant, & naturaliter cognoscebant; non erat necessaria specialis Divina supernaturalis inspiratio,revelatio, & dictatio; sed sufficiebat naturalis, & humana industria, & applicatio. Ergo hæc sola, sine illa extitit, saltem in scriptione earum rerum, quas Scriptores sacri videbant, audiebant, &c. Ergo Scriptores sacri non semper, & in omnibus habuerūt Spiritum Sanctum, in illis manentem, & singula verba dictantem,aut loquentem. Præsertim cum videatur hoc fuisse peculiare Christo D. iuxta illud Ioann. cap. 1. v. 33. *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, &c.*

126 Vt respondeam,noto, duplicem dari revelationēt inspirationem, & dictationem: vnam formalem, immediatam, & expressam,quæ propriè dicitur, & absolutè revelatio. Alia est virtualis, mediata, implicita,& remota,& quæ impropriè, & secundum quid dicitur revelatio. Licèt Scriptores sacri non habuerint immediatam,formalem, & expressam revelationē, & dictationem omnium singularum partium, & vocularum Scripturæ sacræ,vt hanc scriberent: habuerunt tamen virtualem, mediatam, implicitam,& remotam. Et necdum res ipsas, & sententias; verumetiam verbula, voculas, litteras omnes, jota, & apices scribebant, aut scribi faciebant ex peculiari Spiritus Sancti afflatu, inspiratione, & instinctu,sive assistentia. Et non poterant ponere adhuc per inadvertentiam, incogitantiam, oblivionem, negligentiam, humanam fragilitatem,aut aliam similem causam: rem pro re,sententiam pro sententia, vocem pro voce, sylabā pro sylaba, litteram pro littera, punctum pro puncto, sive hoc fieret per auxilium supernaturale transiens, sive per habituale permanens, quo mens, volūtas, manus, lingua, & reliqua Scriptoris Canonici membra coaptabantur, & disponebantur ad sic sine vllo, licèt minimo, errore scribendum.

127 Ideò dicitur Ioan. 14. v. 26. *Paraclytus Spiritus Sanctus ::: docebit omnia,& suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Id est,dicebat Christus D. ad discipulos suos: Spiritus Sanctus necdum vobis suggeret, dictabit, revelabit, patefa-

faciet ſupernaturales, & omnino abſtruſas veritates (quarum revelatio propriè dicitur revelatio) ſed etiam naturales, quas vidiſtis, audiſtis, palpaſtis, manibus attrectaſtis: naturaliter, & ſpōtè cognoviſtis: queq́; mentibus veſtris alias humano more nō poterant nō occurrere: dum vultis loqui, aut ſcribere. Quæ revelatio non propriè, & preſsè, vel preſsiſsimè revelatio, aut dictatio dici poteſt; ſed impropriè. Quando igitur Ioannes, & Matthæus ſcribebāt viſa: Marcus, & Lucas audita: non indigebant nova expreſſa, & formali revelatione Diuina: indigebant tamen ſpeciali Spiritus S. directione, & dictatione, qua illorum calamus attemperaretur: nè ipſi in ſcribendo laberentur.

128 Ideò inquit Paulus ad Corinth. 2. cap. 13. v. 3. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* Vobis videtur, quod humano more loquor. Non eſt ita. Spiritu Sancto inſpiratus loquor omnia, quæcumque loquor, & ſcribo. Et Matth. 10 v. 1. *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*: ait Chriſtus D. Quod iuxta eſt, ac ſi diceret: Præcipio vobis, nè cogitetis quid, aut quomodo loquamini, vel ſcribatis. Spiritus enim Sāctus dabit vobis quid, & quomodo loquamini, vel ſcribatis.

129 Notandum etiā eſt, quòd ea, quæ primo aſpectu videntur nobis indigna Deo, ſæpè ſunt digniſsima. Quod patet in his, quæ Verbum Divinum Incarnatum, in humanitate aſſumpta fecit, & egit. Et ſicut in rebus naturalibus multa, quæ videntur inutilia, aut ſuperflua; vt pulices, muſcæ, & alia id genus: nihilominus, vt ſunt partes vniverſi, ad huius pulchritudinem ſummopere conducunt. Similiter ea, quæ ſecundum ſe videntur nullius pōderis, & momenti, eo, quòd nec ad fidem, nec ad mores pertinere videantur. Nihilominus ad hiſtoriæ ſacræ integritatem, & legentiū vtilitatem plurimum conducere poſſunt, & multa abſtruſa myſteria in eis deliteſcere ſolent. Et quidquid in Scriptura ſacra ſcriptum eſt, licèt ſecundum ſe ſumptum parvi, aut nullius momenti appareat, tamen ſemel atque in illa ſcriptum ſit, magni ponderis, & momēti eſt, & ad fidem pertinet. Et digniſsimum eſt, quòd Spiritus Sanctus ſpecialiter illud inſpiret, dictet, revelet: & quod idē Spiritus S. ſpecialiter provideat, nè Scriptor ſacer erret.

130 In forma reſpondeo ad argumentum, negando antecedens. Ad primā huius probationem de penula Pauli multam, & variā eruditionem nullo negotio poſſemus afferre, ſicut eam

Digitized by Google

eam invehit Antonius à Matre Dei hìc prælud. 1. num. 87. & sequentibus. Sed nè in alienam messem mittere falcem videamur, eam prætermittimus, & ad alia, quæ nos vocant, properamus. Et profectò, si oratio Pauli, & quæ hactenus dicta sunt, colo, & comate aptius distinguerentur, vt in simili ait Melchior Cano, non oporteret respondere. Respondendum tamen est, & dicendum, per ly *Penula* iuxta Hieronymum intelligi volumen, vel librum legis: iuxta Chrisostomum loculos, sive thecam, seu manticam, scriniolum, & capsam, vbi libri asservabantur: iuxta D. Thomã vestem Consularem, & Senatoriam, Paulo à Patre relictam, quam Apostolus Romę induere solebat, vt meliorem Christianorum redderet causam: iuxta alios, vestem sacram, Casullam, planetam, aut cappam Ecclesiasticam. Vocula ergo *Penula* digna est, vt à Spiritu Sancto specialiter inspiretur, dictetur, & non tam parvi põderis, vt Erasmus, & alij existimant.

131 Ad locum Tobiæ de Cane, servata proportione, dicendum est. Illud namque canis gaudium nos edocet gratitudinem erga Deum, summũ nostrum benefactorem, & Dominum. Et gaudium parentum Tobiæ anticipavit. vt alia omittam, sicut, & delirium aliorum, qui dixerunt, in cane inveniri naturalẽ instinctum ad dæmones cognoscendos: & ad hunc finem à Tobia canẽ fuisse aliatum in via.

132 Ad Confirmationem, concessa maiori, nego minorẽ, & primam consequentiam. Ad secundum dicendum, quod nihil peculiare Christi Domini, conceditur Scriptoribus sacris in nostra doctrina. Christus enim Dominus toto vitæ suæ decursu ex speciali Spiritus Sancti afflatu, vel motione loquutus est. Nullum vnquam protulit verbum, quod à Spiritu Sancto non fuerit specialiter dictatum. Sacratissima Christi Domini lingua continuũ fuit Spiritus Sancti instrumentum. At Scriptores sacri tunc tantummodo, quando Deus dignabatur eis vti, vt instrumentis ad scribendum, vel loquendum, accipiebant verba ab eodem Spiritu Sancto ex infinita Dei sapientia, bonitate, & omnipotentia, vt labi non possent.

133 Arguitur secundo: Scriptores sacri, præcipuè Paulus, haud semel affirmant, se, & non Dominum loqui. Imò exprimunt, quid Deus, quid ipsi loquantur: & ponunt differentiam. Ergo dicendum est, Spiritum Sanctum non semper dictasse singula verba Scriptoribus sacris. Consequentia tenet, & antecedens, præterquamquod vi-

Digitized by Google

videtur expressa sententia Basilij, Ambrosij, & Originis, ab his, & gravissimis Auctoribus confirmatur exemplis, & testimonijs Sacræ Scripturæ clarissimis. Paulus enim 1. ad Corinth. cap. 7. v. 12. ait: *Nam cæteris ego dico, non Dominus.* Prædixerat autem v. 12. *Præcipio, non ego, sed Dominus.* Et rursus ait v. 25. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tanquam misericordiam consequutus à Domino.* En ergo Paulus in suis epistolis aliquãdo ita loquitur: *Dominus dicit, non ego.* Aliquando autem, *ego dico: non Dominus.* Moysem similiter aliquando ex propria auctoritate, aliquando ex Divina, loquutum fuisse, videtur convinci, & quidem patenter ex eo, quod Christus Dominus dicit Matthæi 19. v. 8. *Moyses ad duritiem cordis Vestri permisit Vobis dimittere Vxores Vestras: ab initio autem non fuit sic.*

134 Respondeo negando antecedens, ad primam huius probationem dico, Paulum adhuc in illis ipsis verbis, in quibus ex proprio spiritu loqui videtur, & non ex speciali motione Spiritus Sancti, ex ista loqui. Ideo concludit Apostolus dicta epist. 1. ad Corinth. cap. 7. v. 40. *Puto autem, quod, & ego spiritum Dei habeam.* Sanctus Thomas ita exponit verba Pauli lectione 2. v. 2. Et idem dicendum de cæteris Scriptoribus sacris, qui licet interdum loqui videantur, & scribere, vt homines præcisè, vtque humana imbecillitas ferre poterat, revera tamen semper, & vbique loquebantur, & scribebant ex speciali afflatu Spiritus Sancti, quando sacros scribebant libros. Et quamquam essent pure humana: aut quæ ipsi viderant, vel audierant, vel attrectaverant, ea, quæ scribebant: & ad hæc scribenda non indigerent expressa & propria revelatione Divina, & nova. Nihilominus ea scribebant, vel dictabant, vt Prophetæ, vel Scriptores sacri ex motione speciali Spiritus Sancti, ne vllo modo in illis errare possent. Basilius autem, Ambrosius, & Origines à nobis stant apertissime, & solum dicere voluerunt locis citatis, Scriptores sacros non indiguisse propria, & speciali dictatione, vel revelatione Spiritus Sancti, ad scribenda ea, quæ viderant, vel audierant, vel attrectaverant. Non tamen negant specialem Divinam assistentiam num. 126. assignatam. Quia in eorum sententia Scriptores Sacri, adhuc illa, quæ viderant, audierant, &c. Et aliunde quam ex rigorosa, & expressa revelatione Divina, cognoverant: tamen Spiritu Sancto singula verba, apices, & jota dictante, scribebant. Ita Melchior Cano lib. 2. de locis,

Digitized by Google

cis, cap. 18. ad 2. & Antonius à Matre Dei ex illo, Præludio 1. num. 98.

135 Arg. 3. Nemihem potest pœnitere verborum, quæ impellente Spiritu Sancto, scripsit. Sed Paulum pœnitet verborum, quæ ad Corinth. scripsit, iuxta illud, quod ipse de se testatur 2. ad eosdem Corinth. cap. 7. vers. 8. *Quoniam, etsi contristavi vos in epist. non me pœnitet, & si pœniteret, videns, &c.* Ergo ea Paulus ex proprio spiritu scripsit, non autem dictante Spiritu Sancto.

136 Confirmatur non leviter, sed gravissime. Idem Paulus eadem epist. 2. ad Corinth. cap. 1. num. 21. testificatur, se in insipientia, aut insipienter locutum fuisse verba, quæ loquutus est ad Corinthios. Sed blasphemum est dicere, quod Paulus, vel quilibet alius insipienter, stulte, vel imprudenter loquutus sit verba, quæ Spiritu Sancto inspirante, & impellente loquutus est. Ergo ea non est loquutus, vt à Spiritu Sancto dictata. Cætera patent, & maior probatur ex verbis Apostoli loco citato: *In quo quis audet (in insipientia dico) audeo ego.* Ergo.

137 Respondeo verbum *pœnitere* dupliciter accipi posse. Primò accipi potest pro eodem, ac aliquem pœnitentia affici, & respicere, postquam peccavit, erravit, aut aliquid stulte, insipienter, & imprudenter egit, dixit, scripsit, &c. Quod frequens est in nobis. Secundò pro eodem ac tristari: tristem esse: eo quod alter dolorem aliquem passus est. Vt, cum parentes tristantur, quando vident filios dolentes. Paulus igitur in hoc posteriori sensu accipit ly *pœnitet*, & *pœniteret* loco citato, non in priori, & quasi qui in scribendo, & reprehendendo Corinthios per suam epistolam peccaverit, erraverit, stulte, vel insipienter egerit. Quemadmodū enim parentes tristitia quadam afficiuntur, quando filios corrigunt, puniunt, & dolentes inspiciunt: verum illico lætantur, quando correctionem, & pœnam, atque dolorem conduxisse ad salutem, aut emendationem advertunt; ita similiter Paulus. Et hoc ipsum, & nihil aliud voluit Apostolus significare per ly *pœniteret*. Concessa ergo maiori, distinguo minorem: intellecto ly *pœniteret* in posteriori sensu, concedo; in priori, nego minorem, & consequentiam.

138 Ad confirmationem respondeo, ipsum Paulum sufficientissimè explicare, de qua insipientia loquitur: de illa, nimirum, quæ apud imperitos, & stultos huius mundi stultitia, & insipientia est: apud Deum verò vera sapientia, & prudentia. De

Digitized by Google

qua vera prudentia, & de eius partibus N. P. Fr. Raphael à Sancto Ioanne in dict. lib. *Camino Real*, à num. 46. doctissimè tractat, vt læpè alias. Prædixerat enim eadem epist. 2. ad Corint. eodem cap. 11. v. 16. *Iterum dico gaudete (ne quis putet me insipientem, ac pite me, vt ego modicum quid glorier) quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ.* Et cap. 12. v. 6. *Nam etsi voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam.* Et v. 11. *Factus sum insipiens, vos me coegistis.* Revera igitur Paulus sapienter loquebatur, & in his, quæ loquebatur, & scribebat, sapiens erat. Sed quasi insipiens, qui tanquam stulti, & insipientis personam assumere videretur: dum se ipsum ex Divina inspiratione, & impulsu ad maiorem Dei gloriam iactabat, laudabat. Semetipsum iactare, aut laudare hominis stulti, & insipientis proprium videtur. Nisi quis non sponte, sed coactus: nō ex vanitate, sed ex charitate, vt Apostolus semetipsum laudet, iactet. Tūc semetipsum laudare, & iactare oportet, imò expedit, & decet. Ideò idē Apost dicta epist. 2. ad Corinth. cap. 12. v. 1. ait: *Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones.* Et nē quis suspicaretur in sua laude Paulū propriam, humanam, & vanam gloriam, aut arrogantiam quæ reprehendere; prædixerat cap. 10. v. 18. eiusdem epist. 2. *Qui gloriatur, in Domino glorietur, non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat: : : Non ego, sed gratia Dei mecum.* Et in eadem epist. 2. cap. 3. vers. 5. ait: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ad tertium argumentum, eiusque cōfirmationem, satis, ni fallor, dictum est.

139 Arguitur 4. Si Spiritus Sanctus singula verba scriptoribus sacris dictasset, omnes eundem vniformem, & continentem semper servassent stylum in suis libris. Sed non servant. Ergo nec Spiritus Sanctus singula verba eis dictavit. Consequentia tenet. Minor legenti libros sacros manifeste constabit. Quisnamque non advertet stylum Isaiæ esse elegantiorem stylo Ieremiæ, & Amos? Maior etiam videtur notissima, præsertim si attendamus, & inspiciamus libros compositos à Cicerone, Quintiliano, Aristotele, Hieronymo, Augustino, Thoma, & aliis Scriptoribus non sacris. Quia isti communiter servant vnum, & eundem stylum.

140 Ad hoc argumentum in primis respondere possemus dicendo cum Mag. Par. Au-

Digitized by Google

Augustin. lib. 4. de doctr. Christ. cap. 6. intelligentibus revera sacros libros, nihil videri eloquentius, sicut eis nihil videtur sapientius. Addit S. Doct. omnes, qui rectè intelligunt sacros libros, & quid Scriptores sacri loquuntur, simul intelligere, eos non aliter loqui debuisse. Sicut enim quædam eloquentia est, quæ iuvenilem ætatem decet: alia quæ senilem. Nec eloquentia dicenda est, si personæ non congruat eloquentia. Ita est quædam eloquentia, quæ viros summa auctoritate dignissimos, planeque divinos decet. Huiusmodi eloquentia Scriptores sacri, etiam Ieremias, & Amos loquuti sunt. Nec ipsos decebat alia eloquentia, nec alios ipsa. Ipsis enim congruebat, alios autem, quanto videtur humilior, tanto altius, non ventositate, sed soliditate transcendit. Hæc ille. Prosequitur Sanct. Doctor: admiror, & stupeo, quòd ista nostra eloquentia vsi sunt per alteram quandam eloquentiam suã, vt nec eis deesset nec emineret in eis. Quia nec improbari ab illis, nec ostentari oportebat. Quorum alterum fieret si vitaretur. Altetum putari posset, si facile cognosceretur. Et in quibus fortè locis agnoscitur à doctis, tales res dicuntur: vt verba, quibus dicuntur, non à dicente adhibita, sed ipsis rebus velut sponte subiuncta videantur. Hactenus Augustinus.

141 Ibidem ipse: *Vbi eos* (Scriptores Canonicos) *non intelligo, minus quidem ipsa mihi apparet eloquentia eorum, sed eam tamen non dubito, esse talem, qualis est vbi intelligo.*

142 Et post commendatam Pauli eloquentiam, loquendo de eloquentia Amos (qui fuit Pastor, aut Armentarius, & aliorum Prophetarum, ait: *Dicendũ ergo mihi aliquid video esse, & de eloquentia Prophetarum. Et ex illius libro potissimum hoc faciam, qui se Pastorem, vel Armentarium fuisse dicit: & plura quidem, quæ pertinent ad præcepta eloquentiæ in hoc ipso loco, quẽ pro exemplo posuimus, reperiri. Sed bonum Auditorem non tam, si diligenter discutiatur, instruit, quam si ardenter pronuntietur, accendit. Neque enim hæc humana industria composita, sed diuina mente sancta, & sapienter, & eloquenter: non intenta in eloquentiam sapientia, sed à sapientia non recedente eloquentia.* Huc vsque Augustinus ad cap. 6. Amos vs. *Væ vobis.*

143 En Mag. Pan. Augustinus & ipse quidem eloquentissimus, quando, & vbi intelligebat Prophetã Amos, esto Pastorem, & Armentarium, Ieremiam, & alios de quorum eloquentia dubitatur, quique in eloquentes pronunciantur, vel habẽtur, nihil profecto rusticũ, nihil

nihil impropriũ, in conditũ, nihil Eximio Oratore, & Rhetore reperiebat non dignissimum. Et adhuc, vbi illos non intelligebat, minus quidem ei ipsorum eloquentia apparebat, sed eam tamen non dubitabat esse talem, qualis erat vbi eos intelligebat. Hieronymus vocat Paulum, Evangelij tubam, leonis nostri rugitum: eloquentiæ flumen: gentium tonitrum. Similiter Gaspar Sanchez loquẽs de Isaia in huius proœmio ait, quod ipse fuit longe eloquentior, gravior, ornatior, & maior Cicerone, & quolibet alio humanæ eloquentiæ Magistro. Augustinus autem videtur sentire Amos, & Ieremiam esse æquè eloquentes, ac Paulum, & Isaiam.

144 Iuxta hanc ergo doctrinam concessa maiori, negatur minor argumenti. Cuius probatio imbecillima est ex dictis. Ideo namque Isaiæ stylus, v.g. nobis eloquentior apparet, quàm Amos, vel Ieremiæ, quia hos non intelligimus, & penetramus. Quare quoad nos, illos non intelligentes, nõ sunt æquè eloquentes: in re tamen omnes sunt præstantissimi Oratores, quique omnium aliorum Oratorum, Historicorum, & Poetarum gloriã obscurarunt. Quippe qui omnes Artis Oratoriæ, Rethoricæ, Historiæ, & Poesiæ leges longè accuratius illis observarunt, expleverunt. Hinc Scriptura sacra longè excedit omnes alias scripturas, & libros venustate, & nitore sermonis, & absq; dubio est dissertissima, & eloquentissima in se, & quoad eos, qui eam capiunt, & penetrant. Nec Scripturæ sacræ deest eloquentia etiam humana: licèt eam nos non penetremus, eo quod alia longè altior, & divina, captum nostrum excedens sit, si permista. Vide Serarium cap. 23. quæst. 2.

145 Respondeo aliter negando maiorem, cuius probatio non vrget. Deus enim se attemperabat, & accommodabat genijs Scriptorum sacrorum. Disertis, & eloquentibus disserta, & eloquentia dictabat verba, dissertum, eloquentemque stylum. Humilibus, rusticis, & simplicibus humilia, minus disserta, & simplicia verba: humilem, minus conditum, & simplicem stylum. Et tam verba, quàm stylus, in omni loco, necdum rebus, verumetiam Scriptorum genijs, & conditionibus, quasi patria, & demensa respondent. Quare esto gratis permittamus, aut concedamus, Scriptores sacros non servare eundem stylũ, quosdam illorum in eloquentes, & indisertos fuisse: neutiquam inde probatur, Spiritum Sanctum non dictasse singula illorum verba, apices, & jota. Quæ doctrina confirmatur ex his

Digitized by Google

his quæ num. 93. & 94. diximus cum D. Thoma. Vide Antoniū à Matre Dei, Prælud. 1. n 35.

146 Arguitur 5. Ad fidei certitudinem, & Scripturæ sacræ veritatem, & auctoritatem non videtur necessarium, quod Spiritus Sanctus singula verba Scriptoribus sacris dictaverit. Ergo non dictavit. Consequentia videtur optima. Quia sicut Deus non deest in necessarijs, ita non abundat in superfluis. Antecedens autem probatur. Fidei certitudo, & sacræ Scripturæ veritas, & auctoritas optimè salvantur per hoc præcisè quod, Spiritus Sanctus dictaverit res, sensus, & sententias. Ergo. Probatur antecedens. Vulgatæ Editionis certitudo, veritas, dignitas, excellentia, & auctoritas optimè salvantur per hoc præcisè quod res, sensus, & sententiæ illius sint dictata à Spiritu Sancto; nec ad illius veritatem, certitudinem, dignitatem, excellentiam, & auctoritatem requiritur, quod singula eius verba, apices, puncta, & jota sint specialiter à Spiritu Sancto dictata. Ergo.

147 Respondeo negando antecedens. Ad cuius probationem, nego etiam antecedens. Quamquam enim ad fidei certitudinem, & rerum, sententiarumque veritatem non esset necessarium, quòd singula verba à Spiritu S. dictarentur. Nihilominus fuit necessarium, quòd ita dictarentur ad specialem Scripturæ sacræ dignitatem, excellentiam, & prærogativam. Quia sic in maiori habentur æstimatione, & veneratione. Quatenus omnia, & singula eius verba sunt verbum Dei. Insuper. vt intelligeremus in sacris libris necdum servari veritatem in rebus, sensibus, & sententijs, verumetiam in verbis, & in omnibus, quæ adhuc obiter, incidenterque dicūtur. Et demum, vt intelligeremus, singula illius verba multis mysterijs, & Sacramentis posse esse plena, & referta. Probabilissime tenent multi, & gravissimi Doctores Scholastici, & Interpretes, singula vulgatæ editionis verba esse à Spiritu S. specialiter dictata. De quo à num 588. interim vide Antonium à Matre Dei, Prælud. 1. num 30. & 37. & Prælud. 2. num 98.

148 Arguit. 6 Nulla erat necessitas dictandi Scriptoribus sacris omnia, & singula verba per specialem Spiritus Sancti assistentiam. Ergo ita non sunt eis dictata. Consequentia est legitima. Quia non est adstruendum miraculum: vbi non est necessarium, vbi communis, & generalis sufficit providentia, non est ponenda extraordinaria. Antecedens ergo probatur. Scriptores sacri plurima

Digitized by Google

scripserunt, quæ ipsi viderunt, audierunt, manibus attrectarũt. Ergo nulla fuit necessitas dictandi Scriptoribus sacris singula verba, quibus scriberent saltem ea, quæ proprijs oculis viderunt, auribus audierunt, & manibus cõtrectaverunt. Ergo.

149 Respondeo negando antecedens. Ad huius probationem, concesso antecedenti, nego vtramque consequentiã. Fatemur peringenuè, & verissimè, Scriptores sacros scripsisse historias, seu epistolas, in quibus continentur quæ ipsi, vel proprijs oculis viderũt, vel proprijs auribus audierunt, vel proprijs manibus attrectaverunt, vel sensu aliquo perceperunt. Sicut negari nequit, quòd scripserunt plurimas prophetias, & res, quas ipsi immediatè nec viderunt, nec audierunt, nec manibus attrectaverunt, nec sensu vllo perceperunt: quia erant futuræ, non præsentes: erant loco remotæ, & valdè distantes: intellectu, & captu difficiles: naturalem, & humanam capacitatem penitùs excedentes.

150 Advertendum tamẽ est cum doctissimo Salmeron prolog. 1. adhuc in ipsis historijs, & epistolis, quas Scriptores sacri scripserunt, multas, & mirabiles delitescere prophetias. Quia res ipsæ in historijs contentæ, & litteris significatæ plura prænuntiant futura: quam quam littera nihil futurum prænuntiet, aut prænuntiare videatur. Ideo forsitam ait Lyncæus tract. 8. de sensib. n. 185. Scriptores omnes sacros fuisse Prophetas.

151 Dicimus ergo, omnia, & singula verba Scriptoribus sacris à Spiritu S. fuisse specialiter dicta, adhuc quando scribebant, vel scribere faciebant historias, seu res prioris generis, quasque ipsi viderunt &c. Ipse enim Spiritus Sanctus præcavebat, & præcavere debebat, propter historiæ sacræ veritatẽ, dignitatem, auctoritatem &c. nè Scriptores sacri in re, sentẽtia, sensu, verbo, verbulo, litera, jota, vel apice possent errare, falli, aut fallere. Quare sicut inter scribendum prophetias, & res posterioris generis Spiritus S. specialiter dictabat, suggerebat, revelabat res, sententias, verba, litteras, & apices: ita & inter scribendum historias, & res prioris generis.

152 Arg. 7. Si Spiritus S. dictasset singula verba Scriptoribus sacris, isti nullam diligentiam, studium, aut laborem adhibuissent. Sed adhibuerunt. Ergo Spiritus S. nõ dictavit eis singula verba. Consequentia tenet. Maior videtur certa. Vbi enim Spiritus S. omnia verba, seriem, ordinem, & rationem rerum, sententiarum, & sensuũ: modum, methodum, & stylum spe-

Digitized by Google

ſpecialiter revelat, inſpirat, ſuggerit, & dictat: nullo humano ſtudio, aut labore, cura, vel diligentia opus eſſe videtur. Ad hæc. In tali caſu humana diligentia, aut induſtria nihil conferret. Quando Paulus raptus eſt vſque ad tertium cœlum, & in Paradyſum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui: nullo illius labore, aut induſtria opus fuit. Ipſius diligentia ad illum raptum nihil conferre valebat. Minor ergo probatur primò ex prologo Lucæ. Secundò ex prologo Eccleſiaſtici. Tertiò ex ſecundo Machabæorum cap. 2. v. 27. vbi eius Auctor hæc habet: *Et nobis quidem ipſis, qui hoc opus breviãdi cauſa ſuſcepimus, non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum, & ſudoris aſſumpſimus.*

153 Reſpondeo negando maiorẽ abſolutè. Quia gratia non deſtruit naturam, nec huius impedit laborem, diligẽtiam, aut induſtriam. Imò vbi iſta cooperatur, otioſa non eſt, illa magis fructificat. Quandoquidem gratia etiam ſe accommodat naturæ, & huius influxum non excludit: vt notant Divus Thomas 1. 2. q. 110. a. 2. & N. P. Fr. Raphael à S. Ioanne dicto lib. *Camino Real*, n. 185. Probatio adducta non vrget. Quædam enim fiunt miraculosè, in quibus natura dumtaxat patitur, recipit. Huius generis fuit Pauli raptus ad tertium cœlum. Alia, in quibus cooperatur, & ſuam applicat diligentiam, laborem, & curã. Et huius generis ſunt operationes liberæ ſupernaturales meritoriæ vitæ æternæ.

154 Deinde notanda, & præ oculis habenda eſt differẽtia rerum, quas ſcripſerunt, & n. 149. diſtinximus, in ſcribendis prophetijs. Scriptores ſacri nullo modo laborabant, cogitando, diſcurrendo, quod ſcribere, aut dictare debebant, ad memoriã revocando. Quia ſimpliciter ſcribebant, aut ſcribere faciebant, quæ Deus illis revelabat, dictabat. Ideò dicit Baruch, Scriba Ieremiæ cap. 36. v. 18. eiuſdem Ieremiæ: *Ex ore ſuo loquebatur (Ieremias) quaſi legẽs ad me omnes ſermones iſtos, & ego ſcribebam in volumine.* Quando verò Scriptores ſacri hiſtorias ſcribebant, aliquem laborem, vel diligentiam humanam adhibebant: vt optimè probatur in argumento. Qui tamen labor non erat incompatibilis cum dictatione omnium verborum, & cum revelatione minus expreſſa, aut impropria. Revelatio enim propria, & expreſſa tunc ſolummodo dabatur, quando res novæ, & abſtruſæ revelabantur, patefiebant, & manifeſtabãtur. Melchior Cano lib. 2. de loc. c. 18. videndus eſt.

Digitized by Google

155 Arg. 8. Si Spiritus Sanctus dictasset Scriptoribus sacris singula verba, illi non potuissent errare: falli, aut fallere, adhuc in levibus, aut in minimis. Sed potuerunt, imò de facto errasse videntur saltem in levibus, aut minimis, & ad salutem æternam minimè necessarijs. Ergo. Huic argumento respondebimus, quæst. 74. à num. 679.

QVÆSTIO XIII.

An Scriptores sacri evidenter cognoverint se, nec fallere, nec falli posse?

156 REspondeo affirmative ita communiter SS. Patres, Scholastici & Interpretes. Probatur. Habebant evidentiam in attestante. Ergo sciebant, se non posse errare: falli, aut fallere. Et præcedebat expressa revelatio ad prophetiarum scriptionem. Et quamquam, inspecta historiarum natura, in his scribendis possent ignorare, an falleren tur, vel non: iuxta illud, quod testificatur de se Auctor libri secundi Machabæorū cap. 15. v. 39. *Et siquidem bene & vt historiæ competit, hoc & ipse vellim: sim autem minus dgne, concedendum est mihi.* Nihilominus ex promissione divina videtur, quod adhuc in scribendis historijs habebant huiusmodi evidentiam in attestante, & sciebant, se falli, fallere, aut errare non posse: iuxta illud Ioan. 14. v. 26. *Paracletus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Vbi notandum est ly *suggeret vobis omnia*: & ly *docebit vos omnia*. Nihil enim excludit.

157 Scriptores sacri habebant huiusmodi evidentiam in attestante per quamdam lucem, vel speciem intrinsecè supernaturalem: aut naturalē supernaturaliter disposita.

158 Ex quibus omnibus constat & quidem manifestissime, Deum Optimum Maximū esse causam efficientem principalem Scripturæ sacræ, qua nulla altior, aut nobilior, aut excellentior ne excogitari quidem potest. Constat item, Scriptores sacros, Moysem, & reliquos à n. 70. relatos fuisse causam instrumentalem, de qua N. Emmanuel à Conceptione in suo curs. Phil Trin tom 2. à num. 1736. Constat deniq quomodo Deus Scripturas sacras per homines scripserit: quod quæst. 10 quæsivimus Restat autem inquirere, & resolvere: an & quomodo possit probari, Deum esse principalem, efficientem, causam, vel Auctorem eiusdem sacræ Scripturæ? Sit ergo.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO XIV.

An extra Scripturã sacram probari possit, Deum esse principalem efficientem eiusdem Scripturæ sacræ causam?

159 PRænoscere quis sit, vel fuerit alicuius scientiæ, vel libri Auctor tam principalis, quàm instrumentalis, refert plurimum, teste Piamon. relato per Casianũ collat. 18. cap. 4. nec minus refert scire, quomodo id possit probari. Num. 14. 114. & 115. diximus, Scripturæ sacræ existentiam ex ipsa Scriptura efficaciter probari non posse contra eos, qui negant istam. Similiter dicendum est ex ipsa Scriptura efficaciter probari nõ posse quis fuerit Auctor principalis ipsius adversus eos, qui negant existere Scripturam sacrã, & Canonicam: ipso Deo Optimo Maximo revelante, dictante tum sententias, tum singula verba, litteris mandatam per homines. Qui autem ita negãt, sunt Athei, & plerique Hæretici, præsertim huius, & præcedentis sæculi: qui omnes, vel ferè omnes, testibus Suarez, Vazquez, & Godoy, sunt, & dici possunt Athei. Insuper & plures Ethnici. His præhabitis.

160 Dico primo. Non est per se notum, aut evidens, Deum esse principalem efficiẽtem Scripturæ sacræ causam, & Auctorem. Ita communiter SS. Patres, Scholastici, & Interpretes. Probatur primò. Deus à creatione mũdi vsque ad Moysem, sine vlla Scriptura apud homines suum conservavit verbum: cum eis agebat de rerum omnium creatione, conservatione: de bonorum salvatione, de malorum punitione: & de omnibus pertinentibus ad fidẽ, cultum, Religionem, obedientiam, sanctitatem, &c. Similiter à Christo Domino, vsque ad Evangelij scriptionem. Potuit ergo Deus id ipsum vsque modo, & vsque ad finem mundi facere. Ergo Scriptura sacra, publicam & solemnem habens auctoritatem, seu verbum Dei scriptum, non est quid per se notum, aut evidens. Ergo nec est per se notum, aut evidens, Deum esse principalem efficiẽtem Scripturæ sacræ causam, & Auctorem.

161 Probatur secundò; Posset Deus in alia rerum providentia loqui singulis hominibus, hosque docere, & instruere, vt oportet ad vitam æternam consequendam, sine vlla Scriptura sacra, & eo prorsus modo, quo Adamum & alios Patriarchas, & Prophetas veteres docuit. Quænam enim in hoc vel levis apparet repugnantia? Est ne abreviata manus Domini? Ne,

Digitized by Google

Nequaquam. Isaias videndus cap. 5 (. v. 1. Insuper spiritualis illa lingua, qua olim loquebatur Deus ad eosdem veteres Patriarchas, & Prophetas, excisa non est. Ergo nullum est caput, per quod possit esse per se notũ, aut evidens, existere Scripturam Sacram. Ergo nec Deum esse principalem efficientem illius causam, aut Auctorem.

162 Dico 2. ratione naturali demonstrari nequit, Deũ esse Auctorem principalẽ Scripturæ sacræ, & dumtaxat per fidem divinam debemus huic eiusdem fidei dogmati, seu articulo assentiri. Quod Deus existat. Quod hominibus loquatur. Quod illos doceat, instruat: possumus demonstrare argumentis naturali lumine notis. Cæterum quod Deus ipse sit principalis causa efficiens, & Auctor librorum sacrorum, evidenter demonstrare non valemus. Vide Augustinum lib. 6 confess. cap. 5 & lib 28. contra Faust. c. 11. D. Thom. 1. p q. 1. art. 8. in corpor & ad 2.

163 Dico 3. Deum esse causam effectivam principalem Scripturæ sacræ, potest probari rationibus adeò bonis, efficacibus, & perspicuis, vt istæ ostendant, illud esse evidenter, & prudenter credibile: & dignissimum quod ab omnibus credatur. Itaque sicut Catholica Religio, fides nostra, & omnia illius dogmata sunt evidenter credibilia ex motivis credibilitatis sufficienter propositis, & quilibet sui compos, & prudens, semel, atque ea consideraverit sine partium affectu, eis assentitur: esto eadẽ fidei dogmata, eorum causas, & modum evidenter non videat. Similiter quisquis motiva credibilitatis huius articuli fidei consideraverit: illum esse evidenter credibilem clarè perspiciet. Huiusmodi credibilitatis motiva vocantur: *Exteriora, & humana incitamenta: externæ, & humanæ persuasiones, credendique adminicula* à dissertissimo Melchiore Cano lib. 2. de loc. cap. 8. ad 4. de quibus 2. 2. tract. de fide, & D. Thom. 1. contr. gent. cap. 6.

164 Veritas huius nostrę tertiæ assertionis non est persuadenda in præsentiarum argumentis illis communibus, & generalibus, quibus demonstrari solet, omnia fidei Catholicæ dogmata esse prudenter credibilia, & digna, quæ ab omnibus, quibus sufficienter proponuntur, credantur. Specialibus igitur argumentis, & rationibus persuadere conabimur, Deum esse causam principalem efficientem Scripturæ sacræ.

165 Probatur ergo primò. Materia Scripturæ sacræ dignissima est, cuius principalis effectiva causa, & Auctor sit Deus

Digitized by Google

Deus Optimus Maximus, qui nec falli, nec fallere posit. Ergo. Liquet consequentia, & antecedens patet ex n. 17. vbi materialem illius causam designavimus.

166 Probatur 2. Omnes regulæ, & leges, quæ historicos, & Scriptotes veraces à non veracibus distinguunt, in sacris Scriptoribus q. 9. relatis inveniuntur. Ergo est evidens, quod sunt veraces in omnibus, quæ scripserunt. Ergo eorum dictis sufficienter propositis nemo prudens, & cordatus dissentire valet. Sed isti affirmant, Deum Optimum Maximum esse principalem Auctorem, & efficientem causam Scripturæ sacræ. Ergo est. Cætera patent, & primum antecedens sic probatur ex doctissimo Melchiore Cano lib. 11. de locis cap. 6. Scriptores sacri fuerunt Viri Sanctissimi, Optimi, multis, & præclarissimis virtutibus insigniti, & exornati. Aliunde cum ingenij gravitate, & severitate magnam adiunxerunt prudentiam, tum in eligendo, tum in iudicando. Denique vniversa Religio, & Ecclesia Catholica illis plenam adhibet fidem. Ergo omnes regulæ, &c.

167 Probatur 3. In Scriptura sacra per tam varios, & diversos homines scripta, & locis, & temporibus tam remotis, & distantibus, summa reperitur concordia, maxima consensio. Scriptores ergo ipsi non fuerūt principalis illius Auctor, sed causa alia superior, quæ illorum mentem, intellectum, voluntatem, linguam, omnia membra, & calamum specialiter movebat ad scribendum: fuit talis principalis Auctor: nimirum Deus Optimus Maximus. Liquet consequentia. Quia ille dicitur principalis Auctor alicuius scripturæ, qui erga istam talia exercet munia: vt experimento ipso apud omnes testatissimum est. Deus igitur fuit, qui vt Auctor principalis totam Scripturam sacram litteris mādavit per homines, quibus illius sententias, & verba inspiravit, suggessit, dictavit. Quæ nāque per alios facimus, ipsi facere communiter dicimur, vt constat ex n. 21. (vbi D. Gregorij retulimus verba) ex Augustino, D. Thom. Scholasticis, Interpretibus, & Iurisperitis.

168 Ex dictis infertur, qualis, quantaque sit, tam veritas, quàm auctoritas Scripturæ sacræ, cuius Auctor principalis est prima veritas, quæ nec fallere, nec falli potest. Magnus Parens Augustinus 1. de doctrina Christiana cap. 37. ait: *Titubabit fides, si Diuinarum Scripturarum vacillat auctoritas.* Hæc vacillare non valet. Quia Divina summa, & maxima innititur veritate. Et consequenter

Digitized by Google

neq

nec illa titubare poteſt.

169 Arguitur 1. Iuxta Apoſtolum 2. ad Corinth. cap. 3. ver. 6. *Littera occidit; Spiritus autem vivificat.* Ergo Scriptura ſacra non eſt digna Deo Auctore principali. Quia Deus non occidit, ſed potius vivificat, nec dum temporalem, verumetiam æternam tribuendo vitam. Reſpondeo, Paulum loco citato per ly *Littera* vetus intelligere teſtamentum, & legem; per ly *Spiritus* novum teſtamentum, huius legem, & gratiam. Lex antiqua, cùm ad ſui obligaret obſervantiam, ad illam adimplendam vires non præſtabat. Ideo ab Apoſtolo vocatur: *Littera occidens*: non quidem per ſe, ſed per accidens, & occaſionaliter. Quamquam textus iſte, vt alij plurimi, peſsimè intelligantur ab Hæreticis. Inter quos Lutherani Scripturã ſacrã ſæpiſsimè vocant Hæreticorum librum. Vide Auguſtinum lib. 15. contra Fauſtum cap. 8. de ſpiritu, & littera cap. 4. D. Thomam 1. 2. quæſt. 16. & Bellarminum lib 1. de verb. Dei cap. 10.

170 Arguitur 2. Quædam referuntur in Scriptura ſacra, quæ nullius, aut parvi videntur eſſe momenti. Ergo Deus non eſt principalis illius cauſa. Reſpondetur ex dictis n. 124. 129. & infra negando antecedens. Licèt enim nullius ea videantur momenti, ſunt tamen maximi.

171 Arguitur 3. In Scriptura ſacra plures reperiuntur contradictiones, & antinomiæ. Ergo Deus non eſt illius Auctor principalis. Reſpondetur ex dicendis à n. 724. ſolùm eſſe cõtradictiones apparentes. Sic Scriptura ſacra plura continet, quæ ſunt ſupra rationem naturalem, nihil tamen, quod ſit contra illam. Imò quidquid docet, valdè conſentaneum eſt rationi naturali. Cùm interea Hæreticorum, Ethnicorum, Philoſophorum, & Poetarum libri paſsim contineant plurima rationi naturali contraria.

172 Arguitur 4. In Scriptura ſacra aliqui reperiuntur errores. Ergo Deus nõ eſt principalis Auctor, & cauſa illius. Reſpondetur, negando antecedens ex dicendis à n. 679.

QVÆSTIO XV.

An, vt Scriptura aliqua ſit Canonica, ſufficiat, quòd humano ſpiritu verè, ac ſincerè ſcripta ſit, & poſtea Deus teſtificetur, eam eſſe veram?

173 Affirmativam tenent ſententiam Bonfredus, Nierembergius, & alij. Negativam verò Serarius, Antonius à Matre Dei Prælud. 1. n. 40. & alij. Quæ ſe-

Digitized by Google

secunda sententia sit nostra cõclusio vnica. Probatur. Tali Scripturæ non competeret definitio Scripturæ Canonicæ n. 15. & 110. stabilita ex communi sententia SS. PP. Scholasticorum, & Interpretum; cum illius verba non fuissent specialiter à Deo revelata, & dictata. Ergo non esset Canonica.

174 Arguitur 1. eiusmodi Scriptura eamdem haberet infallibilitatem, quam habet quævis alia, quoad sensus, & verba à Spiritu Sancto specialiter primò revelata, & dictata. Sed ista est Canonica. Ergo & illa esset Canonica.

175 Concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Et patet clarissimè in traditionibus Christi, & Apostolicis, Summorumque Pontificum definitionibus. Quarum sola infallibilitas summa, & maxima non sufficit, vt Scripturæ sacræ rationem obtineant, quia nimirum eis nõ competit huius definitio.

176 Explicatur ista solutio. Vt Scriptura *A.* propriè dicatur Petri, eique vt principali tribuatur Auctori, licèt vtatur Amanuensi, requiritur in Amanuensi expedita corporis, & animæ facultas, & voluntas scribendi. Insuper, & quod ipse Petrus per voces, sive externa signa suggerat, & ingerat, quæ ab ipso scribi desiderat. Similiter ergo vt Deus sit principalis Auctor alicuius Scripturæ, & ista sit propria Dei: vt formaliter sit Verbum Dei, ideſt verissimum & divinissimum: vtque tanquam tale credatur, necessarium erit, quod ipse Deus omnia prædicta munia, secluſis imperfectioribus creatis, & perfectissimo modo, præstet. Nec sufficit quod postquam scriptura facta est humano Spiritu, eam approbet Deus, testificando, esse veram. Quia hoc solum probat, eam esse certissimam, & omnino infallibilem. Non tamen quod formaliter, expresè, verè, & propriè sit dictata, revelata, & inspirata à Deo.

177 Replicabis. Summorum Pontificum, Regũ, & aliorum epistolæ, & Scripturæ licet à Secretarijs scriptæ, & dictatæ: per hoc præcisè quod à Summis Pontificibus, Regibus, &c. approbentur, illorumque testimonio, seu subscriptione signentur: eorum propriæ dicuntur. Quia nimirum in tali casu ab eis eminenter dictatæ, & scriptæ censentur quoad singula verba, & sententias. Ergo similiter.

178 Distinguo antecedens: *Eorum propriæ dicuntur* impropriè, & per quamdam extrinsecam appropriationẽ, concedo. *Propriè*, & per appropriationem intrinsecam, nego antecedens. Et sub eadem distinctio-

Digitized by Google

ctione, concedo, & nego consequentiam. Et explico doctrinam exemplo appositissimo. Petrus genuit revera Paulū. Ioannes adoptavit sibi Paulum in filium Paulus erit proprius filius Ioannis impropriè tamē, & per quamdam extrinsecam appropriationem: iurisque fictionem inductam ad simi itudinē naturalis filiationis. Cum revera semper sit solius Petri, à quo genitus est, filius. Ita similiter.

179 Arguitur 2. Liber secundus Machabæorum hoc modo, & non alio videtur esse Canonicus. Ergo. Probatur assumptum ex cap. 2. v. 24. in hæc verba: *Ab Iasone Cyrinæo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare.* Ergo ideo præcisè iste liber Canonicus est, quia postquam spiritu humanō per Iasonem Cyrinæum scriptus est, à Spiritu S. approbatus est Ergo.

180 Respondeo, dictum secundum Machabæorum librum quoad omnes sententias & singula verba à Spiritu S. fuisse dictatum, inspiratum, & revelatum Scriptori sacro, sicut cæteris Scriptoribus sacris, dictata, & inspirata sunt ea, quæ ipsi viderunt, audierunt, & attrectaverunt, vel in profanis libris legerunt: & postea ex illis desumpta scripserunt. De quorum numero sunt ea, quæ Paulus refert ad Tit. cap. 1. v. 12. *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* Quæ verba prout dicta ab Auctore Ethnico, profana sunt. Prout dicta tamen à Paulo, Canonica sunt. Quia à Spiritu S. dicta fuerunt.

QVÆSTIO XVI.

Quinam libri sint sacri, & Canonici?

181 ANtonius à Matre Dei Pæludio 1. à num. 138. multiplicem acceptationem harum vocum *Canon*, & Canonicum, variamque eruditionem affert. Qui formam addiscendi, & exponendi Scripturā sacram tradere desideramus, præmissa illa duplici, & communi acceptione, quam num. 10. adduximus: ab ista quæstione breviter nos expediemus.

182 Pro cuius dilucida resolutione nihil aliud aptius afferri poterit quàm id, quod habetur in Sacrosancto Concilio Tridentino, Sess. 4. cuius decretum est tenoris sequentis: „ * *Sacrosancta* œcumenia, & „ Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis legatis, hoc sibi „ perpetuo ante oculos proponens, vt sublatis erroribus, „ puritas ipsa Evangelij in Ec-

Digitized by Google

cle-

„ ecclesia conservetur :::: Sacro-
„ rum librorum vero librorum
„ indicem huic decreto adscri
„ bendum censuit, ne cui dubi-
„ tatio suboriri possit, qui-
„ nam sint, qui ab ipsa Syno-
„ do suscipiuntur. Sunt vero in-
„ frascripti testamenti veteris,
„ quinque Moysi, idest, Gene-
„ sis, Exodus, Leviticus, Nume-
„ ri, Deuteronomium: Iosue, Iu-
„ dicum, Ruth: quatuor Regũ:
„ duo Paralipomenon: Esdræ
„ primus, & secundus, qui dici-
„ tur Nehemias: Tobias, Iudith,
„ Ester, Iob, Psalterium Davi-
„ dicum centum quinquaginta
„ Psalmorum, Parabolæ, Eccle-
„ siastes, Canticum Canticorũ,
„ Sapientia, Ecclesiasticus, Isa-
„ ias, Ieremias, cum Baruch,
„ Ezechiel, Daniel: Duodecim
„ Prophetæ minores, idest, O-
„ sea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas,
„ Michæas, Nahum, Habacuc,
„ Sophonias, Aggæus, Zacha-
„ rias, Malachias: Duo Macha-
„ chabæorum, primus, & secũ-
„ dus: Testamenti novi: qua-
„ tuor Evangelia, secundũ Mat-
„ thæum, Marcum, Lucam, &
„ Ioannem: Actus Apostolorum
„ à Luca Evangelista conscripti: Quatuordecim epistolæ
„ Pauli, ad Romanos, duæ ad
„ Corinthios, ad Galatas, ad
„ Ephesios, ad Philippenses, ad
„ Colosenses: duæ ad Thesalo-
„ nicenses; duæ ad Timotheũ,
„ ad Titum, ad Philomenem,
„ ad Hebræos: Petri Apostoli
„ duæ: Ioannis Apostoli tres: Ia-
„ cobi una: Iudæ Apostoli una:
„ & Apocalypsis Ioannis. Siquis
„ autem libros ipsos integros
„ cum omnibus suis partibus,
„ prout in Ecclesia Catholica
„ legi consueverunt, & in vete-
„ ri vulgata Latina Editione
„ habentur, pro sacris, & Cano-
„ nicis non susceperit, & tradi-
„ tiones prædictas sciens, &
„ & prudens contempserit, *ana-*
„ *thema sit.* * Hactenus Triden-
tini Decretum de Canonicis Scripturis.

183 De infallibilitate igitur, certitudine, & auctoritate summa, & maxima omnium, & singulorum prædictorum librorum, & de eo, quod Deus Optimus Maximus fuerit specialis, & principalis eorum Auctor: inter Catholicos dubitari non potest, sicut ante prædictum Tridentinum Concilium dubitari solebat de aliquorum auctoritate inter Sanctos Patres Scholasticos, & Interpretes. Quia licet mox atque, Deo specialiter dictante, litteris mãdati fuerunt per Scriptores Canonicos, essent sacri, & Canonici quoad se, & in actu primo non tamen quoad nos, & in actu secundo. Quia nondum definierat, aut declaraverat Ecclesia Catholica Apostolica Romana, dictos libros esse Canonicos, & Spiritu Sancto specia-

Digitized by Google

lis-

liter dictante, scriptas. Ipsa autem Ecclesia Catholica est iudex visibilis, & regula infallibilis, ad quam expectat definire, & declarare, quinam sint libri Canonici, vt quæstione sequenti dicemus.

QVÆSTIO XVII.

Quæ sit infallibilis regula ad dignoscendum quinam liber sit Canonicus?

184 QVæstio ista coincidit cum alia, quæ inquirit, quæ sit infallibilis regula ad dignoscendum, quinam sit verus Scripturæ sacræ sensus?

185 Vtramque sub alijs terminis eruditissime, vt de more habet, resolvit Eminentissimus Cardinalis Bellarminus. Revera tamen sub præfixis terminis proprius proponi, & solvi videtur. Et præmissa distinctione librorum, qui sunt Canonici in actu primo, & qui sunt in actu secundo ex n. 183.

186 Sit nostra conclusio. Ecclesia Catholica Apostolica Romana est infallibilis regula, & visibilis iudex ad dignoscendum quinam liber sit sacer, & Canonicus. Est de Fide. Nomine autem Ecclesiæ Catholicæ intelligimus Summum Pontificem ex Cathedra loquentem, sive cum Concilio Generali, sive seorsim, & independenter ab illo, iuxta dicenda n. 1031. Est similiter infallibilis regula ad dignoscendum legitimum Scripturę sacræ sensum à Spiritu Sancto intentum. Probatur primò ex 1. ad Timotheum cap. 3. v. 15. *Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis.*

187 Probatur secundò, ex Concilio Toletano primo, dicente: si quis dixerit, vel crediderit, alias Scripturas esse Canonicas præter eas, quas Ecclesia Catholica præcipit, anathema sit. Ex quo textu, sicut & ex præcedenti clarissimè constat, Ecclesiam Catholicam esse infallibilem regulam ad dignoscendum quinam sit liber Canonicus: ad eamdem expectatè librorum sacrorum, Canonem, Canonismum, aut Catalagum instituere, numerumque definire.

188 Probatur tertiò. In quovis Regno, vel republica rectè gubernata, ad illum dumtaxat expectat instituere, & præscribere Canones, regulas, aut leges, qui in tali Regno, vel republica supremam habet auctoritatem, aut potestatem: Sed in Regno Christiano, vel Catholico vniverso sola Ecclesia Catholica habet supremam auctoritatem, & potestatem. Ergo ad eamdem Ecclesiam Catholicam expectat instituere, & præ-

Digitized by Google

præscribere Canones, regulas, aut leges. Ergo & ad ipsam expectat librorum sacrorum Canonismum condere, & ipsa Ecclesia est infallibilis regula ad dignoscendum, quisnam liber sit sacer, & Canonicus: quis Scripturæ sacræ legitimus sensus.

189 Confirmatur ista ratio. Sola Ecclesia Catholica potest Scripturis quoad se, & in actu primo Canonicis tribuere sua testificatione, & approbatione auctoritatem in actu secundo, & quoad nos, quam quidem ante talem testificationem neutiquam habebant, licet in se, & quoad se essent divinæ. Ergo ipsa sola Ecclesia Catholica est infallibilis regula ad dignoscendum, &c.

190 Ideo Paulus ad Gal. 2. v. 1. & 2. per specialem Spiritus Sancti impulsum, revelationem, & instinctum motus est, vt illud ipsum Evangelium, quod ipse accepit à Deo, eodem Spiritu Sancto specialiter dictante: quodque iam in actu primo erat sacrum, & Canonicũ, & Gentibus per illum prædicatum, approbaretur ab Ecclesia, vel ab ipsius Principe, & capite, sive Concilio Generali, cui præsideret Divus Petrus. Quamquam enim Pauli Evangelium (idem dicito de reliquis Scriptorum sacrorum libris) mox atque, Spiritu Sancto specialiter dictante, litteris mandatum est, fuerit in se, quoad se, & in actu primo Canonicum, & sacrum. Nihilominus quousque ab Ecclesia approbaretur, non erat tale in actu secundo, & quoad nos.

191 Vbi obiter notandum est ex eloquẽtissimo Melchiore Cano lib. 5. de locis, cap. 5. in responsione ad postremum argumentum, quod nos non debemus expectare Auctores sacros post Apostolos, & eos, qui ab Apostolis probati sunt. Sed Summus Pontifex vel Concilia Generalia solum declarant quinam fuerint libri per sacros, & Canonicos Auctores scripti: quisnã verus, & legitimus illorum sensus, & interpretatio. Et novas revelationes, & Scripturas sacras quærere, Iudæorum est, qui recentes etiamnum Prophetas præstolantur. Sunt verba Cani. Ita etiam sentit Serarius cap. 7. quæstiunc. 12. ad hęc verba: revelationes novas, nobiliores, & propriè dictas, de quibus cap. 2. quæstiunc. 15. nullas iam accipit Ecclesia; sed solam Spiritus Sancti assistentiam habet, per quam declarat primo, quodnam sit verbum Dei scriptum, aut non scriptũ: secundò, quomodo hoc, aut illud intelligendũ: tertiò, quomodo ex vtroque Dei verbo scripto, & traddito per discursus hoc, aut illud colligatur.

192 Probatur quartò, Nisi hu-

Digitized by Google

huiusmodi regula infallibilis assignetur, ad quam vnicè pertineat, libros Canonicos à non Canonicis discernere: omnino incertum erit, quis præ quo sit liber Canonicus. Quod manifestè convincunt Lutheranorũ, Calviniſtarum, & Libertinorum omnium perpetuæ lites circa Canonem librorum sacrorum. Ergo assignanda est huiusmodi regula infallibilis pro dirimendis litibus istis. Sed nulla regula congruentior potest assignari, quam Ecclesia Apostolica Romana. Ergo est ipsa. Probatur Minor. Quia libri ipsi Canonici non possunt esse huiusmodi regula, & iudex. Cum de suo Canonismo nequeant pronuntiare sententiam. In qua enim Republica legum codices sunt iudices inter litigantes de ipsis legibus? Nec potest esse Princeps Sæcularis, vt ex se patet. Cum huius potestas sit mere Sæcularis, & humana. Nec spiritus privatus. Ergo. Vide Bellarm lib. 3. de Verbi Dei interpret cap. 9.

193 Probatur vltimò ex percelebri Magni Parentis Augustini testimonio lib. contra epistolam fundamenti, cap. 5. *Ego verò Euangelio nõ crederem, nisi me Ecclesiæ auctoritas Catholicæ commoueret.* Epistola ista *fundamenti* vocatur, quia ipsa continebat ferè totum illud, quod Manichei credebãt. Illud autẽ dumtaxat credebãt, & credendũ esse, dicebant, quod evidenter demonstrari poterat. Et hoc erat primum, & potissimũ illorum principium, & fundamentum. Cum inter ea hoc ipsum primum principium, aut fundamentum ab ipsis Manichæis evidenter demonstrari non posset.

194 Arguitur 1. Scripturæ Canonicæ auctoritatẽ per Ecclesiæ auctoritatem: & Ecclesiæ auctoritatem per Scripturæ Canonicæ auctoritatem probavimus. In probatione ergo vniformem, formalem, & omnino vitiosum, semper, & vbique vitandum commisimus circulũ. Probatio ergo nostra est nulla, & conclusio falsa. Explicatur. Siquis hoc pacto argueret, aut probaret secundam personam Sanctissimæ Trinitatis esse Filium primæ, ex eo, quod prima est secundæ Pater, & aliunde probaret, primam esse Patrẽ ex eo, quod secunda est Filius primæ: vniformem committeret circulum, & re vera vitiosum. Sed probatio nostra huic simillis est. Ergo æquè vitiosa, & inefficax. Et per omnia similis Carbonarij responso. Erat Carbonarius vir quidem simplex, ac rectus. Circa fidem Sanctissimæ Trinitatis, & aliorum Mysteriorum fuit à Dæmone tentatus, atque interrogatus: quid credis? Respondebat Carbonarius:

Digitized by Google

rius: Credo Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & reliqua omnia, quæ credit Ecclesia Catholica. Vrgebat Dæmon: quid credit Ecclesia Catholica? Respondebat Carbonarius: credit Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & reliqua omnia, quæ ego credo. Et circulo isto circumdatus, atque protectus Cacodæmonem vicit. Et idem refertur, contigisse Illustrissimo Abulensi, Hispaniæ Salomoni.

195 Argumentum istud in tractatu de fide propriam habet sedem. Ad illud distingo: antecedens: Scripturæ Canonicæ, &c. probavimus sub diversa ratione formali, concedo. Sub eadem, nego antecedens, & consequentiam. Illa namque mutua, & reciproca probatio fit sub diversa ratione formali. Scripturæ Canonicæ auctoritas, vt probata per auctoritatem Ecclesiæ non sumitur vt medium ad probandam Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem. Nec ex adverso. Explicatur exemplo. Legatus à Carolo Secundo ad Romanum Pontificem missus cum suis litteris, has primo eidem Summo Pontifici exhibet, quas esse veras, & legitimas Caroli Secundi litteras evidentibus & clarissimis declarat testimonijs, signis, argumentis, vel notis. Quo pacto legatus ipse Regijs litteris tribuit auctoritatem. Deinde eædem litteræ per Summum Pontificem acceptæ, lectæ, ac cognitæ, quod sint Caroli Secundi, probant potestatem, & auctoritatem legati, quam eidem legato Carolus Secundus concessit. En ergo legatus probat litterarum auctoritatem. Litteræ vero legati auctoritatem. Sub diversa tamen ratione. Quia diversimodè reperitur auctoritas illa in legato, & in litteris. In his, tanquam in signo, Regis voluntatem explicante. In legato, tanquam in subiecto, in quo est auctoritas. Similiter ergo Ecclesia est quasi legatus. Ipsa ostendit, & exhibet Scripturas Canonicas, veluti litteras, & epistolas à Deo Rege Regum, & Domino dominantium missas, in quibus Deus ipse voluntatem suam nobis manifestat. Et ipsa Ecclesia habet signa, notas, & argumenta veræ Ecclesiæ, Religionis, & infallibilitatis, vt auctoritatem quoad nos, & in actu secundo in vi horum signorum tribuat libris, & Scripturis Canonicis. Et postea ab eisdem libris, & Scripturis Canonicis vicissim recipit auctoritatem, quæ in Ecclesia est, veluti in subiecto: in Scripturis tanquam in signo. Ecclesiæ auctoritas est medium ad probandam Scripturæ Sacræ auctoritatem. Et ex adverso Scripturæ sacræ auctoritas est medium ad probandam Ecclesiæ auctoritatem. Datur mu-

mutua quædam connexio, & per legem connexorum vtraque in alterius sumitur probationē. Et vtrumque medium non est æquè ignotum quoad nos: sed vnum notius alio. In quo casu potest argui ab vno medio ad alterum, & ex adverso: quin formalis, & vitiosus, seu vniformis committatur circulus. Et ad summum materialis, & difformis reperietur circulus, inter Philosophos, & Theologos frequenter vsitatus iuxta Aristotelem 6. Physic textu 37. & 38. & 8. textu 35. & nostrum Emmanuelē in suo cursu tom. 1. num 1257.

196 Quod autem in nostro casu vtrumque medium nō sit æquè ignotum quoad nos, sed vnum notius alio, patet, quia auctoritas Ecclesiæ Catholicæ propter signa, & argumēta credibilitatis notior est quoad nos, quàm auctoritas Scripturæ sacræ. Et necdum reddit prudenter credibilia omnia fidei mysteria, & ipsam Scripturam sacram, huius pondus, & auctoritatem: verumetiam suam propriam, seu semetipsam, suamque infallibilitatem. Talis, tantaque est Ecclesiæ Catholicæ Romanæ auctoritas! Ideo, teste Irinæo, lib. 2 cap 3. plures Gētes Catholicam fidem amplexæ sunt ob solam ipsius auctoritatem ex notis, signis, & argumentis veræ, & vnicæ Religionis, absque vlla Scriptura sacra. Cum enim ratione naturali demonstretur, Deum verè revelasse mundo verā aliquam Religionem, qua colatur à creaturis: eam esse vnicam, & illam, quæ in Ecclesia Catholica viget, ex illius notis, signis & argumentis evidenter cognoscere poterant Gentes, possunt & omnes Iudæi, Turcæ, & Hæretici, si prudenter, & sine partiū affectu, sedulò, & diligenter materiam contemplentur.

197 Decem autem communiter assignantur argumenta à Theologis pro auctoritate Ecclesiæ Catholicæ, & articulorum fidei credulitate. Primum argumentum est Sanctitas, & integritas doctrinæ nihil continens rationi contrarium: nihil honestati non consonum. Secūdum. Sanctitas illius Auctoris, nimirum Christi Domini, quem Sanctissimum fuisse, ipsi fatentur adversarij. Tertium. Sanctitas omnium, qui ex corde hanc sequuntur doctrinam, Religionem, & Ecclesiam. Quartum. Antiquitas, & perseverantia illius cum tam mirabili ordine, præ omnibus alijs sectis, Religionibus, & Ecclesijs. Quintum. Sybillarum, & Prophetarum testimonia completa vnicè in eadem nostra fide Catholica, Religione, & Ecclesia. Sextum. Innumera miracula in eius confirmationem facta. Septimū,

Mo-

Digitized by Google

Modus, quo eadem nostra fides introducta est sine armis, simplici quadam prædicatione, duodecim hominum pauperū, Piscatorum, & illiteratorum, adversus potentiā Mundi, Carnis, & Dæmonum. Octavum. Testimonium innumerabilium Martyrum, qui ex omni statu, sexu, ætate, & conditione ab exordio nascentis Ecclesiæ, vbique terrarum, pro eiusdem fidei & Ecclesiæ veritate sanguinem suum fortiter fuderunt. Nonum. Internum testimoniū conscientiæ, à qua vnusquisque per hanc doctrinam, & Ecclesiam allicitur, atque invehitur ad virtutis amorem, ad vitij odium. Decimum denique. Divina Providentia, quæ non sinet, nec sinere potest, tam miserè decipi tot homines, tam ardenti desiderio quærētes obsequium Dei, & virtutis honestatem circa Religionem, tot, tantisque miraculis confirmatam. En ergo Ecclesiæ auctoritas quodammodo notior est quoad nos, quàm Scripturæ auctoritas. Et sine circulo vitioso ab vna ad alteram arguere possumus. Et sæpè etiam ex textu, quem Hæreticus admittit vt Canonicum propter Ecclesiæ auctoritatem, vel postquā probavimus infallibilem Ecclesiæ auctoritatem ex aliqua Scriptura per Hæreticum admissa: ex eadem auctoritate Ecclesiæ convincimus contra Hæreticū, aliam Scripturam ab ipso negatam, esse Canonicam. Exempla in argumento adducta non habent vim contra nostram doctrinam: licèt illud Carbonarij vtilissimum sit cuilibet similem tentationem patienti.

198 Arguitur secundò, & potest esse replica solutionis datæ. Licèt in prima probatione conclusionis nostræ non committatur circulus vniformis: in ea tamen, quam num. 193. produximus ex Magno Parente Augustino, circulus vniformis, & vitiosus committi videtur, si coniungatur cum ea, quam posuimus num. 186. ex 1. ad Timoth. Ergo. Assumptum probatur. Augustinus illis verbis expresse dicere videtur, obiectum formale motivum, & rationem formalem credendi, librum aliquem esse Canonicū, esse solam Ecclesiæ auctoritatem. Aliunde Paulus dicta epistola ad Timotheum expresse dicere videtur, illum suum librum Canonicum esse formale motivum, & rationem formalem credendi auctoritatem Ecclesiæ. Idem ergo per idem, sub eadem ratione formali: & per circulum vitiosum probatum est à nobis, vt dicitur in argumento.

199 Respondeo, in Ecclesia Catholica duplicem dari auctoritatem, Divinam vnam, hu-

humanam alteram. Humana est, & dicitur, quatenus nobis proponit motiva, rationes, argumenta, & incitamenta credibilitatis mysteriorum fidei, num. 197. enumerata. Divina est, & dicitur, quatenus est formaliter revelata à Deo, & expressè continetur in aliquo Scripturæ sacræ textu, v. g. in assignato ad Timotheum, vel habetur per puram traditionē Divinā. Humana Ecclesiæ auctoritas solùm est pura conditio ad credendum; non autem formale motivum, adhuc inadæquatum credendi Scripturam sacram, mysterium aliquod fidei, aut ipsam Divinam ipsius Ecclesiæ auctoritatem. Sola Divina revelatio est huiusmodi ratio formalis adæquata credēdi. Vtrūque expressit ipse Magnus Parens Augustinus loco citato ad finem per hæc verba: *Actuum Apostolorum libro necesse est, me credere, si credo Euāgelio. Quoniam vtramque scripturam similiter mihi Cātholica commendat auctoritas.* Vbi per ly *commendat* humanam Ecclesiæ proponentis auctoritatem designat pro pura conditione: aliunde supponendo revelationem Divinam pro ratione formali adæquata credendi.

200. Hinc patet in forma ad argumentum, quòd in Hæreticos omnes, præsertim verò Libertinos, quæstione sequenti referendos, & refellendos, nullo retorqueri potest negotio.

QVÆSTIO XVIII.

Error Libertinorum, sive Atheorum circa libros Canonicos breviter refutatur.

201. LVCAS 6. Actuum Apostolorum v. 9. Libertinorum meminit, dicens: *Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum.* Libertini erant Romani, ex his, qui Romam captivi adducti, libertate donabantur. De quibus, & de Libertis, & de illorum distinctione pertractant Consulti ad librum 1. Institut. tit. 5. Libertini fuerunt etiā illi primi Hæretici, qui de servili stirpe procreati insurrexerunt, & revelarunt adversus Christi fidem, teste Venerabili Beda. Sed iam Libertini vocantur omnes Hæretici, præsertim verò Lutherani, Calviniſtæ, Machiavelliſtæ, eorumque asseclæ. Ipsi enim Religionis omnis expertes: libidinis, avaritiæ, & ambitionis affixi idolis: nullam propriæ conscientiæ, & alterius vitæ curam admittunt. Curam omnem in Curia ponunt, vt cunctis delicijs liberè fruantur. Multa de publico, & politico statu subtiliter discurrunt. Nihil de vera Religione, qua Deus verus colitur:

Digitized by Google

litur: nihil de propria æterna salute, aut damnatione cogitant. Fortunæ dumtaxat ditant. Principes Divites, & potentes veluti Semi-Deos, ne dicam, vt Deos absolutos, venerantur. Et tanquam Semi-Dij, ne dicam, vt Dij, coli desiderant.

202 Omnes isti blasphemant, dicentes: infallibilem regulam, ad dignoscendum, quinam sint libri sacri, & Canonici, esse privatum internum, occultumque vniuscuiusque, estò Lippi, & tonsoris, & vetulæ spiritum, atque arbitrium.

203 Hinc singuli eorum pro libito suo, libros, quos volunt, vt Canonicos, infallibiles, sacros, & Divinos admittunt: & quos volunt, vt apocryphos, suppositos, & falsos à Canone librorum sacrorum penitùs expungunt. Quos quidam admittunt, alij reijciunt. Immò, quos olim vt Canonicos veneraban tur, ijdem ipsi hodiè vt falsos aspernantur, vt ex dicendis cõstabit.

204 Machiabellus, & eius assecl æ nõ erubescunt blaterare: omnia, quæ continentur in Scripturis sacris, esse historias falsas, suppositas, apocryphas, fictas fabulas hominum astutia, & fraude compositas, oculorumque ludibria. Omnes Divinas, & humanas leges veluti inanes, & non obligantes abolent: omnem deponunt cõscientiam: & semper deponendam suadent, & in nullo crimine, quantumvis gravissimo formandam esse, docent. Eo nimirum, quia asserunt, hominem tunc tantùmodo peccare, quando in re, quam facit, sibi conscientiam, & scrupulum peccati pro suo libito format.

205 Sed ò infelices Machiabelliste, Lutherani, Calviniste, Protestantes, Puritani, vel Presbyterani Independentes, sive Cromuelliste, Anabaptiste, & cæteri omnes veri Libertini, & Athei! Revocate iam gradum, quo pergitis ad ignem æternum.

206 Sit nostra vnica cõclusio. Privatus, & occultus vniuscuiusque spiritus internus, liberumque illius arbitriũ non potest esse infallibilis regula discernendi, quinam sint libri Canonici, & sacri. Est de fide. Demonstratur primò. Infallibilis regula, seu Spiritus S. testimonium sibi contradicere non potest. Sed contradicere posset, imò de facto contradiceret, si privatus, internus, & occultus vniuscuiusque spiritus esset talis regula. Ergo non est. Probatur minor, & convincitur exemplis. Lutherani ex interno Spiritus testimonio contendunt, Divi Iacobi epistolam nõ esse veram Scripturam Canonicam, sed potiùs fictitiam, inanem, & chymericam. Calvinistæ

Digitized by Google

ſtæ ex eodem interno Spiritus teſtimonio aſſerunt, eam eſſe Canonicam, Lutherus (qui anno 1517. emerſit) & Lutherani, dicunt, verba iſta: *Hoc eſt Corpus meum*: eſſe ſacram, & Canonicam Scripturam, & per illa veram, & realem Domini Noſtri Ieſu Chriſti præſentiam in Euchariſtia ſignificari. Calvinus, qui anno 1540. Eccleſiæ bellum indixit, & necdum ferè omnes Lutheri errores admiſit, verumetiam novos alios ſuperaddidit, negat, verba illa eſſe Scripturam Canonicam, verãque, & realem præſentiã Chriſti per illa in Euchariſtia ſignificari. En Lutherus Calvino; & Calvinus Luthero ex interno Spiritus teſtimonio viciſsim contradicunt, & quidem manifeſtiſsimè.

207 Cumque in omni vera contradictione alterutra pars in re ſit neceſſariò falſa, iuxta illud primum Metaphyſicum principium: *Quodlibet eſt, vel non eſt*: & pro vtraque contradictionis parte internum, occultum, & privatum ſui ſpiritus teſtimonium Lutherus, & Calvinus: Lutherani, & Calviniſtæ allegent. Sequitur primò, Spiritum S. eſſe falſitatis Auctorẽ, & ſibi contradicere. Quod eſt impium, & blaſphemũ, ſi quod maximum. Sequitur ſecundò, nullũ à Deo proviſum fuiſſe remediũ in Eccleſia ſua ad derimendas quæſtiones, quas ipſe prævidit emerſuras circa libros Canonicos, qui præ quibus forent admittendi, vel reijciendi. Quare Deus in neceſſarijs ad ſalutem defuiſſet. Quod ſimiliter eſt blaſphemum

208 Proteſtantium ſecta in Anglia ex varijs dogmatibus partim Lutheri, partim Calvini conflata eſt: ibi appellatur *Religio Regis, & Aulæ*. Proteſtantes Calviniſtæ dicuntur *Puritani*. Eo quòd, niſi purum Dei verbum ſcriptum iuxta Calvini placitum, non admittant. Appelantur Proteſtantes Calviniſtæ *Presbyterani*. Proteſtantes Lutherani Calviniſtis Proteſtantibus opponuntur ex diametro; & ex adverſo. Anglo Lutherani, & Anglo Calviniſtæ prætendunt, ſe ſemper habere occultum internum privatum teſtimonium Spiritus S. qui nec fallere, nec falli poteſt.

209 Lis ergo, & quæſtio, quę inter ipſos emerſit circa libros Canonicos, nunquam dirimi valebit. Quia vnum dictamen, ſeu teſtimonium occultũ eiuſdẽ Spiritus S. per alium, nec ſuperari, nec refutari poteſt. Ad hæc. Hoc morbi genus ferè omnibus innatum eſt hominibus, vt cedere neſciant, ſimulatque res in contentionem vocata eſt. Quæ poſtquam incaluit, hoc cuique videtur veriſimum, quod temerè etiam ſuſ-

Digitized by Google

ce-

cepit tuendum: vt elegãter advertit Melchior Cano lib. 3. de locis cap. 2. Lutherani asserunt, Calvinistas fanatico, & Sathanico duci, & regi spiritu. Id ipsum dicunt Calvinistæ, Anabaptistæ, & ipsorum assecłæ contra Lutheranos. Quare omnes pari, & æquali fundamento sonsum tuentur suum. Sed miserrimè omnes allucinantur.

210 Demonstratur secundò, & explicatur prima demonstratio. Quod procedit ex interno Spiritus Sãcti testimonio, est verum. Sed mea fides, interpretatio, & designatio libri Canonici (inquit Anglo Calvinista: inquit item Anglo Lutheranus) procedunt ex interno, occulto, & privato Spiritus Sancti testimonio, sive infallibili regula, & iudice. Ergo mea fides, interpretatio, & designatio sunt veræ. En ergo dabuntur conclusiones contradictoriè oppositæ simul veræ, & simul falsæ. Idem liber erit simul Canonicus, & non Canonicus: simul apocryphus, & non apocryphus.

211 Si dicat Anglo Calvinista, se præ Anglo Lutherano possidere internũ Spiritus S. testimoniũ ad declarandum, hos præ illis esse libros Canonicos. Quia ipse præ Anglo Lutherano est in vera Dei Ecclesia, vel quia est prædestinatus, vel quia id Scriptura testificatur. Præterquamquod id est falsissimum, & nullo modo probatur ab Anglo Calvinista: isto occasionẽ præbebit Anglo Lutherano, cæteriſque libertinis, & independentibus ad idem respondendum.

212 Hinc Libertini, & sibi mutuò contradicunt, litesque, & controversias circa Religionem, & librorum Canonismum emergentes, nunquam dirimere possunt. Insuper Libertini ipsi præ nobis absdubio versantur in illo circulo, & circuitu inextricabili, quem nobis objciunt, vt notavimus n. 200. Quæsiti enim à nobis, cur sint Canonicæ Scripturæ, quas admittunt? Respondent: *Quia Spiritus internus id eis testificatur.* Rursus quæsiti vnde id sciant? Similiter respondent: quia id Scripturæ sacræ testantur, Ioannis cap. 10. v. 27. ad hæc verba: *Oves meæ vocem meam audiunt.* En ergo circulus manifestus.

213 Demonstratur tertiò: Librum publicarum precũ autenticum, quem pro puro, & vero Dei verbo, publicoque fidei suę instrumento litteris mãdato ab initio publicarunt Lutherus, & Lutherani: mutarunt quoad plurima capita Angliæ Reges. Rogo nunc: quę præ quibus in illa mutationi erraverunt? Omnes ne infallibilem spiritum privatum habuerunt? Minimè quidem. Pri-

Digitized by Google

vatus ergo spiritus, & occultus vniuscuiusque, nec est Spiritus Sancti afflatus, nec potest esse infallibilis regula dignoscendi libros Canonicos, Religionis, fidei, & morum.

214 Demonstratur quarto Summi, & maximi momenti negotia adhuc politica in nulla bene gubernata republica relinquuntur privato vniuscuiusque spiritui, iudicio, vel arbitrio. Dignoscere quinam sint libri Canonici est negotiū maximi momenti. Quandoquidem tales libri sunt norma, & regula recte, honesteque viuendi, & per ipsos instruimur, vt vitam æternam consequi, & inferni pœnas fugere possimus. Ergo negotium hoc, & negotiorum negotium non debet relinqui privato vniuscuiusque spiritui, iudicio, aut arbitrio. Et vbinam gentium interpretatio legum relinquitur vniuscuiusque arbitrio? Nullibi certè.

215 Demōstratur quintò. Dari cōmertium aliquod inter Deum, & homines ratione naturali evidenter demonstratur. Cumque nos adinstar Angelorum pro hoc statu per puros conceptus mentales sine aliquibus signis sensibilibus cū Deo agere non possimus. Congruentissimū fuit, vt Deus mētem suam, consilia, & leges manifestaret nobis per signa sensibilia. Manifestavit ergo iam per oracula innumeris miraculis illustrata: vt tempore Moysis. Iam per Scripturas sacras, quasi per quædam publica instrumenta, in quibus veluti impressa remanerent omnia Diuina decreta, & consilia erga homines. Quandoquidem, & in omni republica recte ordinata extant leges scriptæ, quibus illius partes gubernātur. Doctrinam hac Deus novissimis temporibus per Christum Dominum, & per Ecclesiam ab eo instituta nobis manifestavit. Quā tot item miraculis, & prodigijs illustravit, & confirmavit, vt nemo prudēter dubitare queat, Deum ipsum dictasse eam doctrinam: ipso Deo specialiter inspirante, ab hominibus scriptam fuisse. In his omnibus pleriique Libertinorum, Lutheranorum, Calvinistarum, eorumque assectarum cum Catholicis conveniunt.

216 Oriatur nunc quæstio circa epistolam Iacobi, & circa illa verba: *Hoc est Corpus meum*: vel circa alium Scripturæ sacræ textum, vt num. 206. habitum est, an sit Scriptura Canonica, vel non? Suppone, ò Libertine (sive Calvinista, sive Lutheranus sis) auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ Romanæ, traditionum eiusdē Ecclesiæ. Insiste in eo, quod tuus privatus spiritus internus sit futurus iudex, & regula infallibi-

Digitized by Google

libilis huius, & aliarum similiũ controversiarum. In eodem delirio insistat alius Libertinus, qui sit cõtrariæ opinionis. Quis vos in concordiam reducet? Nescio profectò.

217 Ad purum Dei verbum scriptum forsitam appellabitis. Est enim primum vestrũ principium, solam Scripturam sacram esse fidei regulam infallibilem, controversiarumque omnium iudicem vnà cum privato vniuscuiusque, estò lippi, & tonsoris spiritu interno, liberoque arbitrio. Et ego iterum quæram, in quo Scripturæ Canonicæ loco id expressè habeatur? In qua editione? An in Anglicana, Genevensi, vel alia?

218 Si respondere volueris, id iam declaratum, definitum, & decissum esse à Rege, vel Parlamento Angliæ, à Statibus Hollandiæ, à Protestantibus, & reliquis num. 205. relatis. Iterùm inquiram, vndenam vobis constet, Regem & Parlamentum Angliæ, & reliquos in suis declarationibus, definitionibus, & decisionibus errare non posse: illos in nomine Dei, ipso inspirante, & dictante Spiritu Sancto, qui nec fallere, nec falli potest, semper locutos fuisse? Quæ signa, quas notas, quæ argumenta habetis huiusmodi infallibilitatis? Nulla profectò.

219 Ecclesiæ Anglicanæ, Hollandiæ, & aliarum ejusdem furfuris, & farinæ signa, notæ, & argumenta sunt, & fuerunt libido, avaritia, & ambitio. Nemo nescit, quod in Anglia Henrici Octavi libido: in Hollandia, sive Belgio ira, & offensio Principis in Hispanos: in Germania ambitio Lutheri, ipsiusque ira & offensio in Romanum Pontificem ob negatam concionem in publicatione indulgentiarum, fuerunt causa, cur Clerus, & populus defecerint ab Ecclesia Catholica Apostolica Romana: cur hanc deseruerint, oppugnare cœperint, & extunc Vatiniano odio prosequuti fuerint. Hæc sunt vestræ Religionis, sectæ, & Ecclesiæ signa, & notæ.

220 Indubitatum est etiã apud vos, ò Libertini, dari in mundo veram Christi Ecclesiam, & quæ habeat infallibilẽ fidei regulam, ad dirimendas quæstiones in materia Religionis emergentes, quæque oriri possunt. Vestra Ecclesia, & vester privatus spiritus nullam habent infallibilitatem. Sola Catholica Apostolica Romana Ecclesia habet huiusmodi infallibilitatem. Ipsa ergo sola est infallibilis regula, & iudex. Quia huic soli, & non alteri competunt notæ veræ fidei, ac Religionis, vt demonstrant Theologi, præsertim Bellarminus, Suarez, Becanus, & alij. Quapropter infallibilitas Ecclesiæ Catholicæ Re-

Digitized by Google

Romanæ, & omnia ipsius mysteria sunt evidenter, & prudēter credibilia ex notis veræ fidei, & Religionis, iuxta illud Psalmi 92. testimonia tua credibilia facta sunt nimis.

221 Omnes aliæ sectæ, tam Iudæorum, quàm Hæreticorum, Ethnicorum, & Turcarum habent contra se evidentiam credibilitatis fidei nostræ, quæ inter alia docet, eas sectas esse incredibiles, Divinis eloquijs contrarias, & non nisi temerè, ac imprudenter eligibiles. Sectarij nullam habent opinionem revera probabilem pro suis sectis. Quia contra doctrinam fidei, quam tenet Catholica Ecclesia, nullæ dantur opiniones certæ, atque evidentis probabilitatis, vt optimè convincit RR P. Didacus de la Fuente Hurtado in Theologia reformata dissertat. 5. num. 10.

222 Forsitan dicent Libertini, vnumquemque promiscuè posse in sua secta salvari, in eaque tutissimò permanere. Sed falluntur apertissimè. Quia nullatenus possunt id probare, sicut nec se habere infallibilitatem, ad dignoscendum, qui sint libri Canonici.

223 Ecclesia autem Catholica habet huiusmodi infallibilitatem innumeris prodigijs confirmatam. Nec prudenter quis de huiusmodi infallibilitate, aut aliquo fidei mysterio dubitare poterit, si sufficienter perspecta habuerit notas, & argumenta num. 197. relata.

224 Ex Hæreticis Libertinis, & indifferentibus plurimi reperiuntur hoc nostro sæculo in Anglia, Hollandia, Germania, & Polonia. Concedunt, vnum Deum existere, & fidem Christianam ad salutem esse necessariam. Addunt tamen, vt n. 222. habitum est, quemlibet posse salvari in sua secta sub nomine Christi, & in fide exsecta Christiana. Ideò singuli eam sectam Christianam amplectuntur, quam sibi offert, vel locus, vel tempus, vel quæstus.

225 Et ea facillitate, & promptitudine mutant sectam, ac Religionem, qua domicilium, vel vestem. Religionem, quæ maius emolumentum temporale eis affert, libentissimè amplectuntur. Sed quàm miserè falluntur!

226 Blaterant, & iactat, se quietos, & securos in conscientia vivere: nullis huius angustiarum stimulis, aut morsibus. Sed mentiuntur, & quidem apertissimè, si verum dicere velint. Quia illa imaginaria Ecclesia Christiana, in qua se constitutos esse, credunt, & in qua ad esse viam necessariam ad æternam salutem existimant, illorum conscientias quietare non potest.

Digitized by Google

Ar-

227 Arguitur primò. Ex cap. 54. Isaiæ v. 13. *Vniversos filios tuos doctos à Domino.* (ponam) Et Ioannis cap. 6. v. 45. *Et erunt omnes docibiles Dei.* In quibus, & alijs verbis indicari videtur, vnumquemque estò lippum, & tonsorem esse infallibilem regulam, & iudicem pro vtroque munere designandi, & exponendi libros Canonicos, sive sequendo suum privatum, internum, occultum, liberumque spiritum discernendi, si credat, se illum habere, vel adhærendo alicui alteri, quē existimat tali Divino Spiritu, & dono esse ornatum, & illustratum.

228 Respondeo cum Bellarmino lib. 3. de Verbi Dei interpretatione, in prædictis, & similibus textibus solum dici, quòd fideles Catholici, necdum audient Magistrū exterius docentem Verbum Dei, sed etiam Deum ipsum intùs, suaviter moventem, & suadentem ad credendum, amandum, & opere complendum, quod exterius audiunt.

229 Arguitur secundò. Si privatus Spiritus non esset regula dignoscendi libros Canonicos, eosque exponendi, tam illi, quàm ipsorum sensus acciperent robur, & totam suam auctoritatem ab Ecclesia: & ista foret supra libros Canonicos. Hoc est absurdum. Quia nomine Ecclesiæ ex num. 186. intelligimus Summum Pontificem, qui est homo seorsim, vel cum Concilio Generali, quod etiam constat hominibus. Ergo.

230 Respondeo, argumentum istud ab hæreticis, à quibus plurimi fit, solvendum esse. Ipsi enim Scripturam Sacram privato Spiritui vniuscuiusque subijciunt. Et privatus Spiritus fallere, & falli potest, tam in designandis libris Canonicis, quàm in eis exponendis. Quia non est promissa ei specialis assistentia Spiritus Sancti, nec habet notas, & signa infallibilitatis, sicut habet Ecclesia Catholica Apostolica Romana, seu Summus Pontifex, iuxta dicenda à num. 1025. Catholici nunquam subijcimus Scripturas sacras, earumque sensum pedibus Papæ, qui est homo privatus; nec dicimus, Ecclesiam esse supra Scripturā Canonicam, legitimumque huius sensum. Nec tale absurdum sequitur ex nostra doctrina, & ex quo Ecclesia Catholica Romana prę Spiritu privato vniuscuiusque sit infallibilis regula dignoscendi libros Canonicos, eorumque sensum exponendi. Vide RR. P. Pichardum Arsdekim in Theologia tripartita part. 1. tract. 1. cap. 1. art. 1. & 2. cap. 2. & 3. & sequentibus, & tract. 3. vnde pleraque ex dictis in hac quæstione fere desump-

ta

ta sunt Et forsitam ingrata non erunt.

QVÆSTIO XIX.

An omnes libri num. 182. ex Concilio Tridentino relati pro Canonicis indubitanter sint habendi?

231 REspondeo affirmative. Est fidei dogma. Probatur. Ecclesia Apostolica Romana eos vt tales definivit, atque declaravit, tanquam infallibilis regula, & iudex visibilis in rebus fidei, & morum. Ergo pro Canonicis indubitanter sunt habendi.

232 Manichæi reijciunt à Canone librorum sacrorum integrum vetus testamentum: Faustus etiam Manichæus quatuor Evangelia: Cerdo, & Ebionitæ Acta Apostolorum, & omnes Pauli Epistolas: Nicolaitæ, & alij hæretici Psalmos David: & alij alios libros. Sed immerito. Quia non sunt infallibilis regula dignoscendi libros Canonico, eosque exponendi.

233 Quod autem Ecclesia Catholica Apostolica Romana cum suo capite, seu Summo Pontifice sit regula animata, & iudex infallibilis controversiarum, tam fidei, quam morum, constat ex hactenus dictis, & quidem patenter, & manifestè. Miracula enim, & signa facta à Christo D. & eius Apostolis, cæterisque Sanctis toto Orbe, & omni ævo dispersis in confirmationem veræ Ecclesiæ, & Religionis, sine partium affectu à quovis viro prudenti sedulo considerata, ipsum convictum relinquent, vt ipse sibi persuadeat, solam Ecclesiam Catholicam Apostolicam Romanam præ cunctis alijs Religionibus, & sectis esse infallibilem regulam fidei, & morum: & consequenter, omnes, & solos libros pro Canonicis à Concilio Tridentino definitos, indubitanter vt tales esse habendos. Vbi obiter notandum est ex Salmeron prolog. 32. credere Ecclesiam Catholicam Apostolicam Romanam, esse omnium articulorum præcipuum, & maximum: quo credito, omnia, quæ credenda sunt, fide accipiuntur: illo verò non credito, nihil profectò ad salutem creditur.

QVÆSTIO XX.

An pro Canonicis indubitanter nunc admittantur aliqui libri, quos quondam nonnulli Catholici à Canonismo reiecerunt?

234 REspondeo affirmativè, & quidem certissimè. Ita omnes Scholastici, & Interpretes. Videndus est eloquentissimus Melchior

chior Cano lib. 2. de locis, cap. 5 vbi asserit, plures, & nobilissimos, atque gravissimos Sanctos Patres multis, magnisque rationibus adductos, olim negavisse, quatuordecim libros, septem veteris testamenti, & totidem novi esse Canonicos. Qui autem fuerint isti libri, referunt idem Cano, & alij Scholastici, & Interpretes. Post Sacrosactũ Tridentinum Concilium, citra omnem controversiam libri isti pro Canonicis habendi sunt. Et contrarium necdum est temerarium, erroneum, errori, vel hæresi proximum, verumetiam manifestè hæreticum.

235 Idem Melchior Cano dicto lib. 2. cap. 9. concluſ. 1. non audet vocare hæreticum eum, qui librum Baruch à Canone Sanctarum Scripturarum eximere vellet. In quo ipse (præter morem) nimis scrupulosè, ne dicam, inconsequenter processisse videtur. Probatur assumptum ad hominem. Iuxta eundem Cano, qui post Tridentinum Concilium à Canone Sanctarum Scripturarum eximeret, vel excluderet Epistolas, Pauli ad Hebræos, Iacobi, Iudæ, secundam, & tertiam Ioannis, secundam Petri, libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, primum, & secundum Machabæorum, & Apochalipsis, absolutè est vocandus hæreticus: & summo iure. Ergo & qui negaret librũ Baruch. Probatur consequẽtia. Quia Concilium Tridentinũ haud aliter exprimit in Canone sacrarũ Scripturarũ librum Baruch, ac reliquos supra numeratos; quamquam olim sub dubio fuerit inter Sanctos Patres, Scholasticos, & Interpretes, an prædicti libri essent, vel non essent Canonici. Omnia namque, quæ Deus per suã Ecclesiam, seu Concilium generale à Summo Pontifice confirmatum hominibus loquitur, & proponit, tanquam credenda, sunt æqualiter vera, & certa. Quia omnia nituntur summa, & infinita veracitate Dei, qui nec fallere, nec falli potest. Et aliunde Ecclesia Catholica est vnica, & certa regula infallibilis ad dignoscendum qui sint libri Canonici.

236 Insuper mihi certissimum est, quod si Doctores Catholici, qui olim in dubium vocarunt, an prædicti libri essent Canonici Hodie viverent, iam post Ecclesiæ Catholicæ definitionem, omne dubium deposuissent. Quia in eorum ẽ sententia non aliquis privatus vir, quamtumvis doctus, & sanctus, est infallibilis, certa, & tuta regula dignoscendi libros Canonicos: sed sola Ecclesia Catholica Apostolica Romana.

237 Sixtus Senensis in Bibliotheca lib. 8 hæresi 11. & alibi post Sacrosanctum Triden-

Digitized by Google

dentinum Concilium dicere ausus est, septem vltima capita Esther non esse libros Canonicos. Ad illud autem, quod num. 182. in fine, ex Concilio Tridentino adduximus: *Si quis autem libros, &c.* respondet dicens, Concilium loqui de veris, ac germanis partibus, quæ ad librorum integritatem expectant; non autem de laceris quibusdam appendicibus, & pannosis additamentis, à quovis incognito auctore temerè appositis, & vtcumque insutis, qualia sunt huiusmodi vltima capita.

238 Verum enim vero Sixtum Senensem merito reprehendunt Scholastici, & Interpretes omnes, qui post Tridentinum scripserunt. Minus enim rectè intellexit ipse verba illa: *Cum suis omnibus partibus*: & viâ paravit Lutheranis, Calvinistis, Anabaptistis, Zuinglianis, cæterisque hæreticis à num. 201. relatis, vt illud Tridentini decretũ facilè eludant, & quemlibet Scripturæ sacræ textũ, & locũ contemnant. Et quid aliud vellent Religionis, & Ecclesiæ reformatæ sectatores, seu hæretici proxime citati contra quos præcipuè Tridentinum Concilium congregatum est, & editum illud decretũ? Dubio procul, quicumque vellet Sixto Senensi in hac parte adhærere: mihi videtur, quod nihil aliud intenderet, quàm occultum, nè dicam, apertum eorumdem hæreticorum omnium patrocinium, vt in simili notat Cano lib. 2. de locis, cap. 13 concluſ. 4.

239 Et profectò Sixtus Senensis perhorrescere debuit, dicere, nullo duce, auspice, aut auctore, illud, quod tam expressè, & directè opponitur Sacrosancto Concilio Tridentino, legitimo illius sensui, & fini. Testatissimum est, tale Tridentinum Concilium eo potissimum fine fuisse in Spiritu Sancto cõgregatum, vt provideret, ne Sancta, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia vllum pateretur detrimentum ex sectis Lutheri, Calvini, illorumque sequacium, & Ecclesiæ (quam dicunt) Reformatæ hæreticorũ. Quod satis testificatur Indictionis Bulla eidẽ Tridentino Concilio præfixa. Semel autem atque Sixti Senensis responsio sustineatur: potissimus Concilij Tridentini finis frustratur. Semel admissa huiusmodi licentia, vt hæc, aut illa libri Esther capita pro suo arbitrio, vt Scripturam sacram, vel non sacram Sixtus Senensis, vel quilibet alius recipiat: horreo dicere, quantum cõsequatur periculũ, hæc, aut illa capita Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, Pauli, & reliquorum Scriptorũ sacrorũ, vt Canonica, vel non Canonica recipiendi, & veram omnem

Digitized by Google

Catholicam Religionem penitus abolendi. Omnia,& singula capita, in quibus continentur potissima Catholicæ fidei Mysteria, v. g. Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, Nativitatis, Eucharistiæ, Passionis, & aliorum Domini nostri Iesu Christi, non obstante illo Tridentini decreto, humanorum ingeniorũ libertati permissa erunt, & nihil firmum, ratum, aut fixum erit in Scripturis sacris. Quid? Actum erit de Religione Catholica. Quia funditus evertetur potissimum eius fundamentum. Vide Eminentissimum Bellarminum lib. 1. de Verb. Dei, cap. 7. §. *Accedit postremò.*

QVÆSTIO XXI.

An à Canone Sacrorum librorum nunc excludantur aliqui libri, quos olim Catholicorum nonnulli pro sacris habebant?

240 REspondeo affirmativè, & quidem certissimè. Huius generis est liber Hermetis, qui inscribitur *Pastor*: Tertius, & quartus Esdræ: tertius, & quartus Machabæorum: Oratio Manasses Regis Iudà: & Psalmus 151. Quos Athanasius, & alij Sancti Patres inter Canonicos libros olim annumerarunt; qui tamen iam revera non sunt Canonici. Imò inter apocryphos referuntur, & pro talibus habentur. Quia licet Ecclesia Catholica, seu Tridentinum Concilium non damnaverit prædictos libros, vt continentes falsam, & perniciosam doctrinam: nihilominus illos non approbavit, vt certam, & infallibilem habentes. Ad hæc. Pauci Doctores antiqui, licèt Catholici, docti, & Sancti, non debent, nec possunt Tridentini Concilij, seu vniversæ Ecclesiæ Romanæ auctoritati præferri.

241 Vbi notandum est, vocem *apocryphus* multipliciter accipi. Primò, pro abscondito, seu occulto. Secundò, dicitur liber apocryphus, quia nõ est Canonicus. Tertiò quia caret auctore noto. Quartò, quia est dubiæ auctoritatis. Quintò, quia licet tutè, & liberè ab omnibus legi possit: nihilominus in Officio Dovino propter aliquam iustam causam, quæcumque tandem illa sit, legi non potest. Sextò, quia continet aliquem errorem in fidei, & morum doctrina, & controversijs. Vide Covarrubias tom. variar. lib. 4. cap. 17. & Antonium à Matre Dei prælud. 1. à num. 366.

242 Ly *apocryphus* in secunda acceptione sumitur in præsentiarum, Quare libri num.

Digitized by Google

240. memorati in hac secunda acceptatione sunt apocryphi. Et quamquam non defuerit, qui affirmaverit, tertium librū Machabæorum à Clemente Romano discipulo, & successore Divi Petri, inter Sacros & Canonicos fuisse relatum: id sustineri non potest ex dupiici ratione.

243 Prima est. Quia alias Ecclesia, & Summi Pontifices sibi manifestè contradicerent in doctrina fidei, qualis est designatio librorum, qui pro Canonicis, vel non Canonicis habendi sunt. Quod implicat, vt à num. 206. contra hæreticos Libertinos multis convictū est. Quandoquidem tertium Machabæorum librum à Clemente I. in Canone relatum: eius successor, & Concilij Tridentini approbator, & confirmator ab eodem Canone expunxisset. Quod implicat.

244 Secunda. Sicubi enim Clemens I. prædictum librum inter Canonicos annumerasset, maximè in illo Canone 84. ex his, qui Apostolis attribuuntur. Sed non in illo. Ergo nullibi. Probatur minor primò. Quia Canones Apostolis attributi, & qui dicuntur à Clemente I. in vnum volumen congesti, teste Zeferino Summo Pontifice, dū taxat fuerunt septuaginta. Secundò. Quia nullum est firmū, & solidum fundamentum, ad affirmandum, prædictos Canones Apostolis attributos, ab eodem Clemente fuisse collectos: Quandoquidem Concilium Romanū septuaginta Episcoporū, sub Gelasio Papa, prædictum librum Canonum, Apostolis attributorū, declaravit esse apocryphum: vt constat ex cap. *Sancta Romana Ecclesia*, dist 15. & ex cap. *Canones*, distinct. 16. desumpto ex Isidoro. Canones, qui dicuntur Apostolorum, nec Sancta Ecclesia Romana recipit, nec Sancti Patres eos approbarunt. Imò, præterquamquod Sanctis Patribus Occidentalibus fuerunt incogniti: multa fuerunt in eis damnata, v g. Canon V. de vxore Episcopi, vel Sacerdotis, vel Diaconi non dimittenda prætextu Religionis: Canon LXV. vbi statuitur pœna depositionis, aut excommunicationis, Sabbato ieiunantibus: Canon LXVIII. vbi eadem imponitur pœna feria IV. non ieiunantibus.

245 Quare omni procul dubio dicti Canones ab hæreticis nomine Apostolorum fuerunt compositi, & eisdem Apostolis attributi. Illos Græci libenter, & avidè amplectuntur: ex quo à Romana Ecclesia se se divulserunt: vt prætextum habeant damnandi eamdem Romanam Ecclesiam, & perseverandi in sua Græca: vt videre est in Schismatica. Quinisexta Sy-

Digitized by Google

Synodo habita in Trullo, seu Imperialis Palatij Secretario anno 707. & ita dicta: quia fuit supplementum quintæ, & sextæ Synodi, cuius Canones damnãtur à Sancta Romana Ecclesia. Nec propterea negamus, in attributis Canonibus aliqua vtilia contineri. Continentur enim v.g. quod Episcopi à quibuscũque iudicibus Apostolicam Sedem appellare possint. Quod nullum Concilium celebrari possit, nisi de consensu Summi Pontificis, & Sedis Supremæ. Quod Episcopi criminũ accusati nequeant iudicari, nisi in Concilio, auctoritate Romani Pontificis coacto. Inter hæc autem, vt de more habent, hæretici seminarunt zizaniam: & falsis dogmatibus num. 244. relatis addiderunt sequens: videlicet: *Baptismus ab hæreticis collatus est inanis: hæretici sunt rebaptizandi.* De quibus vide Ioannem Cabassutium in noticia Conciliorum Sanctæ Ecclesiæ cap. 4. & 74. Quibus, & apertissimè expositis, & firmissimè corroboratis, satis demonstrasse videor, tertium Machabæorum librum à Clemente I. inter Canonicos non fuisse relatum.

(?)

****
*****

QVÆSTIO XXII.

An postrema Appendicula libri Iob sit, Canonica, & Sacra?

246 IPsa habetur ad finem libri Iob in editione Græca septuaginta Interpretũ, & ita incipit: *Scriptum est autem, & ipsum resurrecturum, cum quibus resuscitat Dominus, in terra quidem Austitide habitans in finibus Idumeæ, & Arabiæ, & erit nomen ei Iob-ab, &c.* Eam ergo Appendiculam esse Canonicam affirmant Augustinus lib. 18 de Civit. cap. 47. Chrisostomus, Athanasius, Ambrosius, Bonfrerius tom. 1. in præloquijs cap. & sect. 5. & alij.

247 Negant, esse Canonicam Hieronymus quæst. 1. in Genesim, Bellarm. de Verbi Dei, interp. cap. 20. Azor tom. 1. institutionum lib. 8. cap. 1. quæsit. 5. vbi prædictam Appendiculam veritus non est appellare apocryphum. Quorum sententia habet gravissimum fundamentum, & erit nostra conclusio. Probatur. Tridentinum Concilium dicta Sess. 4. definit, & declarat, illos solos libros esse Canonicos, qui in Latina Editione vulgata habentur. Dicta Appendicula Iob non habetur in Latina Editione vulgata, vt patet. Ergo non est Canonica.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXIII.

An Præfatiuncula Threnis Ieremiæ præfixa sit Scriptura Canonica?

248 TEnor illius est, qui sequitur: *Et factum est, postquam in captiuitatem redactus est Israel, & Ierusalem deserta est, sedit Ieremias Propheta flens, & planxit lamentatione hac in Ierusalem, & amaro animo suspirans, & eiulans dixit, &c.*

249 Quæstionem istam satis prolixe tractat Antonius à Matre Dei prælud. 1. a n. 156. Quem in hac parte imitari nolumus: ne in alienam messem mittentes falcem, Prologomenorum loco, præstemus commentaria. Circa hanc ergo quæstionem prima sententia est affirmativa. Quam tenent Delrius, & alij pauci. Secunda est negativa, & mihi probabilior. Quam tenent Bellarminus tom. 1. controv. 1. lib. 1. cap. 20. Salmeron prolog. 9. Canon. 4. Maldonatus, Gaspar Sanchez, & alij; quos refert, & sequitur idē Antonius à Matre Dei. Probatur. Talis Præfatiuncula, nec in Hebræis codicibus, nec in plurimis Latinis habetur; nec Threnorum Expositores eam exponunt. Et quamquā in corpore Bibliorum, etiamnum permittatur: in Ecclesijs, quando lamentationes leguntur, ipsa non legitur. Semper enim incipitur ab ipsis lamentationibus: *Quomodo sedet, &c.* in Hebdomada maiori. Ergo dicta Appendicula non est Canonica Scriptura.

250 Dices Præfatiuncula ista habetur in Biblijs nostris emendatis, eisdemque characteribus, quibus reliquum eorumdem Bibliorum corpus. Ergo sicut istud est Canonicum, ita illa est Canonica. Confirmatur primò. In Biblijs correctis iussu Clementis VIII. & Sixti V. in præfatione sic habetur: *In hac editione nihil non Canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum apponere visum est.* Sed dicta Appendicula posita est. Ergo est Canonica. Confirmatur 2. Quia ob hanc rationem Prologus Ecclesiastici, Præfatio Ieremiæ Epistolæ, quæ in cap. 6. Baruch, & Præfatio Lucæ, quæ in cap. 1. eiusdem inveniuntur, Canonicæ reputantur. Ergo.

251 Respondeo cum Cornelio à Lapide, & alijs, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ex eo enim, quòd eisdem, vel diversis characteribus scripta habeatur, perperam infertur, esse, vel non esse Canonicam. Quandoquidem tituli Psalmorum sunt Canonici: & tamen titulus Psalmi 17. non ha-

habetur eisdem characteribus, ac reliquum Scripturæ Canonicæ corpus. Vide Lorinū Præfat. in Psalm. 1. num. 12. Præfatiunculam ergo huiusmodi correctores Bibliorum noluerunt propria auctoritate à Threnis reijcere, aut diversis characteribus cudere; sed Ecclesiæ auctoritati id reliquerunt. Quia vtraque sententia probabilis est: & lis sub iudice: an sit Canonica, vel non?

252 Ad primam confirmationem respondeo cum eodem Cornelio, Præfationem illam à Bellarmino, vel ab aliquo ex his, qui Emendationi vulgatæ interfuerunt, solum annuente Pontifice, positā fuisse. Quare ex hoc capite non est Canonica. Et, vtcumque res se habeat: Ly *nihil non Canonicum*: ab omnibus limitandum est. Quia alias ly *caput primum*: ly *caput secundum*: capitum, & versuum numeri, & librorum tituli; v. g. liber Geneſis: Hebraicè *Bereſith*: sine dubio inter Canonicas Scripturas referendi essent. Quod falsum est.

253 Ad secundam confirmationem respondeo cū Scalante lib. 4. Clypæi cap. 43. Grethsero, & alijs. Ecclesiastici Prologum non esse Canonicū, licèt Præfatio Epistolæ Ieremiæ, & Præfatio Lucæ sint Canonicæ. Quia istæ in Bibliis cōtinentur, & in Ecclesia legi cōsueverunt. Tridentinum autem dicta Sess. 4. præcipit, libros Canonicos recipi, prout in Ecclesia legi consueverunt. Vide Antonium à Matre Dei prælud. 11. num. 160. Sed gratia maioris claritatis sit.

QVÆSTIO XXIV.

An librorum tituli sint Canonici?

254 DVo sunt indubitata apud Scholasticos, & Interpretes. Primū est, Scriptores sacros Scripturas suas, vel libros nullis capitibus distinxisse. Ita Sixtus Senensis in Bibliotheca lib. 3. de partitione, Salmeron prolog. 9. Canon. 22. Seratius cap. 26. quæstiunc. 9. & alij. Nullum enim est fundamentum ad asserendum contrarium. Et quoties in Scripturis sacris aliæ citantur v. g. cum Vetus testamentum citatur in Novo, nullius capitis fit mentio. Idem dicendum est de divisione capitum in versus, singulis numeris distinctos. Est autem valdè incertum, quis fuerit auctor huiusmodi divisionū, & partitionū. Quidam dicunt, Hugonem Cardinalem circa annum 1254. divisisse libros Canonicos in capita postquam alij libros ipsos diviserunt in titulos, tanquam in partes maiores. Genebrardus divisionem

ista in capita attribuit Musæo Presbytero ex Gennadio. Cum tamen iste tantummodo dicat de Musæo, quòd excerpsit ex Sanctis Scripturis lectiones totius anni, festivis aptas diebus: responsoria etiam, Psalmorum capitula tempori & lectionibus congruentia. Olim etiam singulis capitulis certus præscribebatur titulus, in quo summatim tota continebatur res. Et quia plures summæ procuiusque arbitrio factæ sunt, & in dies augescebant, vel variabantur, aliquando de correctis Biblijs Latinis omnes reiectæ fuerunt, licèt hodie cum vniformitate reperiantur. Secundum est huiusmodi divisionem, Scripturæ sacræ in titulos, tanquam in partes maiores: & titulorum in capita, tanquam in partes minores: & capitum in versus, & numeros, fuisse vtilissimam. Librorū tituli sunt veluti claves & inscriptiones in ædibus: in quarum foribus, ad illarum distinctionem solent affigi. Capitum autem, & versuum distinctio introducta est ab auctoribus, ne perpetua, & nunquam interrupta Scripturarum, & tractatuum longitudo, vel legentibus tædium afferret, vel etiam memoriæ noceret. Hæc distinctio, & divisio in capita, & versus frequens fuit apud Ethnicos. Aristotelis libri omnes continuerunt, teste Laertio, quadringenta quadraginta quinque millia versuum, item ducentos septuaginta. Plinius ait, à Zoroastre vicies centum millia versuum condita fuisse. Vide Serarium cap. 26. quæstiunc. 15. Quibus præhabitis.

255 Dicendum est, librorum titulos nō esse Canonicos, sicut nec sunt Canonicæ capitum, versuumque divisiones. Quia non sunt à Spiritu Sancto specialiter dictata, nec à Scriptoribus sacris ab initio litteris mandata: sed ab Expositoribus introducta, vt totum opus pulchrè distinctum esset capitum, versuumque distributione, vtque sine tædio legi posset. Ita Salmeron loco citato, & Serarius.

256 Nihilominus negari nequit ex dictis num. 251. aliquos esse titulos, qui sint Canonici. Huiusmodi sunt, qui publicè in Officijs Divinis legi consueverunt, & in vulgata nostra habentur.

QVÆSTIO XXV.

An venerint aliqui libri, tanquam Canonici ab aliquis fidelibus recepti?

257 REverendissimus P. Becanus, & ipse Doctor egregius in summa 2. p. tract. 1. c. 7. octodecim refert libros, qui in va-

Digitized by Google

varijs Scripturæ sacræ locis, tanquam Canonici citantur: iam nullibi reperiuntur: & perijsse creduntur. Huius generis sunt liber Bellorum Domini: liber Iustorum: liber Verborum dierum Salomonis: liber Sermonũ Iudà, & Regum Israel: liber Samuelis videntis de rebus à David gestis: liber Nathan Prophetæ de rebus à David gestis: volumen Gad videntis: liber Nathan Prophetæ de rebus à Salomone gestis: liber Ahiæ Silonitis de eisdem: visio Addo videntis contra Geroboam filium Nabat: historia Regum Israel conscripta à Iehu filio Hannani: historia Oziæ Regis conscripta ab Isaia filio Amos: Sermones Hozai de rebus Manasse: lamentatio Ieremiæ in funere Iosiæ Regis: volumen Ieremiæ de eversione vrbis, & captivitate Populi: liber Ieremiæ de vastatione Babylonis: liber Sacerdotij Ioannis Hircani: Descriptiones Ieremiæ Prophetæ Hactenus Becanus. Quibus alij addunt tria millia Parabolarum Salomonis: quinque millia Canticorum, & Naturalia eiusdem Salomonis de plantis, arboribus, & omni genere animalium: librum Iasonis: litteras Eliæ Prophetæ ad Ioram Regem: duos libros Ezechielis: Epistolam Pauli ad Laodicenses.

258 Circa quorum librorum Canonismum non est eadem sententia inter Scholasticos, & Interpretes. Salmeron prolog. 9. can. 4. cum alijs sentit, nullum ex prælegatis libris fuisse Canonicum, & consequenter, nullum talem perijsse. Bellarminus controv. 1. lib. & cap. 4. cum alijs existimat, prædictos libros fuisse Canonicos: iam non extare in rerum natura, & perijsse. Gravina tom. 2. Catholic. præscript. lib 4. controv. 6. vtramque sententiã problematicè defendit.

259 Antonius à Matre Dei prælud. 1. num. 121. indicat, nullos libros antiquitus fuisse Canonicos, qui nunc non extant. Et num. 127. ait, satis probabile esse, & si non omnes, aliquos tamen ex illis, quos ex Becano, & alijs retulimus, fuisse Canonicos quoad se, licet non quoad nos. Et n. 128. duas assignat regulas, ad dignoscendum quinam præ quibus fuerint libri Canonici in actu secundo, & quoad nos. Vide suprà num 185.

260 Litteras Eliæ num. 257 relatas fuisse verè Canonicas, multis ipse P. Antonius à Matre Dei probare contendit. Caietanus, eas fuisse Canonicas, negat. Ambo probabiliter sentiunt. Instituti nostri non est, vtriusque fundamenta discutere, litemque dirimere.

261 Dico 1. Aliqui ex re-

Digitized by Google

latis libris non fuerunt Canonici. Ita Magn. Parens Augustinus lib. 18. de Civit. cap. 38. Probatur. Incredibile videtur, quod omnia illa naturalia, quæ Salomo scripsit de animalibus, plantis, &c scripserit, Spiritu S. specialiter dictante omnia, & singula verba; quandoquidem doctrina illa erat purè speculativa, nec pertinebat ad mores, vel fidei mysteria. Ergo.

262 Dico 2. Multi ex prædictis fuerunt Canonici. Huius generis fuerunt omnes illi, qui ita referuntur in libris Canonicis, vt ipsorum Auctores nominentur Prophetæ, vel videntes: & ipse liber citatur sub nomine visionis, vt lector ad talem remittatur librum, si exactam rei gestæ velit habere notitiam.

263 Dico 3. Alij ex prædictis libris revera coincidunt cum his, qui nunc extant v.g. Duo libri Ezechielis, quos refert Iosephus, sunt liber, qui nunc Ezechielis est, licet antea fuerit in duos libros divisus, & modo vnus sit.

264 Dico 4. Quod in conclusione tertia dictum est, de omnibus libris prædictis dici non potest. Quia libri, qui allegantur, sæpè sunt de quibusdam gestis, quorum nulla fit mentio in libris, quos, vt sacros nunc veneramur. Ergo saltem aliqui libri, & fortè multi ex prædictis, qui pro Canonicis citantur revera non coincidunt cum his, quos habemus.

265 Dico 5. Probabilius est, quod aliqui Canonici libri perierint. Ita communiter SS. Patres Scholastici, & Interpres. Probatur primò. Aliqui ex libris n. 255. & 256. relatis fuerunt Canonici: & ex vna parte, sub proprijs titulis nullibi reperiuntur: & ex altera, sub alijs titulis non continentur in libris, quos pro Canonicis habemus. Ergo perierunt. Probatur secundo. Quia in eo, quod perierint, nullum apparet absurdum. Quandoquidē sufficiunt qui nunc extant libri Canonici: vt homines credant quæ credere tenentur, vtque benè vivant.

QVÆSTIO XXVI.

Cur prædicti libri perierint?

266 ORigenes homil. 1. in Cantic. asserit, idcirco prædictos libros perijsse, quia multa continebant mysteria, humanum captum longè superantia. Sed hæc ratio valde imbecillis, & infirma est. Quia qui nunc extant, & præsertim Apocalypsis eadem continent mysteria, captum nostrum etiam superantia.

267 Glicas in annal. relato Eusebio, eamdem ferè trad-

Digitized by Google

traddit causam. Ait enim, ideo prædictos libros perijsse, quia quædam continebant valdè curiosa. Ly enim *curiosa*, estò possit accipi, vt vox ipsa sonat, vtque intelligitur à Divo Thoma 2. 2. q. 167. art. 1. pro curiositate, quæ est vitium, ab isto tamen Auctore in præsentiarum accipi videtur pro mysterijs valde occultis, & captum nostrum superantibus.

268 Illustrissimus Abulensis 1. Paralipom. cap. vltim. quæst. 32. ait, idcirco prædictos libros perijsse, quia quosdam homines nimium laudabant, & alia continebant, quæ nec ad hominum instructionem, nec ad Dei laudē pertinebant. Sed contra. Quia Deus neminem plus iusto, & adulando laudare potest, nec quid inutile loqui potest.

269 Respondeo, nullam aliam verisimiliorem posse reddi causam, ob quam prædicti libri perierint, quam specialem Dei providentiam, licet nobis occultam. Quæ etiam fuit causa, cur plura, quæ Christus Dominus fecit, & dixit, non fuerunt scripta, vt dicit Ioannes cap. & vers. vltimo. Ad hæc.

Libri Canonici, qui nunc extant, sufficiunt nobis.

(?)

QVÆSTIO XXVII.

An omnes libri Canonici Veteris testamenti aliquando perierint?

270 Affirmativam tenent sententiam Salmeron prolog. 9. Can. 4. & alij. Negativam vero Bellarminus lib. 2. de Verb. Dei, cap. 1. & alij. Antonius Perez vtramque sententiā, & vtriusq; sentētiæ Auctores in concordiā revocare contendit, dicens, Auctores ffirmativæ sententiæ tātum asserere, quod nullum integrum exemplar Veteris testamenti remansit: Auctores verò negativæ dumtaxat negare omnium, & singulorum librorum Canonicorum iacturam. Antonius à Matre Dei prælud. 1. à num. 108. sic suam explicat mentēm per quinque conclusiones.

271 Prima. Exemplaria, quæ Scriptores sacri proprijs exararunt manibus, quæque autographa, sive Archetypi appellantur, perierunt, & non extant in Ecclesia Catholica. Nullibi enim reperiuntur.

272 Secunda. Non fuit necessariū, quòd illa exemplaria originalia extarent in Ecclesia. Quia nullius esse poterāt auctoritatis sine approbatione Ecclesiæ: qua stante, ex originalibus

Digitized by Google

bus codicibus exemplaria transumpta non sunt minoris ponderis, aut auctoritatis.

273 Tertia. Nehemias Sacerdos leges, & codices sacros ex varijs Regionibus (vbi piures persecutionis flammas evaserunt) congregavit, reservavit, & custodivit. Constat ex 2. Machabæorum cap. 2. v. 13. vbi dicitur: *Quæ Nehemias constituens Bibliothecam, congregavit de regionibus libros, & Prophetarum, & David.*

274 Quarta. Esdras, Spiritu Sancto specialiter dictante, prædictos codices: in vnum collectos: alios cum alijs conferens emendavit: aliena, quæ irrepserant, expunxit: confusa distinxit: depravata correxit: quæ necessaria erant, adiecit.

275 Quinta. Esdras libros, & codices à se collectos, & à Magno Concilio approbatos, characteribus, & litteris novis à se inventis proposuit Iudæis.

276 Omnes istę cõclusiones pertinent ad factum, & quidem per antiquũ Facti interpretatio peritissimos etiam sępè fallit ex leg. *in omni parte*, ff. de iuris, & facti ignorantia, & factum quo antiquius, eo probatu est difficilius.

277 Probabiles esse conclusiones prædictas, & primam & secundam sententiam, sentio. Solidis enim nituntur fundamentis ex Scriptura sacra deductis, vt videre est apud relatos Auctores.

278 Prima sententia habet fundamentum in lib. 4. Regum cap. 25. v. 9. & 10. & 1. Machabæorum, cap. 1. v. 59.

279 Secunda suum sumit fundamentum ex 1. etiam Machabæorum, cap. 3 & cap. 11. & ex Luca cap. 4. v. 16. & ex cap. 13. Actuum Apostolorum v. 27. Sed de his hactenus.

QVÆSTIO XXVIII.

Autographæ Scripturæ, seu Codices sacri Originales, qui perierunt, quando, & quo tempore perierunt?

280 QVæstio ista proponitur, & resolvitur breviter. Rua relatus à P. Antonio à Matre Dei prælud. 1. n. 109. ait, in templi Hierusalem incendio sacrorum librorum authographa perijsse. Cuius contrarium manifestè colligi videtur ex 2. Machabæorum cap. 2. v. 5. Quia libri sacri, & consequenter Codices Originales debebant esse positi iuxta Arcam: vt patet Deuteronomij 31. v. 26. *Tollite librum hunc, & ponite eum in latere arcæ.* Ieremias autem quãdo Arcam, & Tabernaculum in Monte abscondit, vt dicitur 2. Machabæor. c. 2. v 5. absdubio originales codices custodisse vi-

de:

Digitized by Google

detur. Res est omnino incerta: nec longiori discussione digna.

281 Quocumque enim tempore perierint codices originales, tam Veteris, quàm Novi testamenti; semper in Ecclesia fuit, est, & erit certa, & infallibilis auctoritas, ad definiēdum, & declarandum quinam præ quibus sint libri Canonici. Quia ad hunc finem specialem Spiritus sancti habet assistentiam. Et in hoc sensu intelligēdus venit Magister Bañez 1. p. q 1. art. 8. dub. 5. dicens, Scripturam sacram præcipuè esse in corde Ecclesiæ. Et quia à corde Ecclesiæ, nec persecutio, nec flammæ eam extrahere potuerunt: ideo semper integra, & illæsa permansit. In quo etiam sensu haud pauci Doctores intelligunt illud commune Canonistarum axioma: *Papa censetur, omnia iura in scrinio suæ mentis habere.* Cap. 1. de constitut. in 6. & l. omnium, C. de testam.

QVÆSTIO XXIX.

An aliqui libri, qui non erant in Canone Hebræorum, sint in Canone Catholicorum?

282 PRo intelligentia quæstionis notandum est ex num. 183. aliquem librum dupliciter posse esse Canonicum: nimirum in actu primo, & quoad se: & in actu secundo, sive quoad nos. Mox atque liber aliquis, Spiritu sancto dictante, scriptus est, revera est Sacer, & Canonicus in se, quoad se, & in actu primo. Quoad nos verò, & in actu secundo non est, nec dici potest Sacer, & Canonicus, quousque Ecclesia definiat, esse Canonicum. Et, licet Ecclesia nequeat efficere, quod, qui antea non erant Canonici libri in actu primo, sint in actu secundo Canonici. Potest tamen efficere, vt qui antea solum erant Canonici in actu primo, fiant Canonici in actu secundo. Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, quæ nunc est, librum Canonicum scribere non potest: vt notat Melchior Cano lib. 2. de locis, cap. 7. prop 3. potest tamen definire: an liber, de quo disputatio est, Canonicus sit, vel non? Vide suprà n. 191.

283 Et ratio est. Quia, vt supra habitum est, definitio dubiorum, quæ circa fidem exoriuntur: ad aliquem iudicem vivum infallibilem in Ecclesia actu nunc existentem pertinere debet; non verò ad priuatos Reipublicæ cives: imperitum vulgus: delirum senem garrulam anum: sutorem indoctū: qui errare, fallere, & falli possunt, & passim falluntur ne dicatur, quod Deus in necessarijs suæ Ecclesiæ defuerit. Tunc

vltra.

vltra. An liber sit Canonicus, necne? An, Spiritu Sancto dictante, scriptus sit, vel non? est dubium, quod circa fidem oriri potest, & quod eamdem fidem tangit. Ergo definitio eius ad aliquem iudicem vivum infallibilem in Ecclesia nunc existentem pertinet. Qui iudex vivus est Summus Pontifex ex Cathedra loquens, sive intra, sive extra Concilium Generale, vt suo loco dicetur à n. 1064.

284 Dico ergo, aliquos libros, qui non erant in Canone Hebræorum, seu, qui solum erant Canonici in actu primo: nunc esse in Canone Catholicorum, & esse Canonicos in actu secundo. Ita communiter Sancti Patres Scholastici, & Interpretes. Et probatur brevissime. Libri Sapientiæ, Tobiæ, Iudith, Machabæorum, Esther (quoad aliqua capita) Baruch, Ecclesiastici, Danielis (quoad capita 3. 13. & 14.) Ieremiæ (quoad eius epistolam) nō erant in Canone Hebræorum. Et tamen sunt modo in Canone Catholicorum Ergo.

285 Confirmatur ex dictis à num. 234. & exemplo clarissimo. Tempore Divi Hieronymi Apocalypsis Beati Ioannis, iuxta plures, non erat in Canone. Nunc autem est in Canone. Ergo.

286 Quando autem Ecclesia ponit in Canone librum aliquem, qui antea non erat in Canone: non tribuit tali libro auctoritatem Canonicam in se, ea ratione, qua iudex superior tribuit inferiori, seu Delegato auctoritatem, & potestatem: & taliter, vt ipse Summus Pontifex, vel Concilium Generale, vel tota Ecclesia novas divinas habeat revelationes, &, ipso Spiritu Sancto dictante, talem scribat librum. Quia vt supra habitum est num. 191. ex Melchiore Cano lib. 2. de locis, cap. 7. prop. 3. Revelationes novæ Divinæ, nec ab Ecclesia, nec à Pōtifice, nec à Concilio Generali expectandæ sunt. Ecclesia ergo tantum facit, quod liber, qui ante ipsius Ecclesiæ definitionē habebat in se, & quoad se Divinam, & Canonicam auctoritatem: istam habeat quoad nos, & in actu secundo post talem definitionem.

287 Dices tamen primò. Ergo Ecclesia maiorem habet auctoritatem, quàm liber Canonicus. Quandoquidem illa tribuit isti Divinam, & Canonicam auctoritatem, saltim in actu secundo, & quoad nos. Quòd explicatur exemplo proximè adducto. Iudex enim superior, & ordinarius maiorem habet auctoritatem, quàm inferior, & delegatus. Eo nimirum, quod eius auctoritas ab illius dimanet auctoritate. Si ergo Canonici libri auctoritas quoad

nos

nos ab Ecclesiæ auctoritate dimanat, huius auctoritas erit maior, quàm illius, saltem quoad nos. Quod est absurdum, & quidem gravissimum.

288 Respondeo, negando consequentiam. Sicut enim pretium libellæ, in qua ponderatur aurū, non oportet, quod sit maius, quàm ipsius auri. Nec omnis lapilydius debet esse pretiosior omni auro, & argēto, quæ eiusdem lapilydij attritu vel tactu examinantur. Ita similiter non oportet, quod auctoritas Ecclesiæ, qua ponderatur auctoritas Canonici libri quoad nos, sit maior, quàm auctoritas eiusdem Canonici libri, qui in se, & in actu primo formaliter ex se ipso, & efficienter principaliter à Deo erat Canonicus. Videndus est Sapientissimus Salmeron prolog. 2. vbi dicit, aliud esse, veritatem huius Divinæ Scripturæ v. g. pendere à sensu, & iudicio Ecclesiæ, quod est blasphemia. Quia sic Divina ab hominibus penderent, & Deus ab homine iudicaretur. Præterquamquod veritas enuntiationū absolutè pendet ab obiectis de quibus enuntiantur: & ab eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa. Et aliud est, quod nos Ecclesiam ipsam Catholicam habeamus pro iudice, non qui sit supra ipsam Scripturam: sed qui nobis declaret, an sit, vel nō sit Scriptura sacra? Et ipse Salmeron hoc explicat exemplo iudicis legem exponētis, & circa illam sententiam ferentis.

289 Dices secundò. Ergo poterit nunc Ecclesia Canonem librorum augere, & veterum Prophetarum libros in eum referre. Quod videtur absurdum.

290 Distinguo cōsequens: si veterū Prophetarum libri sint Canonici in actu primo, &, Spiritu Sancto specialiter dictante, sint scripti, concedo. Si tales nō sint, nego consequentiam. Ob hanc causam libri Sanctorum Dōctorum Augustini, Ambrosij, Hieronymi, Gregorij, Thomæ, Bonaventuræ, & aliorum; licèt egregijs, & summis laudibus sint dignissimi; quia tamen non sunt in actu primo Canonici, nec scripti, Spiritu Sancto specialiter dictāte singulis illorum singulas sententias, singulaque verba, non possunt in Canone sacrorum librorum omnes referri. Nec omnes sunt Verbum Dei, sed Verbum humanum, quatenus est ex se errori obnoxium.

(?)

****
****
****

Digitized by Google

QVÆ-

QVÆSTIO XXX.

An interpretationes nominum, quæ in sacra Scriptura inveniuntur, sint Scriptura sacra?

291 QVestionis sensus exponitur Paulus ad Hebræos scribens cap. 7. v. 1. & 2. interpretatur has vozes: *Melchisedech Rex Salem. Melchisedech* (inquit) *interpretatur Rex iustitiæ. Rex Salem: quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, nec initium dierum, neque finem vitæ habens.* Matthæus cap. 27. v. 46. interpretatur has voces: *Eli, Eli, lamma sabacthani: hoc est: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Marcus cap. 15. v. 34. etiam interpretatur ferè easdem voces: *Eloi, Eloi, lamma sabacthani? Quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Idem Marcus in eodem cap. v. 22. sic ait: *Et perducunt illum in Golgotha locum: quod est interpretatum Calvariæ locus.* Ioannes cap. 19. v. 13. ait: *Et sedit pro tribunali in loco, qui dicitur Lithostrotos; Hebraicè autem Gabbatha.* Idem Marcus c. 7. v. 34. ait: *Ephpheta, quod est adaperire.* Gen. 31. v. 48. *Nomen eius Glaad, ideſt, Tumulus testis. Vocavit* (Raquel, Gen. 35. v. 18.) *nomen filij sui. Benoni, ideſt, filius doloris mei. Pater verò appellavit eum Beniamin, ideſt, filius dexteræ.* Et Exod. 12. v. 11. dicitur: *Est enim Phase* (ideſt transitus) *Domini.* Exod. 16. v. 15. *Manhu? quod significat, quid est hoc?* Apocalips. cap. 9. v. 11. *Cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autẽ Apollyon, Latinè habens nomen Exterminans.* Cum ergo in his, & similibus casibus Scriptores Canonici Hebraicas voces ob speciales causas retinentes: eisdem Hebraicis vocibus interpretationes addiderint: de his interpretationibus quærimus: an sacræ Scripturæ, & Canonicæ sint?

292 Eloquentissimus, iuxtaque Sapientissimus Melchior Cano (quem sæpissimè legi, & nunquã sine admiratione magna, & delectatione maxima) Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ professor, ac primariæ Cathedræ in hac Salmanticensi Academia, vbique terrarũ celeberrima Moderator dignissimus, Canariensis Episcopus, qui Tridentino Concilio interfuit, & expectante, & admirante toto illo gravissimo cœtu, & conventu, imò, & orbe: Lutheranos, & alios hæreticos supra relatos summa dexteritate confutavit, & qui summis Ecclesiæ ædificatoribus æqualis, vel suppar haberi debet. Hic (inquam) tantus Doctor post idem Con-

Digitized by Google

cis

cilium Tridentinum dixit lib. 2. de loc. cap. 11. in respons. ad 7. perhorrescendum non esse, si quis concedat, interpretationes nominum in Scriptura extra Scripturam esse. En ipsius verba, & quidem elegantissima: Quod si objicias, illam particulam (Eli, Eli, & alias num. 291. relatas) non esse sacram Scripturam, si hoc verum est: vt quæ ab officina Interpretis prodierit. Primum, conceditur conclusio: neque ego video, cur perhorrescere debeamus. Hactenus ille.

293 Idem Cano lib. 12. de locis sic de se, & de suo Magistro in proœmio ait: Fratrem Franciscum Victoria::: solitum dicere audivi, postquã ab illius schola discessi, se ingenio meo quidem egregie delectari: sed id veteri, ne huius excellentia quadam elatus, & exultans immoderate iactarer, & grandior effectus, non lætè modo, & liberè ingrederer, sed temere etiam, ac licenter Præceptoris vestigia conculcarem. Audierat enim, me opinionem ipsius vnam, & item alteram non probasse. Vellem autem, de nobis ea vere dicerentur, quæ ille pro nimia sua in filium indulgentia dicebat::: Quod ad animi moderationem attinet, quam vir in me modestissimus desiderabat, in eo dedi operam, vt timorem illius ego fallerem. Effecerim, an non, alij incorruptius iudicabunt. Sane, si qua in me temeritatis culpa est, vix eam excusatione alicuius rei tegere, & adumbrare possum: qui sciã, parum ingenium valere, quamlibet excellens, & eximium, posse: nisi prudentis intelligentiæ fræno, & definita animi moderatione gubernetur. Hactenus Cano. Cuius scripta, præsertim circa præsentem materiam, si suus Magister Victoria vidisset, Prophetam se fuisse veridicũ, dubio procul affirmasset. Timorem Magistri non fefellit Discipulus. Et non lætè modo, & liberè, sed temerè etiam, aclicenter aliorum vestigia cõculcavit, sicut Magister Victoria prædixit.

294 Quod sic demonstratur. Interpretationes nominum ex vna parte expressissimè habentur in Veteri Vulgata Nostra Editione correcta, per Tridentinum admissa, eisdemque characteribus, quibus reliquum Scripturæ sacræ corpus. Ex alia parte in Ecclesia semper legi consueverunt. Sunt ergo rigorosa Scriptura sacra, iuxta fidem Catholicam. Perhorrescendum ergo est, concedere, interpretationes nominum in Scriptura extra Scripturam esse. Nullum enim est aliud signum evidentius Scripturæ sacræ.

295 Ex num. 253. potissimæ

Digitized by Google

mæ regulæ ad dignoscendum: an aliqua Scriptura sit sacra, vel non? Sunt istæ: quod in veteri Nostra Vulgata habeatur eodē charactere, ac reliquum Bibliorum corpus: & quod in Ecclesia publicè legi soleat. Sed totū hoc competit interpretationibus nominum. Ergo istæ sunt rigorosa Scriptura sacra.

296 Hieronymus in exponendis Scripturis provisus à Deo Doctor Maximus longè aliter sensit, ac Melchior Cano. Ad cap. enim 4. ad Galatas. v. 4. *Quoniam autem estis filij, misit Deus, &c.* sic ait: *Et hanc consuetudinē in pluribus locis Scriptura conservat: vt Hebraicū verbum cum interpretatione sua ponat: Bartimeus, filius Timei: Afer, diuitiæ: Thabita, Dorcas: & Misech, Vernaculus: & his similia.* Vbi notandæ sunt voces illæ: *Scriptura conservat.* Sic sentit Hieronymus lib. 2. Epistolarum. Et cap. 3. ad Ephesios asserit, singulos sermones, syllabas, apices, puncta in Divinis Scripturis plena esse sensibus. Et in quæstionibus Hebraicis in Paralipomenon inquit: *Sciendum sanè, quia crebrè appellationes personarum, & immutationes nominū, & repetitiones ad magnum mysterium pertinent.*

297 Eminentissimus Caietanus Melchioris Cani frater dilectissimus dixit, in expositione sacrarum litterarum cōmunem omnium Sanctorum veterum intelligētiam non esse certissimum, imo nec certum argumentum, ad Theologicas assertiones corroborandas, & quādo novus sensus sacræ Scripturæ occurrit textui consonus, quamvis a torrente omnium Sanctorum Patrū sit alienus, ab eisque dissonet, neminem detestari debere novum eiusdem Scripturæ sacræ sensum. Ipse Cano lib. 7. de locis cap. 3. concl. 5. à num. 10. Caietanum suum Patrem, & fratrem amantissimum temeritatis, & erroris nota afficit: & quidem iustissimè, vt suo loco dicemus. Caietani sententiam fuisse eamdem, quam tenuerunt Lutherus, Vvioleffus, Petrus Abailardus, & alij hæretici, & schismatici, non veretur dicere Melchior Cano.

298 Et num. 10. pag. mihi 257. ea, qua solet, eloquentia alloquitur Caietanū: Te nūc Caietane Pater, si filio Patrem appellare licet, appello. Te Caietane, inquam, appello. Te in Concilium voco, te non in Lyceum, aut Academiam in duco, sed in Sanctorum Patrum pacificum, honorandumque Conventum. Pone tibi ob oculos, rogote, tam numerosam seriem eruditissimorum virorū: quos in hunc vsque diem tot sæculorum consensus approbavit: quos præter admirabilem Sacrarum litterarum peritiam

Digitized by Google

vitæ

vitæ quoque pietas mira commendat. Aspice illos, obtecro te, quodammodo aspiciētes te, & mansuete ac leniter dicentes tibi. Ita ne nos, fili Caietane, in sacrarum expositione litterarū simul omnes erramus? Ita ne nobis omnibus, quos Ecclesiæ Christus præceptores dedit, Spiritus intelligentiæ defuit? Ita ne tu vnus adversū nos pugnare audes, & Ecclesiam credis vnius sensum hominis secuturam, huius vero gravissimi sanctissimique Senatus commune iudicium deserturam? Vtrum plus tribuendum esse iudicas, tot eruditorum, Sanctorū, Martyrumque præiudicijs, an tuo singulari, privatoque iudicio? Respondebis ne ad hæc, aut omnino hiscere audebis? Videre mihi videor, Caietane Pater, modestiam tuam, ingenijque candorem, atque adeo in Sanctos religiosam reverentiam, & pietatem, & quasi coram esses, audio vocem tuam aures meas circumsonantem: vicimus vtrique. Vterque nostrum palmam refert: tu mei, & ego erroris. Sed nescio, bone lector, quo me impetus animi, & nimius disserendi calor evexit. Nam & Caietanus eo iam diu loco est, vbi omnes sine mea disputatione vicit errores: & ego non consuevi eorum insultare erroribus, quorum miror ingenia. Hactenus Melchior Cano contra Caietanum.

299 Sed cur? Quam ob causam? Diximus iam. Quia negavit Caietanus, communem antiquorum Sanctorum Patrum intelligentiam certam esse lineam, ad quam in exponendis sacris Scripturis, interpretationes nostras dirigere debeamus. Quia idem Caietanus multa extra Apostolicam, atque Paternam traditionem asseruit: Paradisi plantationem proijciens: in carne Adam formatum fuisse nolens: ex eo Evam formatam fuisse vituperans: serpentis venenum refutans cum Origenistis. Vide eumdem Cano dicto lib. 7. cap. 3. num. 14. pag. mihi 254.

300 Sed rogo Melchiorem Cano: Auctoritas omnium veterum Patrum coniuncta cū auctoritate œcumenici Tridētini Concilij à Summo Pontifice approbati, & confirmati, & cū auctoritate omniū Scholasticorum, & Interpretum, qui post idem Tridentinum scripserunt, erit ne minoris momenti, & ponderis in controversia de Canonismo interpretationum nominum Scripturæ sacræ, quàm priscorum Patrum in explicatione, & intelligentia eiusdem Scripturæ sacræ? Minime Gentium. Dubio procul quæ sequūtur incommoda ex nova ratione exponendi sacras litteras per Caietanum suscitata, sequuntur

Digitized by Google

& ex Melchioris Cani doctrina.

301 Audiamus eumdem Cano loco citato, num. 17. *Primum autem*, pag. *mihi* 257. contra suum fratrem Caietanū: Primum autē, qui novam hanc exponendi sacras litteras rationem suscitant, hi, preterquam quod veteres obterunt maiorū laudes, cum vanis hominibus, tum magis hæreticis exemplo sunt, vt novis, falsisque commentis sacrarum litterarum vera sensa contaminent. Quod si semel admissa fuerit hæc licentia, vt libros sacros pro suo quisque arbitrio interpretetur, horreo dicere, quantum abolendæ Religionis periculū consequatur. Etenim vna qualibet particula Sanctarum Scripturarū humanorum ingeniorum libertati permissa, alia quoque, atque alia, & omnes iam quasi ex more reliquæ humanitus tractabūtur. Porrò autem si totam Scripturam Divinam hominum quorumlibet ingenio, arbitratuque exponi liceat, nihil firmum relinquetur. Sed sit ibi deinceps errorum lupanar, necesse est, vbi erat ante castæ, & incorruptæ sacrarium veritatis, quemadmodum Vincentius Lyrinensis nō minus verè, quam eleganter asruit. Hactenus Cano.

302 Sed quæ ipse adversus Caietanum iactavit, contra eumdem Cano iure summo retorqueri valebunt. Semel enim atque interpretationes nominū extra Scripturā sacrā sint: quāquam in vulgata nostra Editione, eodem charactere, quo reliquum Scripturæ sacræ corpus habeantur, & in Ecclesia publicè legantur: profecto hæreticis via aperitur manifesta, vt pro libito suo textus, capita, & libros Scripturæ sacræ admittant pro Canonicis, vel à Canonismo reijciant: non obstante Tridentini decreto. Expositiones enim num. 291. relatæ, & aliæ id genus, sunt particula aliqua Sanctarum Scripturarū. Preme nunc ly *Etenim vna qualibet particula Sanctarum Scripturarum.*

303 Prævidit proculdubio Melchior Cano incommoda ista. Ideo forsitam post illa verba, quæ ex ipso retulimus n. 292. in fine, quasi se reformans, dixit: *Deinde, negatur illa collectio. Si ab interprete proficiscatur, extra sacras litteras est. Nam particula, quæ ad servandam, vel congruitatem, vel intelligentiam in sacrarum litterarum interpretatione additur, non censetur à sacris litteris aliena.* Quod probat Hieronymi testimonijs n. 296. memoratis. Videatur Maldonatus in præfatione ad quatuor Evangelia, cap. 5.

(?)

Digitized by Google

QVÆ-

QVÆSTIO XXXI.

An aliqua Scriptura sacra ante Moysem extiterit in rerum natura?

304. AFfirmativam sententiam tenent aliqui, quos refert Antonius à Matre Dei prælud. 1. num. 14. & 75. Probabilior est negativa. Quam expresse tenet Divus Thomas 1. 2. quæst 98. art. 6. Quia non expediebat, quod statim post Adæ peccatū Scriptura sacra extaret. Tum, quia homo sua sola ratione fretus non agnoscebat, quod indigebat Scriptura sacra, ad Deum colendum, & rectè, honesteque vivendum. Tum, vel maximè, quia lumen rationis naturalis adhuc non erat obscuratum, & obtenebratū consuetudine peccandi.

305 Hebræi, vel Rabbini, qui dixerunt, Adamū ipsum aliqua scripsisse, & illius scripta, & librum Henoch vna cum ossibus eiusdem Adami in Arca Noe reservata fuisse: nullo solido nituntur fundamento. Vide nihilominus Boolduc de Ecclesia ante legem lib. 1. cap. 19. & Euseb. Nieremberg. de Origin. Scriptur. sacr. c. 13.

QVÆSTIO XXXII.

Quis fuerit litterarum inventor?

306 QVæstio ista ad Prologomena nostra pertinet: vt notat Antonius à Matre Dei præ lud. 2. num. 13. Quia de Scriptura sacra, vti par est, tractari nequit: nisi de origine Scripturæ, & litterarum, quibus constat, ratio prius habeatur.

307 Quidam Iudæi, & Rabbini dixerunt, Alphabeti sui litteras fuisse sempiternas, & ante creationem huius mundi, & legem Moysis, scriptas. Ita Abogardus Episcopus Lugdun. tract. de Iudaicis superstitionibus tom. 9. Bibliot. fol. 565. refert de eisdem Iudæis.

308 Alij dixerunt, inventorem, & Auctorem litterarum fuisse Isidem, filiam Inachi: alij Menonam: alij Abrahamum: alij Henoch: alij Moysem: alij Promethæum: alij Assyrios: alij Phœnicios: alij Babylonios: alij Demaratum Corinthium: alij Epimarchum: alij Cecoprem: alij Linum: alij Anubim: alij Parcas: alij Iberos: vt videre est apud prædictum Antonium à Matre Dei.

309 Omnium probabilissime sentire videntur, qui asserunt, Adamum Divinitus edo-

ctum fuisse primum litteratum, & characterum inventorem, & Auctorem. Ita Magnus Parens Augustinus quæst. 69. in Exod. & lib. 18. de Civitat. cap. 39. & videri potest Beierlinch in Theatro vitæ humanæ. Verb. *Litterarum inventor.*

310 Hinc reiecta manet opinio illorum, qui dixerunt, homines didicisse litteras à Gruibus: iuxta illud Hieronymi scribentis ad Rusticum: *Grues viam sequi ordine litterato.* Hieronymus solum voluit dicere, quod Grues in suo volatu litterarum similitudinem imitantur.

311 Idem Antonius à Matre Dei prælud. 2. à num. 27. tractat de litteris symbolicis, seu Hieroglyphicis, quæ fuerunt frequētissimæ Ægyptijs, vt suos exprimerent conceptus, & quibus, quasi litteris Alphabeticis, quidquid volebant, scribebant; & scriptio ista symbolica erat multiplex: imitativa nimirum, Tropica, Ænigmatica, & Notariaca. Agit etiam de instrumentis scribendi, nimirum stylo ferreo, æreo, osseo, buxeo, saxeo, adamantino, & calamo iunceo, arundineo, cupreo, argenteo, vel ex avium pennis effecto, vel penicillo, aut acu, & alijs. Agit insuper de materia, in qua litteræ formabantur, nimirum de saxis, lateribus, arborum corticibus, & folijs, præcipuè papyri, palmæ, tiliæ, & lauri, ligneis tabellis, laminis argenteis, plumbeis, cupreis, &c. membranis pergamini, Pergami ab Eumene Rege inventis, linteis lineis, aut byssinis. Agit etiam de pugillaribus: & materia ex qua, scilicet attramento, minio, &c. Nec de his plura.

QVÆSTIO XXXIII.

Quæ fuerit omnium linguarum prima?

312 QVæstio ista etiam pertinet ad Prologomena nostra. In qua, vel circa quam varij sunt modi dicendi, & opinandi, vt videre est apud P. Antonium à Matre Dei prælud. 2. à num. 1. Et quæstionem præsentem appellat per celebrem. Sit profecto. Ab illa breviter nos expediemus.

313 Lingua nulla est homini connaturalis. Quia voces, quibus loquimur, significant ad placitum. Quidam ergo dicunt, primam omnium linguarū fuisse Arcadicam: alij Togormanam, sive Scythicam, Cymbricam, vel Ascanicam: alij Phrygicam: alij Syriacam: alij Chaldaicam.

314 Omnium probabilissimè, ne dicam certissimè, & verissimè sentiunt, qui aiunt, linguam Hebræam fuisse omnium

Digitized by Google

nium primam. In hac Deus loquutus est ad Adam, & Evam: & illi ad Deum: in Paradiso. Ista lingua Hebræa fuit materna communis, & vulgaris in vniverso Orbe, vsque ad confusionem linguarum; quæ contigit in ædificatione Turris Babylonicæ. Ita communiter Sancti PP. Scholastici, & Interpretes; præsertim vero Augustinus lib. 16. de Civit. cap. 11. & lib. 18. cap. 39. Hieronym. in Sophon. Divus Thomas ad cap. 11. Genesis, Abulensis ibidem quæst. 1. & 2. & ad cap. 13. quæst. 341.

315 Hinc sustinenda non est opinio illorū, qui dixerunt, primam illam linguā, qua Adamus, & Eva vsi sunt in Paradiso, iam perijsse. Extat enim, & perseverat. Et licet à creatione mūdi, vsque ad confusionem linguarum nullo speciali nomine sit insignita, & solùm fuerit nūcupata *lingua, vel locutio humana*: eo quod esset vernacula, & omnibus hominibus communis. Nihilominus post confusionem linguarum appellata fuit *Hebræa, siue Hebraica ab Heber*, & in familia, quæ descēdebat ab Heber, permānsit. Cuius rationē tradit Augustinus verbis luculentissimis dicto lib. 16 cap. 11. Familia enim, quæ descendebat ab Heber, fuit immunis ab omni culpa in ædificatione Turris Babylonicæ. Quare etiam fuit immunis à pœna, qua affecti sunt, qui culpæ participes fuerunt. Pœna autem fuit amissio linguæ illius, quæ fuit prima, & sola vsque ad illud tempus, & confusio aliarum. Quare in sola familia, & gente descendente ab Heber, relicta est, & permānsit lingua Hebræa, creationi mundi coæva: & in posterum sic appellata est ab ipso Heber.

316 Et suppositā doctrina Divi Thomæ in 2. dist. 2. quæst. 2. art. 2. ad 5. & in 4. dist. 44. quæst. 2. art. 1. q. 4 dicentis, Beatos in Cœlo articulata voce ad colloquendum inter se, & ad Deum laudandum, post resurrectionem vsuros: dicendum est, lingua Hebræa loquuturos, sicut eadem loquuti sunt nostri primi Parentes in Paradiso. Nec de his plura.

QVÆSTIO XXXIV.

In quo idiomate, vel lingua, & quibus characteribus fuerint scripti libri Canonici?

317 SIne resolutione duārum præcedentiū quæstionum non poterat recto ordine, & methodo ista resolvi. Sit prima assertio. Ferè omnes libri Veteris Testamenti Hebraico idiomate, & Hebraicis characteribus primò conscripti fuerunt. Ita communiter Sancti PP. Scholastici, & Interpre-

pretes. Dixi: fere omnes. Quia libri Tobiæ, Iudith, Iob, Sapientiæ, Baruch, Esdræ, Danielis, & secundus Machabæorum primo conscripti fuerunt Chaldaico, vel Syriaco idiomate, vt testatur Divus Hieronymus.

318 Lingua Chaldaica, & Syriaca ab Hebræa purè Hebræa iuxta quosdam, & quidem probabiliter, solum accidentaliter differt: levi videlicet mutatione quarumdam litterarum, vocum, aut pronuntiationum, quemadmodum lingua Castellana à Bætica, & Galleca. Probabilius tamen est, essentialiter, & specificè distingui dictas linguas Chaldaicam, & Syriacam à purè Hebræa. Videndi sunt Salmeron prolog. 14. Serarius cap 3. quæst 2. Antonius à Matre Dei, prælud. 2. n. 33. & 34. Omnes Orientales linguæ, v. g. Arabica, Æthiopica, Indica, Chaldaica, Syriaca, &c. profectæ sunt ab Hebræa, sicut linguæ Occidētales, Italica videlicet, Gallica, Hispanica: cum omnibus idiomatum speciebus, quæ sub qualibet illarū habent varietatem, ortæ sunt à Latina, iuxta Salmeronem Quod nobis valde displicet. Ex dicendis enim à num. 366. lingua Vasconica, quæ fuit prima omniū imò, & vniversalis, & vernacula in vniversa Hispania, & Occidentalis, ortum ducere non potuit à Latina Dicendum nihil ominus est, tam linguam Vasconicam, quam Latinam, & reliquas omnes ab Hebræa ortum ducere. His præhabitis.

319 Sit secunda assertio. Ferè omnes libri Novi testamēti primò fuere conscripti lingua Græca. Ita communiter Sancti PP. Scholāstici, & Interpretes. Dixi: *Ferè omnes*: quia Matthæi Evangelium, & Epistola ad Hebræos idiomate Hebræo, licèt non puro, scripta sunt. De Marci Evangelio dubitant non pauci. Probabilius tamē, quod Græca lingua scriptum sit. Epistola ad Romanos latinè primò scripta fuisse videtur, quamquam haud paucis Græcanicis plena sit idiotismis. Ex quibus haud leve desumitur fundamentum, ad dicendum, primò Græcè fuisse scriptam.

320 Ex quibus omnibus constat, vniversam Scripturam sacram tribus linguis, & omnium excellentissimis fuisse primò scriptam, Hebræa nimirum, Græca, & Latina; licèt Hebræa fuerit omnium prima origo, & fons. Tres istæ linguæ reliquas omnes excedunt, & se se mutuo etiam excedunt. Hebræa, quidem antiquitate; Græca, eloquentia, & copia: Latina demum gravitate. Vide Salmeron prolog. 3. & 14.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXXV.

Vtrùm liceat, & expediat sacros libros convertere in alias linguas à primis, quibus fuere conscripti?

321 Dictum est, quibus linguis, quibusq; characteribus Canonicæ Scripturæ, tum Veteris, tum Novi testamẽti principiò scriptæ, & exaratæ sint. Et videtur, quod tribus: Hebræis nimirum, Græcis, & Latinis. Chaldaica enim, & Syriaca linguę, esto specificè differãt à purè Hebræa: vt n. 318. habitum est: contrarium etiam est probabile. Et ideo sub Hebræa comprehenduntur, vel ad illam reducuntur. Ferè omnes Scriptores vtriusque testamenti fuerunt Hebræi. Et cum tempore Christi Domini, Apostolorum, & Evangelistarum innumeræ essent variarum gentium linguæ vernaculæ, & Apostoli ipsi linguis loquerẽtur omnium. Nihilominus quidquid vt Scriptotes Canonici scripserunt, solum Hebraicè, Græcè, & Latinè scripserunt Sic etiam Christi Domini Crucis titulus Hebraicè, Grecè, & Latinè inscriptus erat. Qua adhibita observatione.

322 Dico primò. Licet sacros libros convertere in alias linguas distinctas à primis, quibus primo fuerunt conscripti, Ita omnes Catholici. Probatur. Quod nulla lege prohibitum est, licet. Nulla lege prohibitũ est, sacros libros in alias linguas convertere. Ergo licet.

323 Confirmatur Deus miraculis confirmare non potest id, quod non licet. Sed versionem Scripturæ sacræ per Septuaginta Interpretes factam miraculo cõfirmavit. Ergo eam facere, licuit.

324 Dico secundo. Expedit, quod libri sacri ita convertantur, & transferantur. Sic sentiunt omnes Catholici. Probatur primò. Expedit, quod alij libri in diversas linguas à primis, quibus scripti sunt, convertantur. Ergo & quod sacri. Eadem enim, imò maior est ratio.

325 Probatur secundò. Expedit, & quidem plurimum, quod libri Canonici nationibus omnibus commode communicentur. Sed nisi per hanc viam conversionis & translationis in alias linguas, commodè communicari non possunt. Ergo.

326 Confirmatur ista ratio. Per huiusmodi translationis viam notitia veri Dei, veræque Religionis ad plures Regiones, & homines pervenit, quam perveniret sine huiusmodi translationibus. Ergo expedit, &c.

327 Probatur tertiò. The-

Digitized by Google

sauri absconditi, fontesque occlusi, & obsignati nullius sunt vtilitatis, aut commodi, vt aiebat Ptholomæus Rex, quando iussit, vt septuaginta Interpretes suam facerent versionem. Sed libri sacri sine versionibus forent quasi thesauri absconditi, fontesque occlusi, & obsignati. Ergo, vt sint alicuius commodi, debent in alias linguas converti. Ergo expedit, &c.

328 Probatur quartò. Magnum quemdam librū cunctis hominibus, atque nationibus dedit Dominus omnium Creator, & Pater providentissimus: vt in illo, omnes legere, & videre possemus quid agere deberemus: quomodo erga ipsum Deum, erga nos ipsos, & erga proximū nos gerere, oporteret. Quod colligi videtur haud obscure ex Psalm. 4. v. 7. *Signatum est super nos lumē vultus tui Domine*: iuncto textu Apost. ad Rom. 1. v. 20. *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Quod testificatur Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 19. Ergo incredibile est, quod Deus noluerit etiam dare cunctis hominibus, & nationibus libros sacros, in quibus clarius legerent, & viderent quid agere deberent, &c. Sed hoc per nullum aliud medium convenientius fieri poterat, quam per versiones. Ergo expedit, quod istæ existant.

§. VNICVS.

Contraria soluuntur argumenta.

329 ARguitur primò. Multi eorum, qui olim voluerunt sacros libros in alias linguas à primigenijs convertere, in pœnam peccati à Deo fuerunt puniti. Ergo nec licet, nec expedit. Probatur antecedens ex his, quæ referunt Abulensis super Eusebium 1. p cap. 4 fol. 7. Iosephus de antiquitat. lib. 12. cap. 2. & alij de Theopompo Historico, & Theodecto Poeta, ex quibus ille in amentiam incidit, & hic amisit visum, quia libros sacros in suas linguas convertere ausi sunt. Ergo.

330 Respondeo, Theopompum, & Theodectum non fuisse Divinitus, & miraculosè punitos, quia aliquas sacrorum librorum partes in suas linguas converterunt; sed quia eas ita converterunt non recto modo, sed fine malo: res Divinas ad profanas transferendo. Conversio enim illarum partium, & omnium aliarum librorum sacrorum secundum se licita, & bona est. Quia, quod omnium interest pro consequēda vita æterna, oportet, quod ad omnium perveniat notitiam. Qui finis ex-

Digitized by Google

Expeditius obtinebitur medijs versionibus, debito modo, & fine factis.

331 Arguitur secundò. Ob translationem per septuaginta Interpretes factam, & in pœnam huius peccati: quoddā solemne ieiunium indixerunt Hebræi pro mense octavo *Tebet*, id est, Decembri. Insuper, sicut iuxta Marcum cap. 15. v. 33. quando Christus Dominus mortuus est, *facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terrā*: ita mundus vniversus triduanis tenebris circū fusus est ob peccatū, quod in translatione septuaginta Interpretum Alexandriæ commissum est: vt Iudæi fatentur. Ergo quia illicita erat, & prohibita illa translatio septuaginta Interpretum. Ergo & quævis alia. Ergo, &c.

332 Respondeo negando antecedens: ob illam namque translationem, vtpote per specialem Spiritus Sancti assistentiam Divinitus, & miraculosè factam: solemnis, & festivus dies anniversaria solemnitate quotannis celebrandus in gratiarum actionem à Iudæis institutus est: vt testificantur Philo, & Iustinus à Serario cap. & quæst. 17. relati. Ieiunium autem illud institutum fuit à Rabbinis anno à Nativitate Christi ducentesimo; vel circiter, eo quod ægrè ferrent, quod Septuaginta Interpretum translatio in plerisque Synagogis publicè legeretur a Iudæis, & per eam plurimi ad Christū converterentur.

333 Ieiunium autem illud iam non observatur à Iudæis, & illud introduxerunt Rabbini, vt lugubri ieiunio festum anniversarium num. 332. relatum, & translationem ipsam penitus delerent, & obtruderent. Sicut Catholici obcæna Gentilium Bachanalium festa delere, obtrudereque studuerunt per ieiunia pro eisdē diebus instituta: vt testatur Baronius in annotat. Martyrol. Romæ die 1. Ianuarij. Tenebræ autem illæ sunt fabulosæ, & fictæ. Quia nullibi de illis fit mentio. Et Scriptores omnes veteres Græci eiusdem ætatis tales tenebras tacuerunt: non omissuri, si scivissent: scituri omnino rem, si fuisset vt in simili ait Melchior Cano lib. 11. de locis, cap. 5. pagina *mihi* 358. cap. 2. in respons. ad 14. Videndus est Serarius cap. 11. in prologom. quæst. 1. in respons. ad 2.

334 Arg. 3. Si liceret, sacros libros in alias linguas cōvertere, & transferre: nō esset cur in omnes etiam vulgares, maternas, & nativas cuiuslibet nationis transferri, & converti non possent. Sed non possunt. Ergo non licet sacros libros, &c. Cōsequentia tenet. Maior videtur certa. Cum non sit maior ratio

vnius linguæ, quam aliarum. Minor vero probatur ex Edicto Sanctæ Inquisitionis, quod reperitur in indice librorum prohibitorum anni 1640. in quarta regula: vbi expressè prohibentur Biblia, vel manuscripta, vel impressa in omni, vel quacumque lingua.

335 Confirmatur. In prædicto Edicto, vel decreto cautum est, ne vernaculæ Editiones Sacræ Scripturæ vulgares sint, & venales omnibus pateant. Ergo non licet, Scripturam sacram in aliquam linguam convertere. Probatur consequentia. Quia nulla videtur lingua, quæ alicubi nō sit vulgaris: Hebræa apud Hebræos: Græca apud Græcos: Latina apud Latinos: Hispana apud Hispanos: Vasconica apud Vascones: Itala apud Italos: Germanica apud Germanos; &c. Et lingua Hispanica dicitur in Hispania vulgaris: quia vulgus illa vtitur. Et idem dicendum de reliquis.

336 Respondeo negando maiorem. Potest enim assignari ratio specialis, ne sacri libri in quaslibet converterētur linguas. Et eam absdubio habuit Ecclesia: habuit & illam Sanctissimum Inquisitionis Tribunal, quando prædictum edidit decretum, in quo explicat, & quidem clarissimè, quam intelligat linguam vulgarem, in qua prohibet, Biblia vel manuscripta, vel imprimi. En illius verba, referente ea Antonio à Matre Dei prælud. 2. n. 39. Regula 5. *Se declara, que no es lengua vulgar la Hebrea, Griega, Latina, Caldea, Syriaca, Etyopica, Persica, y Arabiga: lo qual se entiende de las originales, que no se vsan comunmente en el lenguage familiar. Para que el Lector tenga entendido, que todas las demas lenguas fuera de estas son vulgares.* Et hinc patet ad confirmationem. Quot, qualesque fuerint versiones, & Editiones vernaculæ Scripturæ sacræ, dicemus quæst. 38.

337 Arguitur quartò, eritque argumentum contra secundam assertionem. Ex quo Canonici libri in suis primigenijs conserventur linguis multa sequuntur emolumenta: ex quo verò in alias convertantur, plurima oriuntur incommoda. Ergo non expedit, quod convertantur. Explicatur antecedens. Linguis illis, in quibus Deus loquutus est, maior habetur reverentia, & devotio. Insuper maior vnitas, & concordia florebit inter omnes fideles, dum cuncti audiunt Deum in vna, vel altera lingua loquentem, quam in multis. Hoc pacto leges, & ceremonias ipsius Dei melius percipient, & observabunt. Si nullæ sint versiones, Canonici libri erroribus minus erunt obnoxij. Quia in versio-

Digitized by Google

nis

nibus plures accidere solent. Rursus. Gravis, & molestus tot linguas addiscendi labor penitus excusabitur. Specialis item energia, quæ in primis ipsis Dei verbis invenitur, semper retinebitur. Denique. Sine hujusmodi versionibus Catholica Religio diu floruit. Ergo.

338 Respondeo negando antecedēs. Ex versionibus enim secundum se sumptis nulla sequuntur absurda, aut incommoda. Vel si quod sequitur inconveniens, illud est levissimum, & aliunde per versionum vtilitates, & commoda super abundāter resarcitur, vel recompensatur. Et vtcumque res se habeat, versiones præsertim septuaginta Interpretum, Deo specialiter dictante, & inspirante, factæ sunt. Et, quod, Deo sic inspirante, fit, melius est, quam eius cōtrarium. Et si quæ incommoda per accidens resultant ex versionibus, his præpōderant emolumenta, quæ Deus ex versionibus deducit.

QVÆSTIO XXXVI.

An libri Canonici in alias linguas à primigenijs conversi sint Canonici?

339 REspondeo affirmativè cum omnibus Catholicis, dummodo libri Canonici rite, & rectè sint conversi. Advertendum tamen est, in verbis duo posse distingui: vnū quod est quid physicū, & quasi materiale, seu materia. Aliud, quod est Technicū, & se habet veluti forma. Illud prius nihil aliud est, quam vocum sonus, & qualiscumque articulatio, præcisè vt talis. Et à nostro Emmanuele in suo Cursu Philosophico Trinitario tom. 3. num. 2954. sic definitur: est qualitas producta per verberationem aeris, duobus corporibus se invicem trudentibus, & recepta in alio corpore resiliēte. Ens esse materiale, physicum, seu entitativum linguæ.

340 Esse autem Technicum, & formale est significatio; Quæ nihil aliud est, quam respectus, & relatio vocis, & sonus significantis ad rem significatam, & simul ad potentiam, cui rem repræsentat, & significat: vt ait N. Emmanuel in eodem suo Cursu Philosoph. Trinitat. tom. 1. num. 1107. Et iuxta Serarium loc. cit. significatio est certa ad certi quidpiam significandum articulatio. Vide, quæ num. 18. diximus de causa formali Scripturæ sacræ. Hæc ita se habent in verbis vocalibus.

341 In verbis autem scriptis, seu characteribus, servata proportione, distinguendum est id, quod est quasi quid materiale, seu materia: & id, quod est formale, seu forma. Litteræ scrip-

Digitized by Google

scriptæ sunt materia. Significatio earum est forma. In actibus humanis etiam distingui solet duplex esse: & esse physicum, seu materiale; & esse morale, seu formale.

342 Quæ in esse physico, & materiali specie differunt, in esse formali, & morali, neque specie, neque numero solent sæpè differre. Oscula, & tactus, carnalem copulam præcedentia, in esse physico, & materiali inter se, & ab eadem copula specie differunt. In ordine tamen ad Sacramentum Pœnitentiæ vnum numero peccatum mortale constituunt. Aurum, & argentum in esse physico specie differunt: in esse tamen morali, & æstimatione prudentum, & valore monetæ sæpè solent esse idem numericè. Explicatur. Accepisti à Petro mille ducata in moneta aurea. Solvisti ei in argentea, vel ænea. In prudentum æstimatione, & moraliter eamdem numero quantitatem solvisti. Qua præmissa doctrina.

343 Probatur primo nostra assertio. Canonici libri in suis primigenijs linguis absolutè, & simpliciter sunt Scriptura Canonica verumque Dei Verbum scriptum. Ergo etiam rite, & rectè conversi in alias linguas. Patet consequentia. Quia moraliter, & in prudentū æstimatione sunt idem omnino. Et patet in omnibus Auctoribus, quorum dicitur, esse proprium omne id, quod ipsorum significat sententiam, estò in alias, & in alias versum sit linguas.

344 Probatur secundò. Apostoli haud rarò citant veteris testamēti Scripturas ex versione septuaginta Interpretum, addentes, eas esse Prophetarum, & Dei Verbum, vt videre est 3. ad Galat. Insuper, licet Christus Dominus in lingua Græca, vel Hebræa pronuntiaverit formas Sacramenti Baptismi, Eucharistiæ, &c. nos non verbis Græcis, aut Hebræis, sed Latinis in eius nomine eadem conficimus Sacramenta. Ergo talia verba etiam versa in alias linguas sunt vera Scriptura Canonica.

345 Solet etiam aliter probari nostra conclusio. Forma est præcipuum, & potissimum, quod in qualibet re reperitur. Imò forma est, quod quid rei, seu quidditas compositi, vt tenent Aristoteles 9. Ethicorum cap. 4. Divus Thomas 1. 2. q. 106. art. 1. & communiter Philosophi. Igitur verba, sive scripta, sive vocalia, quæ eamdem habent formam, seu significationem, absolutè semper sunt eadem. Ergo libri Canonici rite, & rectè conversi in alias linguas, sunt idem, & vera Scriptura Canonica. Hæc est probatio Antonij à Matre Dei, & aliorum.

Digitized by Google

Doctri-

346 Doctrinam istam semper censui examine dignã. Forma substantialis non est tota compositi substantialis quidditas, & essentia. Alias anima rationalis separata à corpore, seu materia, absolutè esset, & dici posset homo, quod est erroneum, iuxta Divum Thomam 3. p. quæst. 50. art. 4. in corpore ad hæc verba: Dicere, Christũ in triduo mortis hominem fuisse, simpliciter, & absolutè loquendo, erroneum est. Eamdẽ doctrinam tradit idem Angelicus Doctor 1. p. quæst. 75. art. 4. & Opusc. de ente, & essentia, cap. 1. ex Magno Parente Augustino 9. de Civitate Dei, & ex vtroque nostet Emmanuel in suo Cursu Philosophico Tridentino tom. 2. n. 1464. Quare, si eadem forma substantialis vniretur duplici materiæ primæ specificè diversæ (quod fieri posse, tenet idem N. Emmanuel loco citato, n. 1424. absdubio resultaret duplex compositum specificè diversum. Non ratione formæ. Ergo ratione solius materiæ. Quare, compositum nedum intrinsecè specificatur à forma, verum etiam à materia. Et licet forma sit pars principalis compositi; non tamen tota illius quidditas. Et idem, servata proportione, discurrendum est de materia, & forma compositorum moralium, quale est Scriptura sacra. Vnde ista in aliam linguam versa penes materiã erit diversa.

347 Hæretici contrarium sentiunt. Et ita arguunt primò. Linguæ v. g. Hebræa, Græca, Latina, Vasconica, Castellana, & reliquæ differunt specificè, vt constat ex illarum articulatione. Ergo Scriptura sacra in alias linguas versa non erit eadem specificè. Ergo nec erit Canonica. Ideo Robertus Rollocus à Serario relatus cap. 11. quæstiunc. 2. ait: *Sola Editio testamenti Veteris Hebraica authentica est: novi Græca.* Respondeo ex dictis, distinguendo antecedens: differunt in esse physico, concedo. Moraliter, nego antecedens, & consequẽtiam.

348 Arguunt secundò. Si verbum ab aliquo Auctore in vna lingua prolatum, in aliam versum, diceretur illius proprium, ipse diceretur loqui verbum, quod nunquam intellexit, & quod fortè, nec nunc intelligeret, quãtumvis à mortuis resurgeret. Hoc est absurdum. Ergo. Respondeo etiam ex dictis absolutè negando maiorem.

(?)

****
****
****

Digitized by Google

QVÆ-

QVÆSTIO XXXVII.

Quæ sint vernaculæ versiones Scripturæ Sacræ?

349 LIngua vernacula dicitur, quæ regioni, vel nationi alicui est cõmunis, nativa, materna, & vulgaris. Talis est Hebræa apud Hebræos: Græca apud Græcos: Latina apud Latinos: Vasconica apud Vascones: Castellana apud Castellanos. Et versio vernacula erit, quæ in aliquam linguam vernaculam facta fuerit.

350 Dico primò. Simpliciter absolutè loquendo, linguæ omnes, etiam Hebræa, Græca, & Latina fuerunt vernaculæ: & versiones in dictas linguas, Hebræam, Græcam, & Latinam factæ, fuerunt vernaculæ absolutè, & simpliciter loquendo. Probatur. Lingua Hebræa Hebræis: Græca Græcis: Latina Latinis, omnibus erat vulgaris, nativa, materna, vsitata, trita, & nota. Ergo & vernacula. Ergo & versio in quamlibet earum absolutè loquendo respectivè, etiam erat vernacula.

351 Dico secundò. Istæ tres linguæ, Hebraica, Græca, & Latina, apud Christianos habentur sacræ. Quia consecratæ sunt per sacrum Crucis Domini nostri Iesu Christi titulum, qui ex cap. 19. Ioannis v. 20. Hebraicè, Græcè, & Latinè erat scriptus. Istæ tres linguæ non sunt vernaculæ, & vulgares. Patet ex num. 336. & consequenter versiones in has tres linguas non sunt vulgares. Vide Serarium cap. 20. q. 1.

352 Dictum est num. 318. quomodo differat Hebræa lingua in sua puritate accepta à Chaldaica, & Syriaca. Et quandoque Syriaca nuncupatur Chaldaica reformata. Quia videlicet aliquantulum mutata est, sicut lingua Hispana, qua nunc vtuntur Hispani, multum mutata est ab antiqua. Quo præmisso.

353 Dico tertiò. Versiones Chaldaicæ, Syriacæ, Æthyopicæ, Persicæ, & Arabicæ non sunt vernaculæ, seu vulgares. Patet ex dictis n. 336.

354 Ex dictis constat primò, quod versiones, quæ absolutè, & secundum se respectu alicuius nationis erant vernaculæ pro aliquo tempore, in alio non sunt tales.

355 Constat secundò, reliquas omnes versiones à relatis distinctas, esse vulgares, & vernacu

las.

(?)

****

*****

Digitized by Google

QVÆS

QVÆSTIO XXXVIII.

Quot sint vernaculæ versiones Scripturæ sacræ?

356 TOt extiterunt Scripturæ sacræ versiones vernaculæ: vt vix, ne vix quidem in certum numerũ redigi valeant. Quædam illarum perierunt: aliæ extant, & diversa sortiũtur nomina. Nam ratione temporis, in quo sunt confectæ: aliæ dicuntur *Antiquæ*, aliæ *Novæ*. Et ambæ, aliæ sunt *Catholicæ*, aliæ *Hæreticæ*. Antiquæ sunt tres. Primo quædam incertæ, & a nullo veterum proditæ: vt ait Serarius cap. 20. q. 2. v. 5. Dalmatica, sive Sclavonica: quam Erasmus, & Sixtus Senensis attribuunt Divo Hieronymo. Quod, non ita fuisse, tenet Serarius. Secundò *Armenica*; quam idem Sixtus Senensis tribuit Divo Chrysostomo. Cuius contrarium tenet Serarius.

357 Secundò aliæ sunt falsæ ab Hæreticis recentioribus confictæ: Punica, Augustini tempore, iuxta eosdem Hæreticos edita: Anglica, Britonica, Scotica, & Pictica. Quibus addunt Latinam: cum tamen ista ex dictis non sit vernacula. Licet enim olim apud Hebræos, Græcos, & Latinos, Editiones, & versiones Scripturæ sacræ fuerint vernaculæ: Hebraica apud Hebræos: Græca apud Græcos: Latina apud Latinos. Iam versiones istæ, & linguæ vernaculæ non sunt, sed sacræ ex n. 336 & 351.

358 Extiterunt insuper aliæ plures vernaculæ versiones Scripturæ sacræ. Duæ Gothicæ, duæ Gallicæ, Italica, Germanica, seu Francica, Polonica, Danica, Vngarica, Irlandica, Belgica, Tigurina, Lutherana. Et vix, ne vix quidem est natio, quæ suam propriam vernaculam Scripturæ sacræ versionem non habuerit, vt ex proximè dicendis liquido constabit.

359 D. D. Nicolaus Antonius, vir doctissimus, in omni studiorũ genere versatissimus, (quem Illustrissimus Caramuel vocat Amaltheam) in sua Hispana Bibliotheca, Romæ impressa anno 1672. tom. 2. pag. mihi 274. sequentia Hispana refert verba: * *Biblia* Española traducida palabra por palabra de la verdad Hebraica por muy excelentes Letrados, vista, y examinada por el Oficio de la Inquisicion, con privilegio del Illustrissimo Señor Duque de Ferrara, hizo trasladar la Biblia en nuestro Español. (Auctor ait in præfatione hæc inter alia de industria, sive cura sua. Pues las otras Naciones no se pueden en este beneficio quexar de sus naturales. Porque Italia, Francia, Flan-

Digitized by Google

Flandes, Alemania, Inglaterra, no carecen de ella. Y aun en Cataluña en nuestra España se traslado, è imprimiò en la misma lengua Catalana. * Hactenus ille. Serarius cap. 20. quæst. 2. mentionem facit Hispanicæ versionis, & addit, eam fuisse editam in lucem Bernæ, anno 1569.

QVÆSTIO XXXIX.

An de facto existat vernacula versio Vasconica Scripturæ sacræ?

360 IVstissimum Vasconicæ Gentis, & Nationis meæ odium subirem: delictū nullis victimis expiandū committerem: si nactus occasionem adeò opportunam examinandi quæstionem præfixam: eam silentio prætermitterem. Cum eius resolutio haud in levem, sed potius magnam eiusdem Vasconicæ Gentis gloriam cedere possit. Brevitati consulam.

361 Sit ergo conclusio affirmativa. Quæ nullis alijs aptioribus demonstrari poterit verbis, quam his, quæ refert D. D. Nicolaus Antonius num. 359. relatus in sua Bibliotheca Hispana tom. 2. pag. mihi 274. columna 1. quæ sunt tenoris sequentis.

362 *Anonymus Cantaber; vt simile vero est, Novum testamentum in Cantabricam linguam transtulit. Quod vidimus ita inscriptum: IESVS CHRIST GVRE IANVAREN TESTAMENTV VERRIA: editum anno 1572. servatur in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Francisci Barbarini Romæ.* Hactenus ille.

363 Testimonium istud ab omni suspicione est liberum. Auctor ipsius est testis ocularis, omni exceptione maior, in quo concurrunt omnes iuris præsumptiones, omnes veridici Historici conditiones, & leges n. 166. insinuatæ, & apud Melchiorem Canum lib. 11. de loci cap. 6. videndæ. Suspicari mendacium in Historico adeò insigni, & celebri, foret piaculum gravissimum. Nicolaus Antonius non fuit Vasconicus, Cantaber, aut Navarrus, sed Hispalensis. Atque adeò fide dignissimus in eo, quod ad sempiternā transcripsit memoriam. Vbi obiter nonnulla prænotanda sunt.

364 Primum notabile. Ante vniversi dilluvim nulli incolæ habitaverunt Hispaniam. Ita communiter Auctores, quos refert, & sequitur RR. mihique semper colendissimus P. Gabriel Henao in libro, cuius epigraphe est: *Averiguaciones de las antiguedades de Cantabria*, pag. 2. num. 1. & pag. 4. num. 1. Tubal,

Digitized by Google

bal, quintus filius Iaphet, & nepos Noe, post linguarum divisionem Babylone factam, venit in Hispaniam cum quibusdam socijs circa annum 1932. à Creatione Mundi, & fuit primus, & Princeps habitatorum, seu incolarum eiusdem Hispaniæ. Quam Hispaniam ingressus est Tubal cum suis socijs per montes Pyrinæos, qui sunt eiusdem Hispaniæ claustra. Et in eorumdem montium Pyrinæorum descensu apud locum, qui in Regno Navarræ nuncupatur *Pampilona*, habitavit. Sic sentiunt Divus Hieronymus in quæstionibus, seu traditionibus Hebraicis in Genesim, cap. 27. Ezechielis, cap. 32. 38. & 66. Isaiæ; Sanctus Isidorus, Abulensis super primum prologum Bibliæ pag. 8. & in cap. 10. Genesis quæst. 2. & lib. 1. Paralipomen. cap. 1. quæst. 5. RR; & Historicorum præsentis sæculi facile Princeps, mihi, meisque omnibus familiariter in amicitijs iunctus P. Iosephus Moret in suis investigationibus Regni Navarræ lib. 1. cap. 4. à pag 73. in Annalibus eiusdem Regni pag. 4. & in appendice eorumdem Annalium à pag. 1. vsque ad 20. RR & Theologus subtilissimus, atque consummatissimus, si quis alius hactenus visus est in hac percelebri Academia Salmanticensi P.M. Petrus Abarca, tom. 1. Annaliu m Aragoniæ anno 1114. RR. supra relatus Gabriel Henao loco citato pag. 9. vbi alios innumeros refert Auctores.

365 Secundum notabile; Tubal primus Hispaniæ incola, & Princeps vnicum secum traxit, semperque retinuit cum suis idioma. Et illud erat vnum ex septuaginta duobus idiomatibus quæ orta sunt ex Babylonica linguarū confusione. Idioma istud fuit proprium speciale ipsius Tubal, & aliorum, qui cum illo Pampilonam fundaverunt. Ita Abulensis dicto lib. 1. Paralip. cap. 1. q. 5. & communiter Historiographi.

366 Notabile tertium; Istud vnicum, speciale, & proprium idioma Tubal, & sociorū eius fuit VASCONICVM, vel GASCONICVM. Ita cōmuniter Historiographi, quos refert, & sequitur RR. Henao loc cit. pag. 144. addens, notabile istud esse certissimum. Et demonstratur clarissimè verbis Marinei Siculi lib. 4. quæ sunt tenoris sequentis.

367 Primis totius Hispaniæ cultoribus, & indigenis, vsque ad adventum Carthaginensium, & Romanorum, qui tunc omnes latine loquebantur, eam linguam fuisse, quidam autumant, qua nunc Vascones vtuntur, & Cantabri, qui tot sæculis, & temporum varietatibus, neque linguam, neque mo-

res;

Digitized by Google

res neque corporis cultus vnquam mutavere.

368 Cæterum genus illud sermonis Hispani initium habuisse credendum est, non ab Iberis, non à Sagis, nec à Phœnicibus, sed à primis illis Hispaniæ cultoribus, quos linguarum diversitas à Patriæ sedibus exulare coegit.

369 Quisquis igitur ille fuerit, qui in Hispanum orbem è turre Babylonica se primum contulit; idem profecto secum attulit vnum ex segtuaginta duobus idioma, quæ in illius novæ Civitatis erectione Deus Optimus Maximus Turrim cõstruentibus impertivit.

370 Quod cum in reliquis Hispaniæ partibus ob adventitias gentes immutatũ fuerit, aut corruptum; apud Vascones tamẽ, & Cantabros eamdem illius idiomatis formam, absque mutatione vlla perseveraſſe, indicio est Regionũ illarum veluti solitudo, ac nulla cum exteris nationibus consuetudo, vel commercium. Hactenus Siculus.

371 Notabile quartum. Vasconica huiusmodi lingua illis prioribus seculis in vniversa Hispania fuit materna, vulgaris, & vernacula: sicut ex tunc,& etiãnum est vernacula in Oppidulo vulgo SARASA: (cui ego genus, vsuram lucis, salutaresque Baptismatis sacri vndas debeo, distatque à Pampilona per quatuor milliaria) Ita sentiunt cõmuniter Historiographi, præsertim Moret. lib. 1. in suis investigationibus,cap. 5. & in appendicè tom. 1. Annalium Navarræ,& novissimè RR. P. Ioannes Cortes Osſorius in lib. cuius titulus est: *Constantia de la Fè*, lib. 3. cap. 1. à num. 4. vbi advertit, Gregorium Lopez, Madera,&Bivar contendentes, primigeniam linguam Hispanam Tubal, & sociorum eius fuisse istam Castellanam,& quę vulgo appellatur *Romance*, suis rationibus persuadere contrarium eius,quod intendunt,& id ipsum,quod nos dicimus, nimirum, Vasconicam linguam in vniversa Hispania fuisse vernaculã: cum tamen ipse P. Osſorio fuerit Castellanus,& nõ Vasconicus, aut Cãtaber. Quod quartum nostrum notabile satis evidẽter demonstratur testimonio Marinei Siculi, à n. 367. relato.

372 Vasconica ista, seu Cantabrica lingua (est enim eadem teste Henao loc. cit. pag. 22. cap. 4. num. 2. circa finem: *El Cantabrismo, ò Vascuençe*) multis sæculis conservata est, absque vllius grammaticæ scriptæ subsidio, sicut etiam lingua Hebræa conservata fuit ab Adam, vsque ad Babylonicã captivitatem, referente Lyncæo tract. 13. de locis, cap. 6. n. 21. Idem Henao dict. lib. 1. c. 27.

Digitized by Google

in

in fine, pag. 146, supponit, Vasconicam, seu Cantabricā linguam à prima Hispaniæ fundatione in ea extitisse. Et licet non audeat, resolvere, quod fuit vernacula in vniversa Hispania, supponit tamen, fuisse primitivam, & vernaculam necdum in vrbe Pampilonensi (Vasconice IRVNEA) & in toto Navarræ Regno, verum etiam in vniversa Cantabria, cuius principalissima Colonia, potissimumque totius Rivogiæ emporium est vrbs Iuliobriga (vulgo *Logroño.*) Cantabria, iuxta Henao dicto libro per totum, præsertim cap. 64. Provincias Alabæ, Vizcayæ, & Guipuzcoæ comprehendit. Ideo dicitur, in officio Sancti Ignatij, quod ipse Loyolæ in Cantabria natus est: iuxta alios Cantabria, etiam comprehendit totum Regnum Navarræ & alia loca. Sanctius, Rex Navarræ, totam occupavit Cantabriam à Naxerensi vrbe, vsque ad Tutelam cum omnibus castris. Et ita Regnum Navarræ olim erat magis extensum, quam est nunc. Quia comprehendebat vrbes, Iuliobrigam Calagurritanam, Alfarensem, & alias, licet potissimum emporium semper fuerit Pampilonensis. Videndus est liber, cuius titulus est: *Nuevo Atlas, ò teatro de todo el mundo, en el qual se contienen los Mapas*, &c. tom. 2, pag. 9. sed de his satis.

QVÆSTIO XL.

An expediat, Scripturam sacram verti in quaslibet vernaculas, & vulgares linguas?

373 SVnt Hæretici, qui absolutè negent, expedire. Sunt etiam Hæretici, qui absolutè affirment, expedire. Catholici media procedunt via. Nec absolutè simpliciter huiusmodi versiones vernaculas indiscriminatim reprobant, nec approbant. Vide Antonium à Matre Dei prælud. 2. num. 41.

374 Sit prima conclusio. Scripturæ sacræ versio in vernaculas linguas nulla lege præcipitur omnibus, aut singulis fidelibus. Probatur primò. Quia talis lex nullibi reperitur. Probatur secundò. Quia primis quadringentis annis ab Ascensione Domini nulla extitit vulgaris versio Scripturæ sacræ, quamquam eiusdem Christi D. & ipsius Scripturæ sacræ doctrina in omnem terram exierit, & per Apostolos, & eorum successores promulgata fuerit in Hispania, Gallia, Germania, Anglia, Ægypto, Africa, Asia, America, &c. in quibus locis tot, tamque diversæ florent linguæ. Si autem talis lex extaret, aliqua etiam vulgaris, & vernacula versio extitisset.

Digitized by Google

375 Confirmatur. Quia gentes enumeratæ, diversas vernaculas habebant linguas. Hebræa, Græca, & Latina, nõ erant vulgares in omnibus illis nationibus. Incredibile ergo est, quod si extaret talis lex, alicubi non fuisset mandata executioni.

376 Probatur tertiò. Quãdo finis aliquis per plura media vage sumpta commodè obtineri potest, nullum ex illis determinatè præ alio est simpliciter necessarium. Sed finis Scripturæ sacræ necdum per vernaculas versiones ipsius, sed per alia media commodè obtineri potuit. Ergo vernaculæ illius versiones nõ erant simpliciter necessariæ. Ergo non erat necessariũ, quod extaret lex circa vernaculas versiones. Ergo nõ dabatur lex circa illas. Explicatur minor, simulque probatur. Finis Scripturæ sacræ est cognitio Dei, & Divinæ voluntatis, & directio creaturæ rationalis ad vitam æternam. Sed finis iste commodè obtineri potest sine vernaculis versionibus. Imò absq; Scriptura sacra vitam æternam consequuti sunt, credentes ad salutem necessaria, quotquot ab Adamo per bis mille annos, vsque ad Moysem, qui ex num. 304. fuit primus Scriptor Canonicus, salvi facti sunt. Ergo.

377 Secunda conclusio: Scripturæ sacræ lectio in lingua vernacula nulli fidelium privativè præcipitur. Patet ex proximè dictis.

378 Tertia conclusio: Eiusdem Scripturæ sacræ lectio in lingua vernacula nulli fideliũ absolutè est prohibita. Probatur. Quia nulla lex absolutè sic prohibens reperitur in Ecclesia.

379 Quarta. Vernacula Scripturæ sacræ versio, & lectio secundum se est quid indifferens. Constat ex dictis.

380 Quinta. Ratione diversorum temporum, locorum, personarum, & aliarum circunstantiarum, aliquando expedit, & aliquando non expedit tam versio, quam lectio vernacula Scripturæ sacræ. Notandum autem, quod, quando non expedit, vitio, & culpa legentis non expedit; nunquam tamen vernaculæ versionis vitio.

381 Explicatur, simulque probatur conclusio quoad vtrãque partem, & quoad primam sic primò. In quibusdam locis, & nationibus Scriptura sacra quandoque fuit in linguis vernaculis, v. g. Hebræa apud Hebræos: Græca apud Græcos: Latina apud Latinos. Et in his linguis primò tradita est ex num. 317. 319. & 320. in illisque approbata est ab Ecclesia. Ergo tam lectio, quã versio vernacula Scripturæ sacræ expediens erat personis privatis.

Digitized by Google

Pro-

382 Probatur 2. ex Paulo exhortante fideles omnes ad legendas Scripturas sacras, vt ex illis haberent consolationem. Videndi sunt Augustinus, & Hieronymus variis in locis, ex quibus iste Paulam, Eustochium, & alias fœminas ad Scripturæ sacræ lectionem invitabat.

383 Probatur tertio eadem prima pars ex copioso fructu, quem Sanctæ, Birgitta & Domna (vt alias taceam) collegerunt ex frequenti lectione Scripturarum sacrarum in linguis vernaculis.

384 Secunda pars eiusdem conclusionis, videlicet: *Aliquando non expedit*: Probatur ex pluribus, gravissimisque malis, quæ resultarunt ex vernaculis Scripturæ sacræ versionibus, privataque illius lectione. In primis enim imperitissimi quique Sutores, ac Sutrices: Caupones, & Cauponariæ, mulierculæ etiam loquacissimæ ex privata lectione Scripturæ sacræ in vernaculis linguis efferuntur, & superbiunt: se nihil non scire: Scripturam sacram publice, & private docere posse, somniant, & gloriantur: Ecclesiæ Pastores, & Doctores, imò, & Summum Pontificem contemnunt: suarum, & alienarum animarum mortifera hauriunt venena, & exitia: vitiis cunctis viam parant latissimã; hæreses omnes suscitant, nutriunt, & procreant: ex diversis Scripturæ sacræ locis male intellectis, sibi licere libidinem omnem, polygamiam, mollitiem, incestum, ebrietatem, gulam, mendacium, Divinæ Providentiæ contemptum, & alia id genus, passim prædicant.

385 Iam pridem Divus Hieronymus hoc ipsum prædixerat ad hæc verba: Garrula anus, delirus senex, sophista verbosus, & loquacissimæ mulierculæ, Sutores, Caupones, existimant, & iactitant, se puram, puram veritatem assequutos. Addunt, Scripturam sacram per se esse notam cuicumque habenti lumen Spiritus Sancti, & fidei: legitimum Scripturæ sacræ sensum, qui vnus est, in promptu patere cuilibet suæ rationi naturali derelicto sine vllo Magistro.

386 Hinc plerique illorum novas sibi ipsis è suo cerebro suadent sectas, & fidem cudunt, prout libido, avaritia, ira, & ambitio proponunt, blaterantes, se solis Scripturis factis, quas in vernaculis linguis legunt, adhærere, & in Ecclesia Christi nullam esse legem, per quam Scripturæ sensus definiatur, præter rationem naturalem propriam, propriumque privatum vniuscuiusque occultum Spiritum. Videa n. 201.

387 Mahometi secta anno

Digitized by Google

616 errores, & schismata Græcorum anno 869. ortum duxerunt ex vernaculis Scripturæ sacræ versionibus, privataque ipsius lectione. Recentiorum sectariorum errores ex eadem matre orti sunt. Lutherus, vt n. 206 habitum est, fuit Princeps eorum ad annum 1517. in Saxonia.

388 Ex Lutherana secta aliæ innumeræ illico pullularunt, præsertim verò tres, videlicet Homologistarum, Anabaptistarum, & Sacramentariorum. Homologistæ negant, Christum Dominum spiritualium clavium potestatem Sedi Apostolicæ Romanæ reliquisse, aut tradidisse. Anabaptistæ negant Sacramenti Baptismi necessitatem, & existentiam. Sacramentarij denique inficiantur veram corporis, & sanguinis Christi Domini in Eucharistia existentiam.

389 Anabaptistarum secta produxit, & parturivit alias sex, videlicet Adamitarū, Sabbatharíorum, Clancularíorum, Manifestariorum, Tacentium, Enthusiastarum. Ex Sacramentariorū vero secta ortę sunt aliæ quinque, nimirum Zuinglianorum, Significativorum, Tropistarum, Energicorum, Arabonariorum. Ex Homologistarū secta prodierunt Octodecim videlicet Confessionistarum, Rigidorum, Antinomorum, Samosatenensium, Inferianorum, Antadiaforistarum, Anticalvinianorum, Bisacramentariorū, Trisacramentarium, Quadrisamentarium, Melanthonistarū, Maioristarum, Mollium, Luthero Calvinianorum, Berengariorum, Illyricanorum, Recalcitrantium.

390 Calvinus anno Domini 1540. vt n. 306. habitum est, pletosque Lutheri errores amplexus, alios etiam seminavit, qui varijs nominibus insigniuntur. Hinc Protestantes, Puritani, Presbyterani, Independentes, sive Cromuellistæ, sive Libertini. Hinc etiam Hæretici Menniste (qui de Mysterio Sactissimæ Trinitatis pessimè sentiunt) Tremblantes (qui anno 1650. orti sunt in Anglia) vt aliàs in nominatas omittam sectas, quæ sunt ferè infinitæ, & inter se contrariæ, & contradictoriæ.

391 In primis enim Saraceni circa Mahometi Alchoranū minimè conveniunt. Imò Aberroes, & Abicena, inter ipsos Sapientissimi habiti, eumdem Alchoranum irridebant. Mahometus æternam fœlicitatem, & Beatitudinem in vsu venereorum, in cibo, & potu posuit. Cuius secta per stultos Hæreticos, & Iudæos, qui ob carnis licentiam errare volunt, est introducta, brevissimoque tempore propagata. Et non ratio-

tionibus, aut signi, sed gladio tantum, qui latronum insigne est, defenditur, & propagatur. Vix est secta, quæ ex Philomenis non sit orta. Quid dicam de Hæreticis. Nulla inter illos cognoscitur concordia. Ideo vere, & prudenter dixit Divus Hilarius lib. 7. de Trinitate: *Divisio Hæreticorum Victoria est Ecclesiæ*, vt notat Salmeron prolog. 12. Videndus est Arsdekin in Theologia tripartita tom. 1. tract. 3.

392 En ergo sectæ innumerabiles ortum duxerunt ex vernaculis versionibus Scripturæ sacræ, privataque ipsius lectione. Et inde legitime cõcluditur, quod aliquando non expedit vernacula Scripturæ sacræ versio, privataque ipsius lectio. Quî enim fieri potest, vt expediat id, ex quo tot sequuntur incommoda?

393 Ex hactenus dictis sufficienter (ni fallor) probata manet nostra conclusio quoad primam, & secundam partem. Restat, vt quoad tertiam etiam probetur.

394 Probatur ergo sic, simulque explicatur, nimirum, quod huiusmodi damna, & incommoda non oriantur, aut contingant vitio ipsius Scripturæ sacræ, aut versionis vernaculæ secundum se sumptæ. Sicut enim non est culpa cibi, aut vini boni, quod ex eo aliqui incidant in morbos, & moriantur: sed est comedentium, & bibentium intemperantia. Sic, nec in Scriptura sacra, aut eius versione Vernacula secundum se accepta est causa, aut culpa, cur multi ex illius lectione tam gravia hauriant mala, & detrimenta. Culpa est in ipsis, qui eas legunt, aut imperite, arroganter, immodeste, temerè vertunt: & Dei Verbum, suum ipsorum, vel Diaboli faciunt verbum: istud tanquam Dei Verbum legunt, & intelligunt, & ex eo vehementer inflantur, & innumeris errorum, vertiginibus agitantur. Nulla est res adeò sacra, & sancta, qua homines sæpè nõ aburantur. Quid sanctius Sacramentis, & ipsa misericordia Divina? Quot quotidie eis abutuntur in sui, & aliorum perniciem? Similiter ergo.

395 Sexta conclusio. Rectè admodum nostro isto sæculo decrevit Ecclesia Apostolica, Catholica, Romana quibus, & quomodo concedẽdę, vel negandæ essent vernaculæ, & vulgares Scripturæ sacræ versiones, & privatæ lectiones. Licet enim huiusmodi versiones, & lectiones Scripturæ sacræ secũdum se non sint illicitæ, pravæ, aut malæ: nihilominus vbi liberum est cunctis doctis, & indoctis eas habere, & legere detrimentum gravissimũ, & per-

nicies maximam plurimi ex talibus vernaculis versionibus sunt experti: vt suprà dictum est. Congruentissimum ergo, & valde necessarium fuit, quod modus, ratio, aut frænum imponeretur temerè audentibus Scripturas sacras libere, & licenter legere, exponere, & interpretari. Quem modum, aut frænum nemo melius, quam eadem Ecclesia Catholica, Apostolica Romana poterat imponere: quandoquidem summa prudentia, & potestas suprema, quæ ad id rectè peragendum desiderantur, in eadem Ecclesia simul inveniuntur. Vtque clarius constet, quali, quanta que prudentia vsa fuerit Ecclesia Catholica in prohibendis, vel permittendis versionibus vernaculis Scripturæ sacræ, & illarum lectione. Sit

396 Septima conclusio. Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana non prohibuit absolutè Scripturæ sacræ versiones vernaculas, harum impressionem, & lectionem: nulla facta distinctione: sed ne fiant, cudantur, imprimantur, aut legantur promiscuè, & generaliter, sine vllo delectu, aut differentia temporum, locorum, personarum, aliarumque circunstantiarum. Ea verba Pij IV. à quo huiusmodi prohibitio primo exstitit, in Indice librorum prohibitorum regul. 4.

397 Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam vtilitatis oriri: hac in parte iudicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, vt cum consilio Parochi, vel Confessarij, Bibliorum à Catholicis Auctoribus versorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint, ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei, ac pietatis augmentum capere posse. Quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate, ea legere, seu habere præsumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere nō possit. Hactenus Pius IV. Vide moderatissimū prohibitionis modum, summa discretione, & prudentia refertum!

398 Ex quo Summi Pontificis decreto evidenter constat primo, ipsum vniversaliter, & generaliter dumtaxat prohibere vulgares, & vernaculas Scripturæ sacræ versiones, à versoribus hæreticis confectas. Videatur in librorum prohibitorum Indice regul. 2.

399 Constat secundo, Summum Pontificem non prohibere generaliter, absolutè, & vniversè vernaculas eiusdem Scripturæ sacræ versiones, à ver-

sos

soribus Catholicis factas. Illis enim tantummodo personis prohibet, quæ ex tali lectione damnum potius, & perniciem, quam fidei, & pietatis augmentum capturæ viderentur. Quidquid hæretici reformatæ Religionis calumnientur, à n. 201. & in hac quæstione relati.

400 Et ne quis fidelium, aut damnum, aut emolumentum, fideique, & pietatis augmentum temerè capere videatur: ad hoc prudenter diiudicandum, duas prudentissimas præscripsit regulas, seu conditiones. Prima est: vt iudex in hoc negotio in singulis Diœcesibus sit Episcopus, aut Inquisitor, qui sine consilio Parochorum, vel Confessariorum, qui magis intime cognoscere possunt singulos fideles, non concedat facultatem legendi vernaculas Scripturæ sacræ versiones. Et quod huiusmodi facultas sit data in scriptis, ne quis sibi nimium confidens, alijs scandalum præstet. Qui verò secus fecerit, Ecclesiasticam subeat pœnam. Pro cuius doctrinæ claritate sit.

401 Octava conclusio. Prohibitio lectionis Scripturæ sacræ in lingua vulgari, & vernacula cũ prædictis moderationibus, & limitationibus, nihil continet, quod iure reprehendi possit. Sic debẽt intelligi dicta n. 330. Ita omnes Catholici cõtra Hæreticos. Et probatur primò ad hominẽ. Calvinus, & illi sequaces cõcedunt Principibus Sæcularibus, & politicis Magistratibus facultatẽ prohibendi quoslibet libros. Et Lutherus ipse, cum nec Sæcularis Princeps, aut politicus Magistratus esset, hanc facultatem sibi arrogavit. Ait enim: *Omnibus impero, iussu Dei, vt Erasmum odio habeant, illiusque libros fugiant.* Ergo non est, cur Summus Põtifex eamdem facultatem non habeat, cum sit totius Rector Ecclesiæ.

402 Exclamat blasfemus Iunius in Eminentissimum, & Venerabilem Bellarminũ lib. 2. cap. 15. Quis dedit Pontificibus potestatem, vt aliquos à librorum lectione arceant?

403 Respondebimus primò, inquirendo, quis dederit huiusmodi facultatem Principibus Sęcularibus, politicis Magistratibus, & ipsi Luthero, qui nec Princeps, nec Magistratus erat? Respondeo 2. illũ dedisse Summis Pontificibus huiusmodi facultatem, qui eis donavit Pontificatum. Matth. 16. v. 18. & 19. *Quia tu es Petrus, &c.*

404 Probatur secundò. Potest Summus Pontifex præcipere, vel prohibere quidquid expediens iudicaverit ad bonũ Ecclesiæ regimen, ipsius fidem, & bonos mores incolumes servandos. Sed lectio Scripturæ

sacræ in vernaculis versionibus sub prædictis moderationibus iudicatur à Summo Pontifice expediens ad bonum Ecclesiæ regimen,&c. Ergo eam præcipere, aut prohibere potest sub prædictis moderationibus. Ergo dicta prohibitio sub his moderationibus nihil continet, quod reprehendi iure possit.

405 Probatur tertiò. Iudæi olim prohibebant, ne quis ante ætatem provectam legeret librũ Canticorum, docẽte Hieronym. epist. 103. Similiter Carthaginenses timentes, ne vllus illorũ instrueretur Græcis litteris, harũ lectionẽ suis prohibuerunt. Et hodie multi nobiles filiarum suarum pudicitiæ consulentes, nolunt, quod istæ discant legere, aut scribere. Certum igitur est, non expedire, quod omnes indiscriminatim Scripturam sacram in vernaculis linguis legant. Ergo potuit, & potest Summus Pontifex modum in hoc negotio præscribere.

406 Probatur quartò. Vbi datur plena facultas vertendi Scripturam sacram in vernaculas linguas, & eam sic legendi; versores detrahunt è Canone libros, capita, textusque pro suo libito depravant plurima; suis commodis, & hæresibus Hæretici ea accommodant: addendo, demendo, immutando: perniciosissimas præfationes, notas, glossas, & glossulas, imò per sæpè lascivas, & illecebrosas intermixcendo: vt experimur. Et ex libera vernacularum versionum lectione oriuntur omnia illa damna, quæ in probatione quintæ conclusionis quoad secundam partem ponderavimus num. 384. Et præter ibi adducta, sunt alia innumerabilia: Scriptura enim sacra lecta, & non rectè intellecta: vt necesse est, à multis imperitis non rectè intelligi: nequit non esse occasio procreandi, & nutriendi plures hæreses ex vitio eam legentiũ. Prudentissimè igitur Summus Pontifex prohibuit vernaculæ Scripturæ sacrę lectionem sub prædictis moderationibus: prohibendo, ne Scripturæ sacræ vernaculæ passim, & promiscue legantur ab omnibus.

407 Probatur quintò. Post Christum natum, primis quadringentis annis inter Catholicos nulla fuit versio vernacula Scripturæ sacræ: quamquam innumeræ essent linguæ vernaculæ; Apostoli omnes illas percallerent: & Scriptura sacra esset scripta Hebraicè, Græcè, & Latinè. Ergo Summus Pontifex exemplar habuit, vt modum præscriberet in hoc negotio. Prudentissimè igitur, &c.

(?)

****

Digitized by Google

§. VNI-

§. VNICVS.

Hæreticorum soluuntur argumenta.

408 ARguitur primo. In multis Scripturę sacræ locis præcipitur, & consulitur cunctis fidelibus ipsius lectio, & consideratio. Ergo & quidquid ad hos fines conducere potest. Antecedens constare videtur ex illo Ioann. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas*: Et cap. 20. v. 31. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis.* Actor. 15. v. 21. *Vbi per omne Sabbatum legitur.* Ad Rom. 15. v. 4. *Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Vt alia omittam testimonia. Consequentia autem videtur legitima. Tunc vltra. Vernacula Scripturę sactæ versio, eiusque libera lectio ad hos fines conducere videntur. Ergo prohibitio Pij IV. continet aliquid, quod iure reprehendi potest.

409 Respondeo, considerandum esse, quibus præcipiatur, aut consulatur lectio Scripturæ sactæ in eadē Scriptura sacra. Certissimū est, quod quibusdam præcipitur, aut saltem consulitur, legere Scripturam sacram, etiam vernacula lingua. Quod etiam modò contingit, & nos libenter concedimus id licere sub moderationibus appositis. Et si aliquando à cunctis legabatur promiscuè: simul exp icabatur. Vtetiā nunc contingit, quando in Concionibus verba scripturæ sacræ referimus, & ea vulgari lingua exponimus. Quare distinguo antecedens. Præcipitur, & consulitur cunctis sub appositis moderationibus concedo. Aliter, nego. Hæretici cōtendunt, Scripturæ sacræ lectionem taliter in eadem præcipi, & consuli, vt nemo fidelium ex illa vtilitatem aliquam capere possit, absque eo quod ipse eam per se immediatè legat. Quin sufficiat, quod doctrinam in ea cōtentam à Parocho, parentibus, vel ab alijs audiat, vel discat. In quo planè errant. Et æque similiter errant, qui asserunt, lectionem Scripturæ sacræ in lingua vulgari, & vernacula, quæ pro vno loco, tempore, aut persona vtilis, vel necessaria est: semper, & vbique. & pro omnibus, & singulis personis promiscue esse vtilem, necessariam, & laudabilem. Quæ namque pro vno tempore, loco, aut subiecto sunt vtilia: pro alio tempore, loco, vel persona sæpè sunt nociva. Hypocausta, sive Vaporaria (Hispanè Estufas) vtilissime calefiunt in hyeme: non tamen media æstate. Lucernæ vtilissimè accenduntur nocte, non tamen meridie. Vtilissima est na-

vi-

vigatio in Oceano; non tamen in Alpibus. Vas plenum aqua frigida vtilissimum est sitienti; non tamen esurienti.

410 Arguitur secundò. Scriptura sacra ex num. 9. est testamentum Dei ad nos, & pro nobis. Ergo expedit, apud omnes, & singulas nationes lingua sua vulgari imprimi, legi, & publici iuris fieri: vt ita omnes filij testamentum Patris legant, & intelligant. Ergo Ecclesia, Concilium Tridentinum, & Pius IV. minus rectè prohibent vernaculas Scripturæ sacræ versiones, & harum lectionem.

411 Respondeo, dicendum, quod licet per te loquendo, nulli filio prohiberi possit lectio testamenti Patris sui. Nihilominus, quando prudenter timere possunt Tutores, aut Curatores, quod ex lectione testamenti aliquod grave damnum capere possint filij: his prudentissime prohiberi potest, & debet lectio testamenti. Cum ergo Ecclesia sit Tutor, & Curator omnium suorum filiorum, quando prudenter timet, quod aliquod grave malum his accidere potest ex vernacula lectione Scripturæ, eam iustissimè, & prudentissimè prohibet. Quare cū vernaculæ, & vulgaris Scripturæ sacræ lectio tam magni, tamq; execrabilis tumoris, arrogantiæ, inobedientiæ, pravarum opinionum, hæresum, & peccatorum occasio sit, & fuerit: vt experimento ipso testatissimum est: vitio legentium ex num. 394. fit inde, &c.

412 Replicabis. Si vernacula Scripturæ sacræ lectio cunctis indiscriminatim non expediret: nec Latina, imò nec Græca, nec Hebræa expediret. Ergo cum hoc dici nequeat, nec illud prius sustinendum est. Probatur assumptum. Ex Latina, Græca, vel Hebræa Scripturæ sacrę lectione eadem oriūtur mala, ac ex vernacula. Ergo. Probatur antecedens. Multi ex lectione Latina Scripturę sacrę nimium inflantur, superbiunt, & omnium scelerum, & hæresum suarum patrocinium capiunt. Ergo.

413 Respondeo, dicendum, quod in rebus, quæ secundum se sunt adiaphoræ, vel indifferentes, quandoque solent adduci rationes, quibus efficaciter proberur, aliquam illarum prudentissimè esse prohibitam. Quibus similiter probari posset, alteram quoque prohiberi posse. Quousque tamen ista prohibeatur à legitimo superiore, eadem, quæ antea, manet circa eam libertas. Exempli causa. In diebus ieiunij prohibitæ sunt carnes, & non vinum. Et vinum præ carnibus sumi potest sine fractione ieiunij: cum tamen comedere carnes moderatè sit quid indifferens secundum se, sicut

Digitized by Google

sicut bibere vinum moderatè. Quare negatur antecedens. Ad cuius probationem, nego etiam antec. Ad huius probationē, nego etiā antec. Ratio autem est mihi clarissima. Qui linguam Hebræam, Græcam, & Latinā intelligunt, comparati cum his, qui eas non callent: sunt paucissimi. Et aliunde in vulgo, & indoctis maius est periculum, quā in sapiētibus, & litteratis. Quare ex Latina, Græca, & Hebræa lectione Scripturæ sacræ pauciores inflari, & superbire possunt, quàm ex vernacula lectione eiusdem Scripturæ. Ad hæc. Ecclesia adhuc respectu litteratorum, & sapientium prævènit, & præscripsit modum in tertia regula, pro legendis latinis versionibus, & similibus. Qui modus sufficit, quando graviora non experimur incommoda.

414 Arguitur tertio. Hæretici omnes gloriantur, Sutores, Sartores, Fabriferrarios, Lanifices, Fossores, fœminas ipsas, ancillas, & pedissequas scire Scripturas sacras, de his, & de mysterijs Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, & cæteris semper, & vbique disputare: è contra autem Catholicos, etiam Ecclesiasticos, & Sacerdotes ne grammaticam quidem scire, quanto minus Scripturam sacram. Ergo ne Hæretici exprobrent Catholicis ignorantiam, expedit, vt indiscriminatim cunctis liceat legere linguā vernacula Scripturam sacram. Ergo prohibitio Ecclesiæ continet aliquid, quod iure reprehendi possit in hac parte.

415 Respondeo cum Apostolo 1. ad Corinth cap. 5. v. 6. dicendo, Hæreticorum gloriationem non esse bonam, sed pessimam, & valde detestabilem. Cuius pœnam luent in inferno. Vidimus enim quanta inde oriantur mala. Negare nō possumus, inter Hæreticos, horum Sartores, Sutores, &c. de Divina Trinitate, & rerū creatione, & Scriptura sacra disputare. Sed quomodo? Quanto suarum animarum damno? Peringenuè etiam fatemur, nonnullos Catholicos etiam Sacerdotes minus scire de Scripturis sacris, quàm oportebat. Nihilominus, vt ait Magnus Parens Augustinus epist. 2. absque detrimento Divini cultus in quibusdam Sacerdotibus toleratur insciti a. Et qui ad docendum, disputandum, prædicandū, &c. non sunt idonei: ad baptizandum, ad sacrificandum, &c sunt aptissimi. Quare, concesso antecedenti, vtraque negatur cōsequentia.

416 Arguitur quarto. Rigorosè loquendo, olim linguæ Hebræa, Græca, & Latina, erant vernaculæ ex n. 350. Similiter versiones Scripturæ sacræ in eis linguis erant vernaculæ ex ibidem

Digitized by Google

dem dictis. Quandoquidē tunc temporis apud Hebræos, Græcos, & Latinos, horum linguæ erant maternæ, & vernaculæ. Deinde. Ex dictis à num. 356. permultæ aliæ vernaculæ versiones Scripturæ sacræ extiterunt in rerum natura. Ergo versiones vernaculæ prohibendæ non sunt. Ergo.

417 Respondeo in primis ex n. 363. non extitisse olim tot vernaculas versiones, quot à quibusdam, præsertim Hæreticis assignantur. Respondeo secundò, bonum, & rectum vsum versionum vernacularū ab Ecclesia non prohiberi: sed pravum, & promiscuum omnium etiam Hærericarum versionum vsum. Respondeo tertiò, dicendum, quod quæ vno tempore, loco, aut subiecto non nocent: in alio nocere possunt, & solent. Et ita, quamquam olim vernaculæ versiones Scripturæ sacræ, illarum lectio, nec Hebræis, nec Græcis, nec Latinis, nec alijs gentibus nocerent: nihilominus ob fragilitatē humanam nunc nocent, & quidem valde. Et ita prudentissimè, & iustissimè prohibentur sub moderationibus appositis.

418 Arguitur quintò. Multi viri laici, & plures fœminæ, specialiter Sancta Birgitta, Marcella, Fabiola, Aldasia, Sunnia, Fretella, Paula, Eustochium, Celantia (de quibus sæpè facit mentionem Divus Hieronymus) ex lectione Scripturæ sacræ in linguis vernaculis plurimum profecerunt. Ergo expedit, quod extent vernaculæ versiones. Ergo iure prohiberi non possunt.

419 Respondeo, hoc argumento solum probari, quod lectio Scripturæ sacrę in lingua vernacula aliquando, & aliquibus personis prodesse potest. Quod vltro, citroque fatemur: & nemo negat. Negamus tamen, quod semper, vbique, & pro omnibus promiscue expediat talis lectio.

420 Arguitur sextò. Scriptura sacra in concionibus in quavis vernacula lingua ab omnibus promiscue auditur sine vllo gravi damno, imò cum fructu, & emolumento: vt apud Hispanos, Gallos, Italos, Germanos, &c. videre est. Ergo eodem prorsus modo poterit legi.

421 Lorca disput. 12. de locis Cathol. n. 7. & infra in digress. de Concionibus vernacula lingua impressis, ait, eas comprehendi in decreto, quo prohibetur, ne vernaculæ Editiones Scripturæ sacræ vulgares sint, & ab omnibus indiscriminatim legantur. Ea ratione ducitur, quod in huiusmodi concionibus magna pars Scripturæ sacræ, præsertim Evangeliorum, & totius Novi testamenti,

Digitized by Google

menti, vernacula habetur, & profertur lingua.

422 Verumenimvero hæc ratio, vel nihil probat, vel manifestè convincit; conciones ipsas vernacula lingua, & orè tenus ad populum habitas, pariter in eodem prohibitivo decreto esse contentas, & esse illicitas. Quandoquidem incommoda, quæ M. Lorca reperit, aut veretur in concionibus vernacula lingua excusis, quandoque inveniuntur in eisdem cōcionibus dumtaxat ore tenus ad populum habitis, & non impressis. Et propter eamdem rationem spiritualium meditationum, & exercitiorum libri, in quibus absdubio plurima ex Scriptura sacra decerpta continentur; in eodem Sedis Apostolicæ decreto forent comprehēsi: & vernacula sua lingua apud singulas nationes non possent edi, nec publici iuris fieri. Et male in Ecclesiæ Romanæ, Catholicæ, Apostolicæ vsu esset, huiusmodi libros non prohibere. Quæ omnia sunt absurdissima.

423 Concesso igitur antecedenti: negatur consequentia. Ratio disparitatis est clarissima. In concionibus impressis Scriptura sacra affertur cum sua pia, prudenti, & sana explicatione. Scriptura autem sacra, quæ vernaculis linguis euditur, seu typis mandatur, apud singulas nationes, sine sua expositione habetur. Ignorantes sanam Scripturæ sacræ interpretationem habere non possunt: arrogantes eam assequi contemnunt. Si quæ autem conciones vernaculis linguis impressæ sunt minus conformes fidei Catholicæ, & sanctis moribus, aut sint nimis profanæ: earum impressio, & lectio per Sanctissimum Inquisitionis Tribunal solent prohiberi, vt constat ex praxi. Nec propter aliquas conciones prohibitu dignas, omnes sunt damnandæ. Cum ex his, & ex libris spiritualibus, & Heteroclitis plurima, & maxima emolumenta capiant fideles, qui eos attentè, & pura cum intentione, atque frequenter legunt. Sed pro maiori claritate.

424 Hispanum audiamus Expurgatorium anno 1640. editum. In cuius 5. regula, sequentia habentur verba: * *Como* la experiencia aya enseñado, q̃ de permitirse la Sagrada Biblia en lēgua vulgar, se sigue (por la temeridad, ignorancia, ò malicia de los hōbres) mas daño, q̃ provecho, se prohibe la Bib ia, con todas sus partes, impressas, ò de mano en lēgua vulgar, y assimismo los Sumarios, y compēdios, aunque sean historiales, de la misma Biblia, ò libros de la Sagrada Escritura, escritos en idioma, ò lengua vulgar, pero no las clausulas, sentencias, ò ca-

Digitized by Google

capitulos, que de ella anduvieren insertos en libros Catholicos, que los explican, y alegan. En lo qual tambien se añade, y se declara ser comprehendido en esta prohibicion el libro que vulgar, y comunmente anda en las Epistolas, y Evangelios, en lengua vulgar, aunque tenga algunas breves declaraciones en algunas partes, y *Euãgelios.* * Hactenus ibi. Nec nos plura in præsenti.

QVÆSTIO XLI.

Vtrùm liceat, & expediat, sacra omnia vernaculis facere linguis?

425 NOmine sacrorum in præsentiarum potissimum intelligimus Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & Divinũ Officiũ. Respondeo igitur negativè cũ Bellarm. lib. 2. de Verb. Dei, cap. 15. & omnibus Scholasticis, & Interpretibus Catholicis. Et probatur ex Concilio Tridentino Sess. 22. cap. 8. vbi habetur decretum prohibens Missæ celebrationem in lingua vulgari, & vernacula: Et disponitur, ne in publico, & communi vsu Ecclesiæ vernaculis, & vulgaribus linguis Scripturæ sacræ legantur, aut canantur. Et quod simus contenti solis illis tribus linguis, quas num. 320. 336 & 351. memoravimus. Quæ tres linguæ ex ibi dictis cæteras omnes antecellunt antiquitate, copia, & gravitate: & istis solis libri omnes Canonici ab Auctoribus suis primo scripti sunt ex eodem n. 320.

420 Arguitur primò. Ex quo Divina officia vernaculis linguis celebrentur, plures spirituales fructus colliguntur. Expedit ergo, & non solum licet, celebrare, & facere sacra vernaculis linguis. Antecedens probatur. Si Divina officia vernaculis linguis celebrẽtur: omnes fideles percipient Divina mysteria. Ergo & plures spirituales fructus inde colligent. Perceptio enim & intelligentia Divinorum mysteriorum est ingens fructus spiritualis fideliũ. Quod colligi videtur, & quidẽ clarissimè ex Isaia cap. 29. v. 13. & Matth. cap. 15. v. 8. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Et Paulus 1. ad Corinth. cap. 14. v. 8. 9. 14. 19. 27. & 29. satis indicare videtur, quod Officia Divina, & sacra facienda sint publicè, taliter, vt ab omnibus intelligãtur, & percipiantur, vt cum spirituali omnium fidelium fructu peragantur.

427 Respondeo distinguendo antecedens: plures spirituales fructus colliguntur admixti cum maioribus incommodis, permitto. Sine maiori-

Digitized by Google

bus

bus incommodis: nego antecedens. Et hinc patet ad eius probationem. Potissimus, & principalissimus fructus, & finis Divinorum officiorum, Missæ videlicet, Psalmodiæ sacræ, &c. est sacrificium laudis, quod Ministri Ecclesiastici per se, & populus Christianus per eosdem Ministros Sanctissimæ Trinitati offerunt. Qui finis, & fructus semper obtinetur, quamquam populus rudis, & ignorans non intelligat, aut percipiat quæ ibi latine leguntur, aut canuntur. Ad hæc. Estò vernaculis linguis legerentur, aut canerentur, haud facilè à populo rudi, & ignorante intelligerentur. Instructio autem populi, quæ posset haberi, & colligi ex celebratione Divinorum officiorum linguis vernaculis, aliunde potest, & solet suppleri per eosdem Ecclesiæ Ministros.

428 Isaias autem, & Matthæus non loquuntur de Divinis officijs, publicisque orationibus per populū ad Deum profusis, & ab eodem populo non intellectis, sed de hypocrisi Iudæorum. Qui, cum Deum corde, & opere non colerent, sed gravissimis delictis illum offenderent: pietatem, & Religionē solis verbis profitebantur: vt explicat Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 15. & etiam Hieronymus in cap. 29. Isaiæ. Quibus subscribunt communiter Scholastici, & Interpretes.

429 Vt respondeam ad Apostoli auctoritatem, notandū est, quod inter veteres Christianos fuit vsus quorumdam spiritualium canticorum, & exhortationum in suis vernaculis linguis. Et aliqui illorū dono linguarum elati: illoque ad faustū, & iactantiā abutentes, cantica spiritualia à se composita, & pias collationes habere solebant aliqua lingua non vernacula, sed peregrina, v. g. Persica, vel Arabica: cum tamen Græca, quæ Corinthijs erat vernacula, loqui deberent. Hos ergo Apostolus reprehendebat propter huiusmodi vitium, & abusum. Non autem eo, quod Divina officia celebrarent linguis non vernaculis. Ad hæc. Quamquā Apostolus reprehenderet tunc Corinthios, & Græcos eo, quod Divina officia celebrarēt idiomate non vernaculo, & quod non intelligebant: inde perperam infertur, fideles nunc solū linguis vernaculis, quas omnes capiunt, Divina officia celebraturos: & hoc licere, aut expedire. Mutatis enim temporibus, alia quoque mutantur. Et quæ vno tempore prosunt, alio nocent. Vide Bellarminum lib. 2. de Verb. Dei, cap. 16. Antoniū à Matre Dei, prælud. 2. num 47. & 48.

430 Arg. 2. Innocentius III. in cap. *Quoniam in plerisque*

Digitized by Google

de officio Iudicis ordinarij præcipit, quod quando in aliqua Civitate existunt, aut morantur admixti populi diversarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus, & mores: Episcopi provideant, & designent idoneos Ministros, qui secundum diversitatem rituum, & linguarum Divina illis officia celebrent, & Ecclesiastica Sacramenta administrent. Ergo sentit Summus Pontifex licere, & expedire, quod sacra omnia vernaculis fiant linguis.

431 Vt respondeam, adverto, circa tempora Innocentij III. Latinos occupasse Constantinopolim & totam ferè Palestinam: & ita Latinos tunc temporis fuisse permixtos Græcis. Patriarchæ Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, qui adfuerunt Concilio Lateranensi sub eodem Innoc. III. celebrato, petierunt à Summo Pontifice, quod in singulis Diœcesibus essent duo Episcopi: vnus Latinus pro Latinis: alter Græcus pro Græcis. Papa considerans, petitionem istam esse penitus irrationalem, & monstrosam: quandoquidem perinde erat, ac ponere duo capita in vno corpore: dare vni vxori duos viros: non acquievit eorū petitioni. Et decrevit quod Episcopus in sua Diœcesi provideret de Ministris Latinis, & Græcis: vt Latini Latinis Latine: Græci Græcis Græce Divina celebrarent officia. Non autem loquutus est Pontifex de linguis vernaculis: sed de solis Latina, & Græca. Quæ ex dictis non sunt vernaculæ, & vulgares. Et profecto si de linguis vernaculis loquutus fuisset Papa, in dicto cap. *Quoniam*: D. Thomas, qui paulo post illud decretum composuit officium Corporis Christi, quod habetur opusc. 57. istud non Latine, sed *Itale*, vel vernacula, & vulgari Italorum lingua composuisset. Quia ipse D. Thom. ad cap. 14. Epist. 1. ad Corinthi lect. 3. ad finem, expressè advertit, vernaculam, & vulgarem Italorum linguam tunc temporis non esse Latinam. Vide Antonium à Matre Dei, prælud. 2. num. 48. vbi refert Barbosam & alios ad dictum cap. *Quoniam in plerisque*. Quare ad argumentū, concesso antecedenti sub explicatione data: negatur consequentia.

432 Arg. 3. Hebræi ante Babylonicam captivitatem: Græci, & Latini tempore Apostolorum, & etiam postea multis annis, Divina celebrabant officia suis vernaculis linguis; Quandoquidē linguæ istæ Hebræa, Græca, & Latina illis erant vernaculæ. Ergo expedit, &c.

433 Respondeo ex num. 341. & alibi, tres istas linguas iam

Digitized by Google

iam non esse vernaculas, sed sacras. Et si olim sacra omnia fiebant tribus his linguis apud Hebræos, Græcos, & Latinos, non ideo id ita peragebatur, quia istæ linguæ erant vulgares apud Catholicos: sed quia erant sacræ, & communes in Ecclesia: Quod valde expediebat ad vnitatem fidelium. Et quia Deus tres istas linguas præ cæteris omnibus voluit honorare, & consecrare titulo sacratissimæ suæ Crucis. Et demum quia incommoda, & damna, quæ iustissime timeri possent ex vernacula celebratione officiorum Divinorum, non poterant tunc prudenter timeri. Concesso igitur antecedenti, negatur consequentia.

434 Arg. 4. Æthyopes, Ægyptij, Maronitæ, Rutheni, & Armeni etiamnum vernaculis suis linguis Divina celebrant officia. Ergo. Respondeo, istos Christianos esse Schismaticos: & ex illis male posse argui.

435 Arg. 5. Moravi ante annos sexcentos, ex concessione Sedis Apostolicæ vulgari, & vernacula lingua celebrabant Divina officia sine vllo inconvenienti. Ergo, &c. Respondeo, Moravos ex permissu Sedis Apostolicæ vernacula lingua, nimirum *sclavonica*, tunc celebrasse officia Divina: quia non habebant Ministros, qui Latine ea celebrarent. Quæ ratio iam locum non habet: cum adsit copia Ministrorum Latinorum.

436 Quare iustissime, & prudentissime Ecclesia Catholica prohibuit celebrationem officiorū Divinorū linguis vernaculis. Tum quia maior sic habetur illis veneratio. Tū quia si illa peragerētur linguis vernaculis: cōsequens erat, vt & Scriptura sacra vernaculis linguis legeretur, & discereturr. Et quando PP. Conciliares in Concilijs Generalibus convenirent ad disputandum, & conferendum de materijs Scripturæ sacræ, & fidei: cum ipsi forent diversarū linguarum, summam haberent difficultatem in suis controversijs. Tum quia si vnusquisque deberet intelligere officia Divina, quibus assisteret, extra propriam patriam, ea audire nō posset. Tum denique ne cum Lutheranis, Calvinistis, & alijs hæreticis, Divina officia celebrantibus lingua vernacula: Catholici convenire videamur. Et propter eamdem rationem Dominicis diebus non ieiunamus, nec Luna decimaquarta Martij Pascha celebramus, ne cui videatur, nos conformari Manichæis die Dominica ieiunantibus, & Iudæis Luna decimaquarta Martij Pascha celebrantibus.

(?)

QVÆSTIO XLII.

Quot sint Versiones non Vernaculæ Scripturæ Sacræ.

437 REspondeo, esse quinque, & esse eas, quas num. 336. & 356. retulimus: Græcam nimirum, Hebræam, Latinam, Chaldaicam, & Syriacam; licet Æthyopica, Persica, & Arabica etiam inter non vernaculas enumerentur à non paucis.

QVÆSTIO XLIII.

An Hebræus Veteris testamenti Textus, qui nunc extat, incorruptus, & sincerus sit?

438 PRima sententia est affirmativa. Quam tenent Iudæi, & ferè omnes Hæretici Recentiores. In eamque inclinare videntur Burgensis, Lyra, Caietanus, Vega, & alij, teste Antonio à Matre Dei prælud. 2. num. 49. Secunda sententia est negativa. Quā tenent communiter Scholastici, & Interpretes, præsertim Cano lib. 2. de locis, cap. 13. Salmeron prolog. 4. Bellarmin. lib. & cap. 2. de Verbi Dei Interpret. Sententiam istam secundam per sequentes conclusiones explicabimus, & varias quæstiones, quæ solent hic suscitari, brebiter resolvemus.

439 Inquiritur enim in primis ab Auctoribus secundæ sententiæ, an textus Græcus in multis, vel paucis locis sit corruptus? A quibus sit corruptus? Quando, & quomodo?

440 Sit ergo prima conclusio. In scribenda qualibet versione Scripturæ sacræ, tam Hebræa, quam Græca, & Latina, Amanuenses, & Librarij semper potuerunt aliquem errorē admittere, & committere. Conclusio ista probatur ab experientia mihi frequentissima, & in hoc ipso §. quem nunc scribo, forte repetenda. Et explicatur. Inter omnes versiones, Editiones, & Translationes Scripturæ sacræ, quæ hactenus extiterunt in rerum natura, præcipuam, & specialem laudem obtinuit Latina Vulgata; ista cunctis iure summo præfertur: eam Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana præ cæteris omnibus amplectitur ex num. 182. Nihilominus qui post Tridentinum Concilium iussu Sixti V. & Clementis VIII. eamdem Latinam Vulgatam Editionem exactius, quam cæteri priores correctores eam correxerunt in præfatione, quam Biblijs præfixerunt, dixerunt: *Non posse assimari, quod sit numeris omnibus absoluta, atque in his non pauca relicta fuisse, quæ*

Digitized by Google

mus

mutanda videbantur. Quod per inde fuit, ac dicere: *Errores aliqui ab antiquo irrepserunt Bibliis, & nulla fuerunt exemplaria omnibus mendis, erroribusque libera.* Et in omnibus Hebræis, Græcis, & Latinis exemplaribus, & Editionibus Ecclesia ipsa experta est aliquos huiusmodi Amanuensium, aut Typographorum errores, quin illæ omni ex parte evaserint omnino illibatæ, & purgatæ. Et ipsa vulgata Editio per Divum Hieronymum ex Hebraicis fontibus decerpta, haud paucas nævorum depravationum, & mendorum pertulit iniurias ex imperitia, ignorantia, fragilitate, vel malitia scribentium, antiquariorum, & correctorum ortas. Quare sit

441 Secunda conclusio. In omni Scripturæ sacræ textu quoad exemplaria quædã semper erratum est. Ita Serarius in Prolog. cap. 12. q. 2. Probatur primò ex proximè dictis. Et insuper explicatur probatio superioris conclusionis. Vbi adsunt causæ communes, & generales erroris, sine speciali, & miraculosa Dei providentia, omnis error, nec de facto vitatur, nec vitari potest. Sed in omni Scripturæ sacræ textu quoad exemplaria, & transumpta scribenda, vel imprimenda adfuerunt, & adsunt communes, & generales causæ alicuius erroris. Ergo sine speciali supernaturali Divina Providencia, nec de facto vitatur, nec vitari potest error omnis. Consequentia est optima. Maior certa, & patet in peccato veniali, à quo sine speciali, & supernaturali Dei providentia, singularique privilegio, quale habuit Deipara ex Tridentino Sess. 6. can. 23. nemo mortalium diu liber esse solet. Nemo omnia, & singula peccata venialia sine privilegio speciali hactenus vitavit. Minor vero probatur. Causæ generales erroris sunt fragilitas, ignorantia inadvertentia, malitia, audacia, &c. Sed harum aliqua semper intervenire solet in actionibus humanis, nisi per specialem, & supernaturalem Dei providentiã illis omnibus occurratur. Ergo. Ad hæc. Nullũ est fundamentũ, ad asserendum Amanuenses, & Typographos Scripturæ sacræ speciali Dei providentia fuisse directos. Quia Deus miracula sine necessitate non facit.

442 Confirmatur. Fundamentum, quod habemus, ad affirmandum Spiritum Sanctũ specialiter adfuisse Scriptoribus Canonicis, ne errarent, ex dictis à n. 112. non habemus, ad asserendum, eumdem Spiritum Sanctum eodem modo adesse Amanuẽsibus, & Typographis. Ergo, &c.

443 Ex industria autem diximus, quod *exemplaria quæ-*

dam. Quia vnus Amanuensis, vel Typographus in vno verbo, alter in alio: alter in alio, &c. plerumque solent errare; & rarissime omnes in vno, nisi fortè errata quoque transcribant, & imprimant. Quod & viris doctissimis aliquando contingit, dum auctoritatem aliquam ex aliquo libro transcribunt.

444 Vnum est certissimum, Deum Optimum Maximum nunquam permisisse, aut permissurum fore, vt Scriptura sacra, qua Ecclesia Catholica publicè vtitur, habeat, vel contineat errores, qui directè, & immediate opponãtur fidei Diuinæ, morumq; honestati. Quod ad specialem Dei providentiã erga suam Ecclesiam in omni tempore pertinere videtur, Cũ quo tamen compatitur, quod Amanuenses in transumptis, seu exemplaribus, licet non in originalibus: Typographi in suis impressionibus litteram pro littera, syllabam pro syllaba, dictionem pro dictione ponant. Ergo.

445 Tertia conclusio. Ante aduentũ D. N. Iesu Christi in Hebræo Scripturæ sacræ textu nihil malitiosè, & ex industria depravatum, vitiatum, aut corruptũ est. Ita Divus Hieron. cap. 6. in Isai. Bellarm. lib. & cap. 2. Salmer. dicto Prol. 4. & cõmuniter SS. Patres Scholastici, & Interpretes. Probatur primò. Tunc nulla aderat causa, vel occasio depravandi, vel vitiandi Hebraicum textum. Ergo iste non fuit malitiosè depravatus. Probatur secundò. Si cubi Iudæi Hebraicum textum malitiosè, & ex industria depravassent: eos Christus D. & eius Apostoli super hoc dubio procul reprehendissent: nec Hebraicos textus tanquam authentica testimonia citare potuissent. Sed Christus D. & eius Apostoli nunquam de hoc Iudæos reprehenderunt: & aliunde Hebraicos textus sæpè citarunt. Ergo.

446 Et licet Hieronymus epist. 11. ad Augustinum dicat, se Scripturam sacram vertisse, vt ea testimonia, quæ à Iudæis prætermissa sunt, vel corrupta, in mediũ proferret. Nihilominus non est contra nos. Quia per ly *Iudæis* intelligit Doctor Maximus Aquilam, Symmachum, Theodotionem, Græcos Interpretes, & versores Iudaizantes, vt notavit Bellarminus lib. & cap. 2. ad 1.

447 Probatur tertiò. Iudæi valde venerabantur Scripturas. Ergo incredibile est quod eas ex industria tunc temporis corrumperent Ad hæc Ad specialem Dei providentiam expectabat, ne eas vitiarent.

448 Quarta conclusio In primis quingenti D. N. Iesu Christi annis, & ante tempora

Di

Digitized by Google

D. Hieronymi ab Incarnatione eiusdē D. N. Iesu Christi Iudæi malitiosè nihil in textu Hebræo mutaverunt. Ita Hieronymus cap. 6. Isai. ad hæc verba; *Si dixerint ad vos, post aduentum Domini Saluatoris, & prædicationem Apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, vt Saluator, & Apostoli ita testimonia protulerint, vt Iudæi postea falsaturi erant.*

449 Insuper probatur primò. Si Iudæi tunc temporis vitiassent Hebraicū textum, Doctor Maximus, in examinandis huiusmodi materijs diligentissimus, id sciviſſet. Sciens autem non tacuiſſet: sed Iudæos reprehendiſſet, & de tā gravi delicto accusaſſet! Tacuit. Ergo quia Iudæi tunc temporis textum suum malitiosè non vitiarunt.

450 Probatur secundò. Si quos textus Hebræos Hebræi tunc vitiassent, maximè vitiassent illos, qui vaticinia de Christo continebant, quosque ipse Christus, eiusque Apostoli adduxerunt, vt probarent, Christum esse verum Messiam, & Vnctum: vt ex se patet, quamquidem in odium eiusdem D. N. Iesu Christi vitiarunt textus, quos vitiarunt. Sed huiusmodi textus tunc non vitiarunt. Ergo nullos.

451 Probatur tertiò ex Magno Parente Augustino lib. 18. de Civit. cap. 43. Iudæi tunc temporis textum Hebræum malitiosè corrumpere non poterant, quin sibi plurimum nocerent: imo, quin sibi vitam æternam, quam in Scripturis habebant iuxta Ioannem cap. 5. v. 39. adimerent. Sed incredibile est, quod sibi tantoperè nocere vellent. Ergo & quod textum Hebræum vitiarent.

452 Quinta conclusio. Post D. Hieronymi obitum (qui fuit anno ab Incarnatione Christi D. 420.) vsque ad annum 500. ab eadem Incarnatione, Iudæi vbi aliqua fuit occasio, malitiosè, & ex industria aliquos textus mutaverunt, vitiarunt, & adulterarunt. Ita Serar. cap. 12. q. 2. prop. 6. Probatur primò. Iudæi, & Rabbini videntes Catholicam, Apostolicam, Romanam Christi D. Religionē magis, & magis in dies efflorescere: summam invidiam, & Vatinianum odiū contra illam conceperunt: & omnia media, per quæ Catholicis, absque omni suo, vel certè non magno detrimento, nocere potuerunt, excogitarunt, & intēderunt. Quorum potissima fuerunt sequentia. Primò. Scripturæ sacræ textus aliquos quibusdam violentis, & falsis interpretationibus fulcivaverunt, adulterarunt, & corruperunt: & eos in sensus illegitimos, & adulterinos abstruxerunt. Quod facilè fecere,

quorundam punctorum, additione, vel ablatione: aliquarum litterarum mutatione, & nimia sedulitatis significatione. Secundò. Accesit Librariorum inscitia, ignorantia, negligentia, vel malitia: & summa facilitas errandi in annotandis.

453 Loca, & textus per Rabbinos corrupta sunt sequentia: Isaiæ cap. 30 v. 6. *Vocabitur Deus*: legitur à Rabbinis: *Vocabit Deus*. Ierem. 23 v. 6. *Vocabunt eum*: legitur ab illis: *Vocabit eum* Psalm. 18 v. 5 *Sonus eorum*: ab ipsis legitur: *Chavam*, id est, linea, sive perpendiculum eorum. Psalm. 21. v. 17. *Fodederunt*: legitur: *Sicut leo*. Vide Bellarm. lib. & cap. 2. ubi textibus per Rabbinos depravatis optimè satisfacit.

454 Sexta Massoretæ anno 476. vel sequentibus, usque ad annũ 500. depravarunt istos textus in odium Christianorum. Ita Serar. Antonius à Matre Dei, prælud. 2. n. 50. & 53. Isti enim Massoretæ apud Tiberiadem Palestinæ quædam nova excogitarunt puncta, vocalium litterarum locum obtinentia. Licet ista puncta iuxta aliquos sint antiquiora illis. Ergo Massoretæ Scripturæ sacræ textus aliquos, qui Christianis minus favere visi sunt, depravarunt.

455 Sentiunt Bellarmi-nus, & alij, errores Hebraici textus esse parvi momenti, discrepantium illius à nostro Latino plerumque consistere in quibusdam dictionibus, sensum parum, aut nihil mutantibus: errores ex punctorum additione resultantes, veritati nihil omnino officere. Quia puncta solum extrinsecè addita sunt: textum nõ mutant: puncta detrahere possumus, & aliter legere.

456 Addunt, Hebraicum textum Mathematicè, & Physicè consideratum, simpliciter esse corruptum: Moraliter vero solum secundum quid. Quia in quibusdam exemplaribus textus integer est, & sincerus, purus, & incorruptus ex speciali Dei providentia in Ecclesiæ corde, & Mystica Arca. Sicut olim Autographa aliqua in Arca, veterique Templo servata sunt.

§. VNICVS.

Doctissimi Salmeronis argumenta breviter solvuntur.

457 ARguitur primò. Si Hebraicus textus sæpè corruptus non esset, Versiones Græca, & Latina sæpè numero falsæ forent. Hoc est falsum. Ergo &c. Ergo dicendum est, Iudæos, & Rabbinos Massoretas innume-

Digitized by Google

rabiles, vel ferè omnes Scripturæ sacræ textus ex malitia depravasse, & corrupisse. Probatur maior. Versiones Græca, & Latina sæpe differunt ab Hebræa, Ergo vera est maior. Respondeo negando maiorem. Ad huius probationem, distinguo antecedens, Physicè, concedo. Moraliter, nego antecedens, & consequentiam ex proximè dictis num. præcedenti.

458 Arguitur secundò, ex variis textibus, quos de facto esse corruptos, contendunt Salmeron. & Cano: sed eis satisfacit plenissimè Bellarminus, vt supra dictum est.

459 Arguitur tertio, ex quibusdā Sanctis Patribus, præsertim Athanasio, Origine, Hieronymo, & Chrysostomo, qui videntur indicare, plures Hebræos textus esse corruptos, depravatos, & vitiatos per Rabbinos. Respondeo ex dictis num. 429. prædictos SS. Patres loqui de Versoribus Græcis Iudaizātibus, nimirum Aquila, Simmacho, & Theodotione: vel de translatione Septuaginta Interpretum. Iudæi enim ipsi centies, & millies potius morerentur tunc temporis, & per spatium amplius, quam duorum millium annorum, quam, vt paterentur, Scripturam aliquam sacram depravari, aut mutari. Et Iudæi Recentiores Scripturas sacras Hebræas, vt Deum, & Numen adorant: & si aliquando in terram ceciderit lex, aut Scriptura aliqua, publicum indicunt ieiunium pro expiado isto peccato, in eorum errore gravissimo: vt videre est apud Bellarm. lib. & cap. 2. arg. 3.

460 Arguitur quartò, ex Melchiore Cano lib. 2. de locis. cap. 13. p. 65. Genes. 8. dicitur: *Corvus egrediebatur, & revertebatur*: in textu Hebræo; cæterum vulgata Editio nostra, & Septuaginta Interpretes, & omnes Sancti Patres ✝. 7. legunt: *Non revertebatur*. Ergo evidens esse videtur, hunc, & plures alios textus fuisse corruptos ab Hebræis. Respondet Bellarminus, in Hebræo non haberi ly *revertebatur*: sed volitasse circa Arcam, eundo, & redeundo. Addit, non deesse Latinos codices, in quibus dicatur: *Egrediebatur, & revertebatur*.

461 Ex dictis colliges primo cum Antonio à Matre Dei, præl. 2. num. 55. textus Hebræos in illis locis, in quibus est sermo de Christo, & Catholicæ Fidei dogmatibus, caute, & cū explicatione Catholicorum esse legendos; non esse illis nimis fidendum in omnibus. Quamquam alij textus Hebræi sint fide digni: in illis inveniantur plurima fidei, & morum documenta: & ex illis sæpe argui possit contra Iudæos, & Hæreticos Hebraicum textum admitten-

Digitized by Google

mittentes, & nostram vulgatam contemnentes.

462 Colliges secundo, in his, quæ ad fidem, & mores pertinent, exemplaria Latina non esse corrigenda per Hebraica. De quo quæst. 78.

QVÆSTIO XLIV.

An hodiernus Novi testamenti textus Græcus sit omnino incorruptus?

463 Vide quæ suprà diximus num. 317. & infrà de lingua, in qua fere vniversum testamentum Novum primo scriptum est. Ipsum esse omnino putissimum, limpidissimum, & incorruptum, sentiunt Recentiores hæretici, vt nostram vulgatam Editionem, eidem contrariam, falsitatis insimulent, esseque falsam, probent. Ex dictis quæst. præced. & cum Bellarmino controv. 1. lib. 2. cap. 7. & cæteris, dicendum est, hodiernum Græcum textum Novi testamenti Physicè esse simpliciter corruptum: Moraliter vero secundum quid: hoc est, in quibusdam locis, & exemplaribus: ex Hæreticorum malitia, ipsorum odio in Catholicos, ex Amanuensium, & Typographorum iniuria, ignorantia, &c.

465 Idem autem Græcus Novi testamenti textus in omnibus, vel in multis depravatus non est. Quia ex speciali Divina Providentia Hæreticorum conatibus Catholici continuo obstiterunt.

466 Explicatur exemplo. Ioannes epist. 1. cap. 5. v. 7. ait: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres vnum sunt.* Testimonium istud pro existentia ineffabilis Mysterij Sanctissimæ Trinitatis est authenticum, plenamque facit fidem ex *L. Sanctimus. C. de diuersis transcriptis.* Istud ergo testimonium nostræ vulgatæ negant Lutherus, & eius asseclæ, Græcum corruptum amplectentes textum: & Sanctissimæ Trinitatis Mysterium de medio tollere contendunt, licet irrito conatu.

467 Ad Rom. cap. 12. v. 11. nostra vulgata sic habet: *Domino seruientes.* Recentiores Hæretici, seu Libertini legunt: *Tempori seruientes.* Vt omnia tempori serviant, & ipsi fidem, Religionem, & mores mutant iuxta temporum mutationes, & prout commodum, vtilitas temporalis, aut conuenientia aliqua se illis offert. Et homine, vel prætextu Ecclesiæ, & Religionis Reformatæ Atheismum profitentur, & adversus Catholicos, Turcis, & Mahometanis ipsis sunt longe peiores.

468 Hinc colligitur, Latinos

Digitized by Google

nos Codices non esse corrigendos per Græcos. Nec ideo Græcæ linguæ peritia inutilis, sed valde necessaria: vt suo loco dicetur.

469 Arriani etiam in cap. 4. Ioanni v. 24. deleverunt illud textum: *Spiritus est Deus*, Vt Sanctissimæ Trinitatis Mysterium negarent. Contra quos Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto, Tertullianus, & Epiphanius doctissimè scripserunt.

QVÆSTIO XLV.

An Thargum, seu Chaldaica versio sit pura, & sincera?

470 THargum, vel Thargum est Hebraica vox, indeclinabilis, & generis fœminei. Varias habet interpretationes, & est translatio Veteris testamenti de Hebræo in Chaldaicum, ad instar paraphrasis, glossæ, seu expositionis. Hinc dici solet Paraphrasis Chaldaica. Ipsa facta est paulò ante Nativitatem Christi Domini, iuxta aliquos.

471 Post versiones, & Editiones, Hebræam, & Græcam agendum nobis fuit de Thargum, seu de Caldaica versione, propter affinitatem, quam Caldaica lingua habet cum Hebræa, & Græca ex num. 318.

472 Quadruplex Thargi refertur à Luca Burgensi, Onkeli nimirum, Ionathæ, Rabbi Ioseph cæci, & cuiusdam Anonymi.

473 Thargum, seu Chaldaicam versionem probabilissimè confecit Aquila, qui Onkelus, vel Ankelus etiam est appellatus. Videndus est Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei cap. 3.

474 Dico primò. Versio Chaldaica, seu Thargum in Pentateuchū integrior, & purior est, quam in reliquos libros Veteris testamenti, nimirum Prophetarum: & Agiographorum. Ita Bellarm. loco citato, & Cardinalis Fræciscus Ximenez in præfatione ad Biblia Complutensia.

475 Dico secundò. Thargum adhuc in Pentateuchum non est omnino pura, integra, & incorrupta. Ita idem Eminentissimi Cardinales Ximenez, & Bellarminus, & Antonius à Matre Dei prælud. 2. num. 96.

476 Dico tertiò. Thargū apud Iudæos est in magna veneratione. Quod patet ex plurimis ipsorum Iudæorum testimonijs apud relatos Authores videndis.

477 Dico quartò. Catholici aliquas vtilitates capere possunt ex lectione Thargum, seu Chaldaicæ versionis: vt cōtra Iudæos pro adventu Messiæ ex eadem Thargum arguant. Magna tamē cum cautela eam legere debent. Quia Iudaicis

fa-

Digitized by Google

fabulis, & Thalmudistarum nugis plena est. Thalmud est liber Rabbinorum refertus blasphemijs contra Christum Dominum, & contra legem naturalem, & Mosaycam a Summis Pontificibus iure summo prohibitus. Quare valde mirandum est, quod Petrus Galatinus defenderit huiusmodi librum. De Thalmud agit Angelicus Præceptor super Apostoli epistolas.

QVÆSTIO XLVI.

An Syriaca Versio sit pura?

478 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quod Hebræi quando captivi in Babylonem fuerunt perducti propriæ, & Hebraicæ linguæ obliviſci cœperunt, & Chaldaicam, sive Babylonicam didicerunt, licet non perfecte, quia illam perfecte, & expedite pronunciare non valebant. Et ita semper aliquid ex propria Hebræa retinebant. Quare contigit, vt ex Hebræa, & Chaldaica linguis, alia tertia, nimirum *Syriaca* resultarit. Et ita nuncupata est a Regione, in qua præcipue floret, & viget, videlicet a Syria, & etiam appellatur *Hierosolymitana*, a principali illius vrbe Hierusalem. Sicut etiam lingua Chaldæa nominata est a principali eius vrbe Babylon *Babylonica*.

479 Chaldaica, & Syriaca linguæ distinguuntur characteribus affixis verborum conjugationibus, punctorum notatione, vocalium sono, idiotismis: tota fere linguæ structura, & proprijs dictionibus.

480 Nullus liber Veteris testamenti, nisi forte Primus Machabæorum, & Ecclesiasticus scriptus est primo lingua Syriaca. Et probabile est, Evangelium Sancti Matthæi, & Epistolam ad Hebræos Syriaca lingua primo fuisse scripta. Vide supra n. 319.

481 Moses Barcepha Syrus lib. de Paradiso, p. 1. pag. 307. ait: Vetus testamentum Syriacè versum est: vna quidem interpretatione ex ipso Hebræo, altera veto ex Græco. Extat etiam hodie Syriaca Noui testamenti versio, tam Syriaco, quam Hebræo charactere composita. Incertum est inter Sanctos Patres, Scholasticos, & Interpretes, qui fuerit Auctor huius Syriacæ versionis. Syriaca ista versio minoris auctoritatis est, quam Heptæa, & Græca. Generales aliarum versionum vtilitates habet. Sed non est omnino purus, & incorruptus eius textus.

482 Præter istas versiones extiterunt aliæ plurimæ: vt Arabica, Persica, Æthyopica, Armenica. Sed quia fere nullus est illarum vsus apud Interpretes:

Digitized by Google

tes: & solum agere studemus de illis, quibus Scholastici, & ijdem Interpretes vtuntur. Idcirco satis de his dictum esto. Vix enim ne vix quidem Concionator aliquis huiusmodi Versionibus vtitur.

QVÆSTIO XLVII.

Quot extent Græcæ Veteris testamenti Versiones?

483 CIrca numerum Græcarum Versionum Veteris testamenti non conveniunt inter se Sancti Patres, Scholastici & Interpretes. Quidam ponunt septem: alij novem: alij decem: alij vndecim. Et Iunius Calviniſta statuit tredecim. Vide Bellarminum lib. 2. cap. 5.

484 Prima est illa, quæ ante tempora Alexandri Magni extitit iuxta Bellarm. loco cit. Quod probat contra Baronium, ex eo, quod iuxta Patres Ecclesiæ, Plato, & alij Philosophi Gentiles in suis libris multa inseruisse videntur ex Scripturis sacris.

485 Secunda fuit Septuaginta Seniorum. De qua, vt pote omnium potissima specialiter agemus, q. 48.

486 Tertia fuit Aquilæ. Hic erat natione Pontinatus, & Gentilis: & factus Christianus: quia Iudiciariæ Astrologiæ se nimis tradidit: ab Ecclesia ejectus: ad Iudæos se contulit. Et Apostata iam a Christo, D. anno 126. Vetus testamentum ex Hebræo in Græcum transtulit: teste Epiphanio de ponderibus. Quapropter versio Aquilæ parvam meretur fidem.

487 Quarta fuit Symmachi, qui fuit Ebionita, vel Samaritanus. Ex circuncisione ad baptismum venit. Principatum quemdam ambitiosè prætendit. Quem cum non obtinuisset ad Iudaismum redijt. Et secundo circuncisionem subijt, & præputium iterum resectum arte medica extendere coactus est, anno 196. Vt Samaritanos subverteret, & Iudæis gratum faceret, quæ ad Christum pertinēt, in Græca sua versione ex Hebræo textu falsificavit corrupit, vitiavit.

488 Quinta fuit Theodotionis. Qui Ephesi natus, ex Hæretico Marcioniſta factus est. Proselytus Iudæorum: vel advena Iudaismum amplectens. Et anno 181. Vetus testamentum in Græcum vertit.

489 Aquila, Symmachus, & Theodotion, iuxta Hieronymum præfatione in Iob: ex his, quæ ad Christū pertinent, multa fraudulenter vitiarunt. In quo omnes tres convenerunt. Disconvenerunt tamen aliàs inter se, teste eodē Hieronymo. Quia Aquila expressit Verbum de

Digitized by Google

Ver-

Verbo. Symmachus sensum de sensu. Theodotion mediam sequutus est viam: & stylum ex vtroque mixtum servavit. Qui omnium præstantissimus est.

490 Sexta fuit Hierichuntina. Quoniam Hierichunte in vrbe Hierico, tempore Antonini Caracallæ anno Domini 219. in quibusdam dolijs cum alijs libris, sine nomine versoris, vel auctoris inventa fuit.

491 Septima etiam incerti Auctoris anno 230. in quibusdam dolijs inclusa reperta est. Et Nicopolitana nuncupatur, quia Nicopoli inventa est.

492 Octava fuit Origenis. Et fuit ipsa Septuaginta Seniorum, emendata tamen per Originem, & ex Theodotione aucta.

493 Nona Sancti Luciani Martyris circa annum 285. Quam, quia ob Tyrannorum persecutiones publici iuris facere non potuit, in pariete quodam calce illito propria manu scriptam, Nicomediæ reliquit: & anno 310. inventa, vocatur *Lucianea*.

494 Decima Hesychij Presbyteri, ideſt: Septuaginta Seniorum ab eodem Hesychio correcta.

495 Notandum tamen est in præsenti, quod Origines ita in vnum volumen reduxit secundam Septuaginta Seniorum versionē, tertiam Aquilæ, quartam Symmachi, & quintam Theodotionis num. 485. & infra relatas, vt in quavis eius pagina essent quatuor columnæ. Quarum prima contineret versionem Aquilæ, secunda Symmachi, tertia Septuaginta Seniorum, quarta demum Theodotionis. Elapso aliquo tempore, Origines ipse, iam in lingua Hebræa peritior, & expeditior, prędictis quatuor colūnis alias duas præposuit. Quarum prior Hebraicum continebat textum Hebraicis scriptum litteris: posterior Græcum eumdem textum Græcis exaratum characteribus; vt qui Hebraice legere nesciebant Græce legerent, & intelligerent. Postea alias duas addidit columnas. Harum prima, & ordine septima, Hierichuntinam continebat versionem. Secunda vero, & ordine octava, Nicopolitanam.

496 Hæc illa Tretapla, Hexapla, & Octopla Originis, de quibus Patres, & Interpretes. Vide etiam Antonium à Matre Dei, prælud. 2. num. 60. & me infra num. 801.

497 Iunius Calvinista alias duas versiones Græcas assignat. Quarum primam appellat *Lagianam*: hoc est: Ptolomæi Lagi tempore confectam. Alteram Herodianam, ideſt, sub Herode Rege editam.

498 Fuit etiam revera alia Græca Veteris testamenti versio,

Digitized by Google

sio, nuncupata Exhieronymiana. Quia ex Latina Divi Hieronymi versione facta est, vt ipse testatur lib. 2. contra Ruffinum.

499 Ex omnibus autem præiactis Græcis testaméti Veteris translationibus, excepta Septuaginta Interpretum, nulla integra extat. Imò de Septuaginta Interpretum versionis integritate dubitant multi, hique Doctores gravissimi. Quædam reperiuntur fracmenta in Biblijs Græcis, iussu Sixti Quinti, iuxta versionem eorumdem Septuaginta Interpretum anno 1587. editis: & à Sanctis Patribus sæpè commendantur: vt notat Antonius à Matre Dei loco cit. num. 63.

QVÆSTIO XLVIII.

Quæ Græcarum Versionum sit omnium nobilissima?

500 REspondeo cum communi sententia Sanctorum Patrũ, Scholasticorum, & Interpretum: inter omnes versiones Græcas Veteris testamenti, eam, quam Septuaginta Seniores confecerunt, fuisse omnium nobilissimam, quod haud obscure colligitur ex pluribus elogijs, quibus eam veteres omnes celebrarunt: & ex speciali omnium industria, quæ in hanc propè modum vnam, & solam præ cæteris omnibus conservándã, defendendam, corrigendam, explicandam, & illustrandam laborasse videtur.

501 Reliquas enim versiones ferè omnes per homines perversos, impios, & apostatas fuisse confectas animo prauo, ac perverso: vt multa D. N. Iesu Christi Mysteria celarẽtur subdola interpretatione: sentiunt Hieronymus præfat. in Iob, Epifanius, Theodoretus, & alij. Et constat ex dictis quæst præcedenti. Quia in primis Aquila, Symmachus, & Theodotion fuerunt Hæretici, vel Apostatæ Iudaizantes, nominis Christi hostes, & inimici coniurati. Licet Theodotionis versio minus corrupta sit, quam Aquilæ, & Symmachi. Et quidquid pervertere potuerunt, perverterunt.

502 Et licet Hierichuntinam, Nicopolitanam, Origenianam, Lucinianam, & Hesychianam, Hieronymus, Athanasius, & alij sæpè laudent, vt sincéras, & emendatione Codicum Septuaginta Interpretum: vt videre est apud Antonium à Matre Dei, prælud. 2 n. 29. & 94. Nihilominus iuxta Serrium cap. 16. q. . fortè vix vna hodie integra, & omnino pura extat. Sunt tamen vtiles, vt Latinæ Editionis vulgatæ sinceritas, & veritas comprobentur.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO XLIX.

De historia versionis Septuaginta Interpretum.

503 INter omnes Græcas Veteris testamenti versiones, translationes, vel Editiones, ea, quę fuit Septuaginta Seniorum, semper, & vbique primatum iure summo obtinuit. Circa quam doctissimus Serar. cap. 17. Prolog. viginti quinque excitat quæstiones. Ex quarum resolutione colligenda est vera huius rei historia. Et quia circa illam variant inter se Sancti Patres, Scholastici, & Interpretes: quæ probabiliora, & verisimiliora visa sunt Maximo Doctori Hieronymo in his materijs Examinatori Diligentissimo, Bellarmino, Salmeroni, eidem Serario, & alijs, brevissime quam fieri potest, proponemus.

504 Itaque paulo ante Nativitatem Domini Nostri Iesu Christi: aut 100. aut 230. aut 301. annis, Ptolomæus Philadelphus constituxit Alexandriæ Amaltheam, copiæ cornu, vel Bibliothecã quamdam copiosissimam omnium librorũ, quos vbique terrarum invenire potuit. De sacris Iudæorum libris certior factus, eos Græcos facere, illisque Græce redditis Bibliothecam suam exornare vehementer desideravit. Vt voti compos fieret, misit legatos suos ad Eleazarum, tunc temporis Pontificem Maximum, totamque Iudæorum Ecclesiam, qui suppliciter peterent, & efflagitarent sacros libros, & Septuaginta duos Iudæos iam Seniores, peritia legis, & linguarum Hebraicæ, & Græcæ peritissimos, omni virtute valde ornatos, & venerandos. Vtque quod efflagitabat Rex facilius impetraret, plusquam centum mille Iudęos libertate donavit, & in Hierosolymitanum templum dona plurima, & maxima, aurea, & argentea misit.

505 Eleazarus Summus Sacerdos, Iudęorumque Senatus, acceptis Ptolomęi epistolis, & auditis illius legatis, elegerunt Septuaginta viros, singulos senos ex duodecim tribubus. Qui, fuerunt è Senioribus populi, legis, linguarumque Hebraicę, & Græcę peritissimi. Et ad eumdem Regem Ptolemęum cum sacris libris Alexãdriam fuerunt missi. Qui ab ipso Rege benignissime recepti, in ipsa vrbe Alexandrina, vt quidam volunt, vel in Insula Pharo Alexandrinę vrbi vicina, spatio septuaginta duorum dierum, Regis desiderio fecerunt satis: omnes libros sacros ex Hebraica lingua in Græcam verterunt: & opus, ad quod fuerunt missi perfecerunt. Et quã-

Digitized by Google

quam

quam fuerint 72. Seniores, absolutè nuncupatur 70. brevitatis, rotunditatisque gratia: sicut qui inter Romanos erant centum viri, licet essent centum, & quinque.

506 Est tamen difficultas, eaque non parva de domicilio, in quo versionem istam absolverunt Seniores illi. Prima opinio asserit, Septuaginta duos Seniores in 72. cellulis seorsim, & separatim existētes totidē septuaginta duas integras versiones omniū sacrorum librorū, dicto spatio 72. dierū fecisse. Ita August. lib. 18. de Civit. c. 42. lib. 2. de doctr. Christ. c. 15. & alij. Secunda sententia ait, in singulis cellulis binos Seniores extitisse: & ita in triginta sex cellulis totidem triginta sex versiones confecisse. Ita Epiphanius, & alij. Tertia sententia affirmat, Septuaginta duos Seniores, non in cellulis, vt prima, & secunda opinio contendit: sed in vna, & eadem Basilica, vel loco coniunctos: rem adeo gravem mutuo inter se conferentes: in singulis sententijs, & verbis concordantes, & conuenientes, omnem Hebræum sacrum textum in Græcum vertisse, & transtulisse. Ita Doctor Maximus, S. Hieronymus in præfat. ad Pentatheu. vbi ait: *Senescire, quas mendacio suo prius Septuaginta cellas extruxerit.* Ita etiam Bellarm. tom. 1. contr. 1. lib. 2. cap. 6. quibus libenter subscribimus. Quia earū cellularū Iosephus, & Aristæus, qui historiā hanc scripserunt, non meminerunt. Et quamquā vetustissimus, ac sapientissimus Philosophus, & Martyr Sanctus Iustinus affirmet, se suis oculis vidisse cellularum vestigia. Respondet Bellarminus, dicendo, Iudæos persuasisse Iustino fabulas à se fictas, & ruinas quasdam, quas falso dicerent, fuisse 72. cellulas.

QVÆSTIO L.

An versio ista Septuaginta Seniorum fuerit miraculosa?

507 Respondeo affirmativè. Ita communiter Sancti Patres, Scholastici, & Interpretes: qui conveniunt in eo, quod per specialem Spiritus Sancti assistentiā: & non sine maximo miraculo potuerunt 72. viri totidem solis diebus rem adeo inauditam absolvere: convenientes, & concordantes, non tantum quoad sensus, & sententias, verumetiā quoad singula verba, apices, & puncta: taliter, vt vnius, & eiusdem Auctoris, vel versoris videatur versio. Vbi enim multi sapientes, & docti reperiuntur, opinionum varietatem plerumque experimur, & videmus,

Digitized by Google

mus. Et si aliquando omnes omnes, nullo excepto, in eadem conveniunt sententia: id sine longa disceptatione raro contingit: vt notat Bellarm.

QVÆSTIO LI.

An Septuaginta duo Interpretes per donum, quod est interpretatio Sermonum, Versionem suam fecerint?

508 APostolus 1. ad Corinth. cap. 12. v. 10. inquit, *dari* donum Spiritus Sancti, *quod est interpretatio sermonum.* Respondeo igitur, Septuaginta duos Interpretes per huiusmodi donum versionem suam fecisse. Probatur primo ex communi consensu Sanctorum Patrum, Scholasticorum, & Interpretum, ita sentientium. Præ omnibus videndus est Magnus Parens August. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 15. lib. 4. cap. 4. q. 19. in Iosue, & lib. 18. de Civit. cap. 43. Itaque Spiritus Sanctus, medio suo dono interpretationis sermonum, fuit specialis Auctor huius operis, & Interpretum moderator singularis: sine quo dono erat impossibilis tanta concordia inter illos.

(?)

QVÆSTIO LII.

An huiusmodi donum interpretationis sermonum reducendum sit ad donum Prophetiæ?

509 REspondeo affirmative cum D. Thoma 2. 2. quæst. 186. art. 2. ad 4. August. locis, quæst. præced. citatis; & cæteris Sanctis Patribus, Scholasticis, & Interpretibus. Probatur. Vt enim ait Eximius D. Suarez 3. p. q. 7. art. 8. sect. 2. §. *Hinc constat.* Interpretatio sermonum formalissime consistit in eo, quod Interpres oratione sua explicet, & exprimat id ipsissimum, quod Auctor, spectatis omnibus temporis locis, personarumque circunstantijs, explicare, vel exprimere desiderat: nihil discrepando à mente Auctoris, quem è lingua in linguam vertit: quod in 72. Interpretibus perfectissimè peractum est. Et ad genus Prophetiæ reducendum. Ideo Sancti Patres vocant istos Interpretes *Prophetas.* Et idem revera sentit Sanctus Hieronymus teste Antonio à Matre Dei, prælud. 2. n. 85.

510 Dices primò, Divum Hieronymũ negare, quod 70. Interpretes sint Prophetæ. Sed respondeo cum eodem Antonio à Matre Dei, Hieronymum,

mum; quamquam aliquando id negaverit, postea tamen in præfat. ad Paralimon. priorem suam negativam sententiam retractasse. Quandoquidem ingenue fatetur, 70. Seniores Spiritu Sancto plenos, quæ vera sunt, transtulisse. Quare fuerunt versores, & Prophetæ rigorosi. Quamquam non fuerint potius Prophetæ, quam versores: quales fuissent, si in 72. vel 36. cellulis suas versiones contexuissent, ex num. 506.

511 Dices secundò. Divus Hieronymus 72. Interpretes sæpissimè reprehendere videtur. Et eos in multis erasse: eorumque versionē multis scatere erroribus, multis redundare superfluis, quæ ipsi 72. Interpretes ex suo Marte addiderunt, & in Hebræo fonte non erant: plurimis carere textibus, qui sunt in eodem Hebræo fonte, haud semel indicat. Ergo nec versio ista fuit miraculosa: nec per donum interpretationis sermonum facta: nec ad donum Prophetiæ est reducenda: vt supra habitum est. Huic replicæ infra fiet satis. Interim dicito, versionem istam fuisse miraculosam: imò miraculum maximum. Et Iudæi festum diem singulis annis celebrandum in memoriam, & honorem eius versionis, & tanti miraculi instituerunt.

512 Dices tertiò. Septuaginta Seniores nulla prædixerunt futura. Ergo nullo modo fuerunt rigorosi Prophetæ. Ergo illorum versio ad donum Prophetiæ reduci non potest.

513 Respondeo, Septuaginta Seniores non fuisse Prophetas in illo strictissimo sensu, in quo Isaias, Ieremias, Ezechiel, & alij fuerunt Prophetæ propter rationem in argumento adductam. Cæterum in alio sensu etiam rigoroso fuerunt stricte Prophetæ. Quia speciali Spiritus Sancti assistentia, & auxilio supernaturali præventi, & illustrati sunt, ne errarent, aut errare possent in sua versione: vt quæst. 12. de Scriptoribus Canonicis dictum est.

QVÆSTIO LIII.

Qualis, quantaque fuerit Auctoritas huiusmodi Græcæ Versionis?

514 Respondeo, versionem istam fuisse auctoritatis maximæ apud Hebræos: & ab omnibus fuisse celebratam: & ad Cœlum vsque summis laudibus iure evectam. Et primo quidem Alexandriæ Rex eam reverenter, & religiosè adoravit, postquam stupens, & admirans illam suspexit. Secundo: Iu-

Digitized by Google

Iudæi tunc Alexandriæ habitantes, qui erant plurimi, eam prælectam valde laudaverunt. Tertiò. Præceperunt Iudæi, nequis eam mutare auderet. Et Sacerdotes, & Seniores imprecati sunt omnibus, qui ex ea quidquam demerent, aut aliquid ei adderent. Et Iudaico populo Alexandria Hierosolymam miserunt. Festum huius versionis anniversarium, vel ieiunium, vel vtrumque simul, instituerunt Iudæi.

515 Quid ni? Christus D. Lucæ 4. v. 18. retulit Scripturã sacram: *Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me, &c.* iuxta Græcam Septuaginta Seniorum versionem ex Isaia cap. 61. v. 1. In quo Apostoli sequuti sunt suũ Magistrũ, & Dominũ, sicut etiã in cęteris vt patet clarissimè ex ipsorũ citationibus.

516 Audiamus Augustinum lib. 15. de Civit c. 14. & lib. 18. cap. 44. dicentem: Ego promeo modulo vestigia sequor Apostolorum, quia & ipsi ex vtrisque, ideſt, ex Hebræo textu, & versione 70. testimonia prophetica posuerunt vtraque auctoritate vtendum putavi. Quoniam vtraque vna, atque divina est. Hactenus Augustinus sequens Irenæum lib. 3. cap 25. Exemplũ autẽ loci citati est illud Matth. 1. v. 23. *Ecce virgo concipiet*: ex Isaia cap. 7. v. 14.

517 Insuper hanc Septuaginta versionem sequuta est tota Ecclesia multis sæculis ab Apostolorum tempore: eam recepit, transtulit publice legit, sępè correxit, imò nunc in vigilia nativitatis D. N. Iesu Christi ęadem Ecclesia Catholica, Apostolica Romana in Martyrologio Romano sic canit: *Anno à creatione Mundi, quando in principio Deus creavit Cœlum, & terram, quinquies millesimo, centesimo, nonagesimo nono*, sequens computum annorũ Septuaginta Interpretũ: licet non defuerint qui asserant, à creatione Mundi vsque ad Christum fluxisse solũ 3510. & qui affirment, fluxisse 6984. vt pro nunc prætermittam vnam supra alias Septuaginta opiniones in hoc puncto videndas apud Baronium in annotationibus Martyrologij die 25. Decembris, & RR. P. Fr. Didacum Antonium de Barrientos Augustinianum in responsione ad epistolam D. Ludovici Ioseph pag. 64. n. 102. quarum etiam facit mentionem N. P. Fr. Raphael à S. Ioanne in suo vere aureo libro de Redemptione Captivorum, pag. 296. num. 399.

518 Dices primò. Divus Hieronymus multis in locis videtur improbasse versionẽ Septuaginta Interpretum. Nam in Commentarijs ad Isaiam dicit, illos addidisse aliquid in cap. 10. ademisse verò in cap. 2. & 59. mu-

Digitized by Google

mutâsse in cap. 9. extenuasse sensum in cap. 49. subvertisse contra Iudæos testimonia fortissima in idem cap. 49. miscuisse plura vocabula in vnum in cap. 37. deceptos fuisse quarumdam litterarũ similitudine. Ergo iuxta Hieronymum versio 70. Interpretum nullius est auctoritatis.

519 Vt respondeam noto, Septuaginta Interpretum versionem, quamquam miraculosè factam, & à cunctis laudatam, & celebratam: annis post Christum D. ducentis elapsis, primo à Iudæis, & Rabbinis, in odium fidei Christianæ fuisse depravatam in multis. Nisi fortè prius ab Aquila Apostata anno 126. & à Symmacho etiam Apostata anno 196. & à Theodotione Hæretico anno 182. depravata fuisset: vt eam deijcerent, & obscurarent. In quem finem ediderunt translationes, vel versiones, q. 47. relatas.

520 Divus ergo Hieronymus improbat, & reprehendit has Græcas versiones depravatas, vitiatas, & corruptas: & iure summo. Neutiquam vero reprehendit, aut improbat ipsam Septuaginta Interpretum versionem originalem, & prout ab ipsis confectam: & in sua puritate existentem Audiamus ipsum præfat. 2. in Paralip. Latinorum, & Græcorum codicum vitia advertentẽ, Ait enim: nec hoc Septuaginta Interpretibus, qui Spiritu Sancto pleni, ea, quę vera fuerunt, transtulerunt: sed Scriptorum culpæ adscribendum, dum de emendatis inemẽdata scriptitant, & sępè tria nomina, subtractis è medio syllabis, in vnum vocabulum cogunt, vel è regione vnum nomen, propter nimiam latitudinem suam, in duo, vel tria vocabula dividunt. Hactenus ibi. In priori autem præfatione ad eũdem librum Paralip. prædixerat: Si Septuaginta Interpretum pura, & vt ab ipsis in Græcum versa est, Editio permanere t, superflue me impellêres, vt Hebraica volumina Latino sermone transferrem. Et idem Hieronymus lib. de optimo genere interpretandi inquit: iure Septuaginta Editio obtinuit in Ecclesijs, vel quia prima est, & ante Christi facta adventum, vel quia ab Apostolis, in quibus tamen ab Hebraico non discrepat, vsurpata. Vide Serarium, cap. 17. q. 19. Bellarminum lib. 2. cap. 6. q. 4. Antonium à Matre Dei, prælud. 2. n. 87.

521 Dices secundò. Ergo tutum erit etiamnum Hebraicos, & Latinos textus ex Græcis Septuaginta Interpretum codicibus corrigere, & emendare. Respondeo negando consequentiam propter dicta, & dicenda. Græca enim versio in multis est depravata.

Digitized by Google

Et archetypa, seu originalia versionis Septuaginta Seniorum exemplaria iam pridem perierunt. Et ex illis translata, & ectypa à Rabbinis, Iudæis, Apostatis, Hæreticis, etiam Recentioribus, vt Luthero, Beza, Iunio, & alijs: sunt in multis depravata. Nihilominus eadē versio inadæquate accepta, & pene loca relata per Christum, & Apostolos, est authentica, & Canonica.

522 Et constat iam ex dictis, maximam nunc forè etiā auctoritatem huius Septuaginta Seniorum versionis, si ista extaret omnino pura, sincera, & incorrupta, sicut extitit illis prioribus sæculis. In multis tamen depravata est.

523 Et quamquam anno 1510. Venerabilis, & Eminentissimus Cardinalis Franciscus Ximenius: & anno 1587. Sixtus V. correxerint versionem istam. Nunquam tamen revocata est ad suam primævam puritatem. Quare idem Sixtus V. nunquam definivit, eam esse puram, & sinceram Septuaginta Interpretum, esto impressa sit vna cum Biblijs Complutensibus: vt notat Antonius à Matre Dei, prælud. 2. n. 89. Et nulla est adeo emendata, & correcta, vt cum originali, tam verbis, quam rebus conveniat: sicut versio ipsa Græca consentit cum Hebraico textu, tam rebus, quā verbis: vt videre est apud Divum Hieronymum in cap. 1. ad Galatas, Bellarminum lib. 2. cap. 6. quando primo facta est.

524 Notant Hieronymus epist. 117. & alij, multa inveniri in versione ista Septuaginta Interpretum, quæ prima facie videantur longè diversa ab his, quæ sunt in originali Hebræo, & in nostra vulgata: quæ tamen introspecta, & diligenter considerata revera consentiunt. Duas assignat causas huius apparentiæ idem Hieronymus. Prima est: ne Gentiles iudicarent, multos esse Deos, quando audiunt Trinitatem. Secūda: ne Christi Domini mysteria Gentilibus propalarentur. Quia Crux eiusdē Christi Domini eis futura erat scandalum. En Hieronymi verba epist. 103. Vbicumque sacratum aliquid Scriptura testatur: de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt, vt & Regi satisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent. Et epis. 117. ait: Conijcio, noluisse tunc temporis Septuaginta Interpretes fidei suæ Sacramenta perspicue Ethnicis prodere, ne Sanctum canibus, & margaritas porcis darent.

525 Quod totum ex Divina speciali voluntate, prophetico que spiritu fecerunt Septuaginta Interpretes, teste eo-

Digitized by Google

dem

dem Hieronymo epist. 108. ad hæc verba: vbi obelus, scilicet virga, præposita est, illic signatur, quid Septuaginta Interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus Sancti auctoritatem: licet in Hebræis voluminibus non legatur. Hactenus Hieronymus.

526 Inquiri poterat in præsentiarum, quænam futura sit necessitas, aut vtilitas linguæ Græcæ: si Græca Septuaginta Interpretū versio, vt modo existit, non retinet auctoritatem, & puritatem, quam habebat originalis, & antiqua pura, & omnino incorrupta? Quę stionem istam a num. 797. resolvemus.

QVÆSTIO LIV.

Quot extent Latinæ Versiones Scripturæ Sacræ?

527 VErsiones Latinæ, quę ante tempora Hieronymi, & Augustini extiterunt appellantur antiquæ, & fuere innumerabiles. Ex Hieronymi verba præfat. in Iosue: *Apud Latinos tot exemplaria, quot Codices.* Et August. lib. 2. de doctrina, cap. 11. ait: *Primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibi metipse vtriusque linguæ habere videbatur quicumque ausus est interpretari.* Omnes versiones istæ innumerabiles immediatè factæ sunt ex Græco Septuaginta Interpretum textu, non autem ex Hebræo. Inter has antiquas versiones Latinas omnium præstantissima fuit illa, quæ appellatur *Itala*, & interdum etiam *Vulgata*, & *Vetus*. Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana istam amplexa, & sequuta est ab exordio sui vt communiter tenent Sancti Patres, præsertim Hieronymus epist. 1. & 19. Augustinus lib 2 de doctr Christ. cap. 15. & epist. 178. & Gregorius in Præfat. ad cap. 3. Iob, Scholastici, & Interpretes.

528 Latinæ versiones novæ, & recentes nuncupatæ sunt quæ post Hieronymi, & Augustini tempora sunt confectæ. Re vera iam tamen sunt veteres, & antiquæ. Hieronymus ipse fuit Auctor illius versionis, qua post ipsum Hieronymum via est Ecclesia & à Concilio Tridentino Sess. 4. & etiamnum absolute vocatur *Vulgata*. Quæ inter omnes est præstantissima, vt ex dicendis à n. 531. constabit.

529 Vltra quam extant aliæ quinque celebres Latinæ versiones. Prima, *Sanctis Pagnani*, anno 1528. Secunda, Isidori Clarij. Tertia, Arias Montani. Quarta, Francisci Vatabli, anno 1545. Quinta, Eminentissimi Cardinalis Caietani, & est partialis, seu inadæquata: videli-

Digitized by Google

licet circa Psalterium ad verbum. Quæ omnes quinque sunt Catholicæ, in Ecclesia tanquam vtiles permissæ, licet inter ipsas Sanctis, vel Xantis Pagnini sit omnino celeberrima: & aliæ plurimæ possent hic referri.

530 Latinas Hæreticorum versiones vix ne vix quidē enumerare sufficies. Prima fuit Munsteri. Secunda Castalionis. Tertia Xcolampadij. Quarta Leonis Iudæ. Quinta Iunij: vt alias prætermittam. Quæ omnes sunt depravatæ, vitiatæ, & adulteratæ, & per Ecclesiam damnatæ.

QVÆSTIO LV.

Latinarum Versionum quænam sit omnium optima?

531 REspondeo, ex Latinis, & Catholicis versionibus, eam, quæ *Vetus*, & *Vulgata* nostra appelatur, esse optimam, & præstantissimam omnium. Ita communiter Sancti Patres, Scholastici, & Interpretes. Probatur primò, & principaliter ex Tridentino Sess. 4. ad hæc verba: *Sacrosancta Synodus statuit, & declarat, vt hæc ipsa Vetus, & Vulgata Editio, quæ longo tot sæculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, &c.* Hæc autem œcumenici Concilij commendatio in nulla alia Latina versione reperitur. Ipsa ergo est omnium optima.

532 Probatur secundò. In reliquis Latinis versionibus inveniunt Doctores non pauci aliquid corrigendum, & reprehendendum. In vetere, & vulgata nostra nihil nihil. Ergo est omnium optima. Consequētia patet, & antecedens probatur ex his, quæ reprehendit (iure summo, Melchior Cano lib. 2. de locis. cap. 13. §. *Ad hæc*) Pagninus quoque Iudæos novos sequutus est. Et in summa dicit, Xantes Pagninum, Clarium, Ariam Montanum, Vatablum, & Caietanum haud raro Iudaizare, Rabbinizare, multa inserere, quędam adijcere: nonnulla mutare: taliter, vt Lector in eorum vērsionibus in locis mutatis non aliud possit intelligere, quam, aut veteris Interpretis errorem, aut veterum codicum depravationem. Notandū est hic, huiusmodi, vel mutationes, vel detractiones, vel additiones Sanctis Patribus esse molestissimas. Quod patet exēplo. Cum enim (vt dicitur in lib. historiæ tripartitæ, cap. 10.) multi Episcopi convenissent, & quidam eorum rogatus esset, vt faceret sermonem populo, vir scilicet eloquio, & sapientia prędictus; ille locus venit in

Digitized by Google

mes

medium: *Tolle lectum tuum, & ambula*: vbi pro *lecto, cubile* dixit. Tunc Spiridion Cypriorum Episcopus, vir sanctissimus, indignatus in eum, & exiliens de Cathedra Sacerdotali: Tu mulier es (inquit) eo, qui *Lectum* dixit, quia eius verbis vti confunderis? Quid hic faceret ipse Spiridion, si Isidori Clarij, Sanctis Pagnini, Erasmi, Vatabli, Caietani, & aliorum versiones, & inversiones audiret? Quo putas animo ferret huiusmodi versiones? Vide Canum dicto lib. 2. cap. 11. circa finem, vbi prædicta ferè habet formalia verba.

533 Sanctis Pagnini versio, licet inter omnes illas quinque sit optima, & præstantissima: nihilominus a Genebrardo appellatur minus diligens, nimis ambitiosa, nimis curiosa, nimis grammaticalis, nimium Rubbinicarum minutiarum æmula: non satis interdum cohærens cum veterum Hebræorum doctrina, & cum fidei Catholicæ mysterijs: contraria communi consuetudini, vsui, & mori scribendi Christianorum Græcorum, & Latinorū. Sanctes Pagninus non scribit *Iesu*, sed *Iesuah*: non scribit Maria, vel Mariam, sed Miriam. Quare in salutatione Angelica in eius versione sic dicitur: *Aue Miriam, gratia affecta*: non autem: *Aue Maria, gratia plena*. Priora autem illa verba: *Aue Miriam, gratia affecta*: quem Catholicorum non offendent?

534 Caietanus in Præfat. ad Psal. ingenue fatetur, se suã novam Psalmorum versionem concinnasse ex quatuor aliorũ versionibus, opera, & studio duorum Iudæorum, quorum alter erat baptizatus, & alter non erat baptizatus. Quia ipse Hebræam ignorabat linguam.

535 Arias Montanus versionem Xantes Pagnini emendare aggressus, eã de verbo ad verbum reddens, verbis nimiũ insistit: verborum etymologias plus iusto insectatur, & suam corrumpit versionẽ. Quia multa in peregrinis linguis sunt, quæ si verbo tenus Latinè reddere velimus, vt fecisse videtur Montanus, nihil efficiamus, sed vel obscuriorem reddamus sententiam, vel vocum introducamus barbariem: quæ omnium offendat aures.

536 Certissimum ergo est, inter Latinas versiones, omnium præstantissimam esse veterem nostram Vulgatam: ipsamque præ cunctis alijs esse Canonicam ex Tridentino Cõcilio. Reliquas Latinas supra numeratas, vt Sanctes Pagnini, Erasmi, Arias Montani, Vatabli, & Clarij permittit Ecclesia. Ipsæ cum cautela legendæ sunt. Quia hæreticorum erroribus scatent.

Digitized by Google

537. Extant etiam novæ Latinæ Hæreticorum versiones plurimæ: ab Ecclesia iure summo prohibitæ. Quia pleræque sunt Rabbinicæ, atque Iudaicæ. Sed de his satis.

QVÆSTIO LVI.

An Veteris, & Vulgatæ nostræ Versionis Auctor fuerit S. Hieronymus?

538. QVidam absolutè affirmant. Alij absolutè negant. Alij media procedunt via, & asserunt, Hieronymum partim fuisse, & partim non fuisse veteris, & vulgatæ nostræ versionis Auctorem.

539. Sin absolute nostra conclusio affirmativa. Ita communiter Scholastici, & Interpretes, præsertim Salmeron Prolog. 3. & Bellarminus lib. 2. cap. 9.

540. Probatur ex ipso Maximo Doctore, qui in præfationibus satis expresse affirmat, se primum fuisse, qui ex Hebræo in Latinum vertit testamentum vetus. Et in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in fine sic ait: *Novum testamentum Græcæ fidei reddidi: Vetus iuxta Hebraicum transtuli.* Hieronymus ergo vetus testamentum totum, vel saltim ferè totum ex Hebræo textu, & fonte, non autem Græco Septuaginta Interpretum transtulit in Latinum. Id ipsum testificatur Magnus Parens Augustinus epist. 8. & 10. & lib. 18. de Civitat. cap. 43. Et insuper clarissime constat ex eo, quod Vulgata nostra veteris testamenti cum Hebræo textu ferè ubique concordat, & à Græco passim discordat.

541. Ex industria dixi, *vel ferè totum.* Quia verosimilius est, Hieronymum non transtulisse libros Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, Appendices libri Esther, Baruch, & Epistolam Hieremiæ. Hos enim libros in vulgata nostra non ex versione Hieronymiana, sed ex Itala, veteri, & vulgata n. 527. relata per ignotum aliquem antiquum interpretem facta, habemus.

542. Danielem etiam, & Iudith vertit Hieronymus, non ex puro fonte Hebræo, sed Chaldaico, sicut etiam Tobiam.

543. Ad hunc effectum usus est Hieronymus quodã viro loquaci Hebraicæ, & Chaldaicæ linguæ peritissimo. Et licet ipse Hieronymus Hebraicam, & Græcam linguam æque perfectè sciret, ac Latinam: nihilominus quidquid prædictus vir loquax Hebraicis verbis ex Chaldaico textu exprimebat, id Hieronymus Latinis verbis exponebat, vt ipse testatur præfatione ad Tobiam.

Digitized by Google

544 Latina Veteris testamentis versio, qua constat Vulgata, & Vetus nostra, primo à D. Hieronymo confecta: mox atque idem Hieronymus anno 420. discessit è vita, in dies maioris æstimationis esse cœpit: in commentarijs omnibus celebrabatur, & ad distinctionem *Italæ* num. 527. relatæ, *Nova Editio* nuncupabatur.

545 Romana Ecclesia vtebatur vtraque Editione, vt testatur Divus Gregorius cap. 5. Epistolæ ad Leandrum. Et idem affirmat Baronius tom. 2. anno 251. num. 46 quamquam pluris fieri videbatur Nova Hieronymi versio, quam antiqua Itala Auctoris incogniti.

546 Mortuo Divo Gregorio, omnes aliæ translationes Latinæ, excepta vna Hieronymi, qua sola vtebatur Ecclesia, & quam ferè omnes Doctores tacita quadam consensione admiserant, perierunt, & evanuerunt. Præterquamquod in prædictis Latinis translationibus, quæ tunc circunferebãtur, Hieronymus ipse sermonis Hebraici, Græci, & Latini peritissimus, haud paucos notavit, & emendavit defectus.

547 Bene verum est, quod Ecclesia Romana multo post tempora Divi Gregorij, (qui ad Cœlũ migravit anno 604.) Latinam Psalterij versionẽ à Hieronymo factam admisit.

548 Huius causa fuit, Ecclesia canebat Psalmos ex versione Luciani, & plerique Psalmos memoriter retinebant, & etiam concinebant. Cum ergo Latina Hieronymi versio in omnibus non concordaret cum versione Luciana, ideo multi etiam post Divum Gregorium vtebantur ista Luciani versione. Sicut etiam nunc multi retinẽt hymnos antiquos, eosque concinunt.

549 Non desunt, qui sentiant, Psalterium, quod nos habemus in Vulgata nostra, & quod canit Ecclesia Romana, diversum esse ab illo Psalterio, quod transtulit Hieronymus in Latinum ex Hebræo, & ab altero, quod ipse Hieronymus vertit etiam ex Septuaginta Interpretibus, Et vtrumque habetur in eius operibus.

550 Quia videlicet quidam Interpres Hieronymo antiquior Psalterium ex Septuaginta Interpretibus in Latinum transtulit: Sanctus Lucianus Martyr illud emendavit: in Ecclesia recitari consuevit: in eadem mansit: & est ipsissimum, quod in nostra habetur Vulgata. Licet hoc ipsum Psalterium ab ipso etiam Hieronymo fuerit emendatum. Sic sentit Bellarminus lib. 2. cap. 9. prop. 2.

551 Hinc Divus Hieronymus non semel, aut bis, sed terque, quaterque circa Psalterium

Digitized by Google

rium laboravit. Illud ex Hebræo transtulit in Latinum, sicut etiam ex Græco: & semel, & iterum correxit. Et libros Veteris testamenti, quos non transtulit: aut correxit, aut saltem recognovit. Et quales erant in Veteri Latina translatione Itala, tales eos, tanquam recte translatos, reliquit.

554 Loquendo de versione Novi testamenti, certum est, vulgatam Editionem Latinam eiusdem Novi testamenti, qua olim vtebatur Ecclesia, & eadem vtitur nunc, non fuisse factam à Hieronymo ex sermone Græco in Latinum.

555 Iussu tamen Sancti Damasi Papæ versio ista per Hieronymum fuit correcta, & emendata. Et Hieronymi correctio magis recepta fuit, quam antiqua translatio. Et tanti facta est ab Ecclesia: vt eam præ cæteris retinuerit, & semper retinendam fore præceperit ex n. 182.

554 Ex quibus omnibus liquido constat, Divum Hieronymum, Doctorem Maximum, fuisse Auctorem totius nostræ Editionis vulgatæ, tam Veteris, quam Novi testamenti, vel tituli translationis, vel correctionis, vel recognitionis.

555 Quod patet ex eodem Hieronymo. In libro enim de Scriptoribus Ecclesiasticis in fin. ait: *Novum testamentum Græcæ fidei reddidi. Vetus ex Hebraicum transtuli.* Et in præfat. ad Damas. *Novam opus me facere cogis ex vetere.*

556 Et in epist. ad Augustinum, quæ est 11. in huius epist. & invenitur tom. 2. cap. 6. paulo post medium: *Si me, vt dicis, in Novi testamenti emendatione suscipis.* Vide Antonium à Matre Dei, prælud. 2. à n. 69.

QVÆSTIO LVII.

Quàm peritè, & sapienter Scripturam sacram verterit, correxerit, ac recognoverit D. Hieronymus?

557 NEmo sincere, rectaque intentione Divi Hieronymi opera hactenus legit, & vel mediocriter in lingua Latina, Hebræa, & Græca versatus est, qui summam, & admirandam eiusdem linguæ Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ periciam, & notitiam in eo extitisse, peringenuè non fateatur.

558 Solus Lutherus, eiusque asseclæ veritatem istã (contra mentem suam: ex odio in Maximum Doctorem) infitiati sunt: dicentes, Hieronymum Hebraicæ saltem linguæ ignarum fuisse. Adversus quos extat Magni Patentis Augustini testimonium lib. 18. de Civit. cap. 43. Beati Isidori lib. 6. Ety-

Digitized by Google

Etymologiarum cap. 5. & alio cum. Ad hæc. Hoc ipsum, aliqui ex novatoribus etiam fatẽtur. Erasmus enim in proœm. tom. 4. sic ait: in optimo Theologiæ genere primas tenet Divus Hieronymus. Et ità primas tenet, vt omnes post se longo relinquat intervallo.

559 Prosequitur idem Erasmus: Et adeo neminẽ habemus, quem vllo pacto cum hoc conferre possimus, vt inter tam innumerabiles Doctores, & Theologos vix quemquam habeat & ipsa docta Græcia, qui nostrum æquet Hieronymum, si modo non vnam laudem, sed vniversas eius dotes simul expendas. Tantam in vno homine reperies sæcularium litterarum cognitionem: tantam omnis antiquitatis peritiam: tot linguarum absolutam scientiam: tam admirabilem locorum, & historiarum omnium notitiam: vt omnes Doctores, quos citra collationem suspicimus cum Hieronymo compositi vix sapere, vix loqui, vix vivere, videantur. Hactenus Erasmus, & ipse Novator.

560 Munsterus, & ipse Hæreticus præfat. in Vetus testamentum ait: Non dedignatus est vir tantus, & tam celebris per orbẽ, rursus fieri discipulus, etiam illorum, qui inimici erant Crucis Christi, & nominis Christiani. Loquitur de Hieronymo.

561 David Chitræus in Onomastico ait: Hieronymus Hebræo simul, & Graio, Latioque venustus eloquio, morum exemplar, mundique Magister. Certissimum ergo sit, Divum Hieronymum magno studio, & labõre in Hebraicam linguam incubuisse, & factum fuisse discipulum, necdum Christianorum, verumetiam Iudæorum, vt Hebraicam disceret linguam.

562 Quid? Testatur ipse Hieronymus, quod sæpè adhibuit Præceptores Iudæos magna mercede, ac importuno ipsius noctis tempore. Tam ardẽti flagrabat desiderio addiscendi Hebraicam linguã! Ideo nulli labori parcebat. Nullos pecuniarum sumptus excusabat.

563 Insuper Sanctus Hieronymus acri, subtilique præditus erat ingenio: fœlicissima pollebat memoria. Cumque in quibuscũque negotijs magnam semper adhiberet diligentiam: in hoc negotiorum negotio, atque maximo, absdubio summã & maximam adhibuit diligentiam. Vt opus hoc omnibus numeris evaderet absolutissimum: omnes ingenij, artis, & industriæ effudit vires.

564 Ad hæc. Religionis, ac veritatis amor & zelus in eo floruit vt vel & ipsius testificantur hostes. Qui ergo fieri potuit, vt diligenter, fideliter, pere, & sapienter non verterit, corre-

Digitized by Google

correxerit, ac recognoverit Scripturam sacram?

565 Quibus omnibus accedit, quod Divus Hieronymus Scripturam sacram vertit, correxit, & recognovit ad præsentiam plurium æmulorum valde procacium, & protervorum. Quod vel solum impellere, & cogere debebat D. Hieronymum, vt opus istud, perfectissime quam posset, executioni mandaret. Æmuli enim huiusmodi ad hoc tantum deseruire possunt, vt, qui opus aliquod ab æmulis legendum, vel videndũ, in lucem edere conatur: quanto illi proterviores, & callidiores sunt, tanto iste accuratius, diligentiusque impellatur, ad perficiendum opus, quod ad suorum æmulorum manus perventurum esse, non dubitat.

566 His ergo præhabitis: sit nostra conclusio. Divus Hieronymus Scripturam sacrã adeo accurate, sapienter, perite, & diligenter transtulit, emendavit, ac recognovit: vt nemo prudens, & cordatus quidquã in hoc puncto desiderare possit. Ita communiter Sancti Patres Hieronymo coævi, & ipso posteriores: Scholastici, & Interpretes, si nonnullos Catholicos, & plerosque hæreticos excipias. Probatur ex dictis. Omnia argumenta, notæ, & signa perfectæ translationis, & correctionis, ac recognitionis, reperiuntur in D. Hieronymo. Ergo ipse perfectè transtulit, correxit, & recognovit Scripturã sacram. Ergo adeò accurate, sapienter, &c. vt nemo prudens, &c.

§. VNICVS.

Contraria solvuntur argumenta.

567 ARguitur primò. Vulgata nostra Editio barbara, impolita, inelegans, illatina, solœcismis, & barbarismis plena, & referta est. Perperam ergo dictum est, Divum Hieronymum vniversam Scripturam sacram peritissimè, sapientissimè, diligentissimèque transtulisse, correxisse, recognovisse: & in tribus præcipuis linguis, Latina, Hebræa, & Græca, tam egregium, & peritum fuisse, vt primas tenuerit, & omnes post se longo intervallo reliquerit.

568 Hinc inferunt Hæretici Recentiores, quod Vulgata nostra Editio, per Hieronymum translata, correcta, ac recognita, non nisi vt prius purgata, elegantior, gravior, suavior, & clarior facta, potuit, ac debuit per sacrosanctum œcumenicum Tridentinum Concilium, sola præ reliquis proponi fidelibus: *In publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus sequenda*: ne Verbum Dei tot solœcismis, & barbarismis fœdatum,

Digitized by Google

tum, illud legentium, & audientium irrisioni, & ludibrio exponeretur: & ab omnibus contemneretur.

569 Huic argumento satis responsum est num. 140. & infra. Deinde respondeo, sæpissimè contingere, quod revera sint optima, elegantissima, & latinissima, quæ in multorum opinione, vel errore reputantur barbara, impolita, inelegantia, illatina, sollæcismisque referta. Nova solent in Scripturis sacris, & in Theologia, quæ illis præcipuè inititur, inveniri nomina, & vocabula, apud Auctores Latinos, classicos, & antiquos, præcipuè Ethnicos, non visitata: quæque prisca ætas minimè cognovit, vidit, audivit. Huius assertionis demonstrationē facit palmariam Sapientissimus P. Richardus Lyncæus tract. 1. Apolog. lib. 1. de Theol. & locis, cap. 2. & 3. tract. 7. lib. 4. cap. 9. num. 100. & alibi ex multis, & gravissimis Scriptoribus, tum Ecclesiasticis, tū profanis.

570 Duo proferam exempla ad intentum opportuna, & valde congrua. In sancto sacrificio Missæ, & in Litanijs canit Ecclesia: *Agnus Dei*, & non *Agne Dei*. Similiter in Hymnis Sanctæ Martinæ V. & M. sic cantant: *Fu qui Martyribus dexter ades Deus Vne, & Trine.* Vtrumque vt barbarum, & illatinum à permultis, præsertim Hæreticis, forsitam reprehenderetur. Cum tamen revera irreprehensibile sit.

571 Insuper nemo nescit, multa verba, quæ pro barbaris, & impolitis à plurimis nunc habentur, fuisse in vsu apud Ciceronem, Sallustium, & alios Latinissimos. Voces autem, & phrases, quibus illi vsi sunt, nec explodere, nec perhorrescere, nec reprehendere, nec damnare possumus, sicut nec ipsorum constructionem. Quandoquidē ipsi fuerunt Doctores eloquentissimi: & licet nobis, ipsos sequi, & imitari.

572 Et pro clariori intelligentia solutionis datæ notandum est primo, in versione nostra Latina ex textu Hebræo, & Græco sæpè reperiri Hellenismum, hoc est, imitationem phrasis Hebraicæ, & Græcæ. Quare constructiones Hebraicæ, & Græcæ: quæ per Hellenismum reperiuntur in versione Latina, licèt primo aspectu appareant sollæcismi, seu impar, & inconveniens compositio partium orationis: revera tamen non sunt sollæcismi, seu oratio perperam, & sine recto ordine peracta. Hoc advertit satis opportunè Sapientissimus Lyncæus tract. 7. de locis num. 100.

573 Notandum est secundo ex eodem Lyncæo: necdum Scripturam sacram, verum etiā

Scho

Scholasticam Theologiam ab Hæreticis naso suspendi aduncо, & veluti barbaram, rudemque traduci: vt proles præseferat, & demonstret Matrem. Eo quod Theologia nostra fundetur in sacra Scriptura, & ista innitatur. Videndus est idè Lyncæus tract. 1. à num. 20. vbi ingeniosissime refellit Hæreticos criminantes, Theologiã Scholasticam incultam, ac barbaram esse, eo quod frequenter vtatur his vocibus: realiter, realis, realitas: formalis, formaliter, formalitas: materialiter, materialis, materialitas, materializatio, essentia, ens, entitas, entitativè, essentialiter, partialis, partialiter, totalis, totalitas, totaliter: reduplicativè, specificativè, specificè, obiectivè, subiectivè, identitas, identificò, identicè, suppositare, individuare, hæcceitas, ipseitas, Petreitas, virtualiter, virtualis, potentialitas, potentialiter, potẽtialis, &c. Et notat ipse Lyncæus tract. 1. num. 18. quod ex ipsis Hæreticis, qui magis ingenui, minusque pervicaces sunt, & præsertim Franciscus Stancarus in libr. contra Tigurinos in faborem Scholasticorum Theologorum habeat hæc verba: Plus valet vnus Petrus Lombardus, quam centum Lutheri, ducenti Melanchtones, trecenti Bullengeri, quadringenti Petri Martyres, & quingenti Calvini: qui omnes, si in vno mortario contunderentur, non exprimeretur vna vncia veræ Theologiæ.

574 Quibus, & alijs vocibus iure summo vtuntur Scholastici, quoties adest causa iusta: sicut etiam propter eamdem rationem, & causam Arnobius, Tertullianus, insuper, & innumeri Philosophi, & Poetæ Profani, & Auctores Ecclesiastici vsi sunt vocibus, vel inauditis, vel non adeò tritis, & quidem summa cum laude, quin vt barbari, & minus Latini fuerint reprehensi, aut damnati.

575 Ideo ait Serarius cap. 19. in responsione ad istud argumẽtum: Nihil esse in Vulgata nostra Editione Latina, quod non fuerit in multis bonis, Latinisque Auctoribus: licet aliquorum nunquam ab hodiernis Momis, seu Hæreticis, Vulgatam nostram illatinitatis accusantibus, lecti, forsam, nec visi, nec auditi sint.

576 Insuper respondere possumus ad idem argumentum ex eodem Serario: In Scripturis, Divinisque Mysterijs plus attendendum esse ad res, quam ad voces: magis probari orationis gravitatem, perspicuitatem, & quamdam cum maiestate antiquitatem, incultam etiam, ac impolitam, quam comptam valde, & calamistratam novitatem, picturataque, ac fucata dictionis lenocinia. Sunt formalissima Serarij verba. Quod probat

ex

ex Arnobio lib. 1. adversus Gentes, Hieronymo epist. 21. 22. & 103. & Augustino, Gregorio, & alijs.

577 Quam doctrinam confirmat quidam gravissimus Doctor per hæc verba; Bonorum ingeniorum indoles est, & quidem egregia, & insignis, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si ea aperire non possumus quod volumus? Aut quid obest lignea, si hoc possumus, quando nihil quærimus, nisi quod patere potest?

578 Singula autem verba, quæ Hæretici reprehendunt vt barbara, atque illatina in hac Hieronymi versione, videri poterunt apud Lyncæum dicto tract. 7. à num. 101. & forte nonnulla referentur à nobis à num. 609. quando de Vulgata nostra fuerit sermo.

579 Arguitur secundò: Si Divus Hieronymus Scripturam sacram adeò accuratè, &c. transtulisset, &c. Vulgata nostra tam frequenter ab Hebraico textu non discordaret. Sed frequenter discordat. Ergo.

580 Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: frequenter discordat: quoad imperitos, concedo. Quoad peritos, nego minorem, & consequentiam. Itaque nostra Vulgata sæpè videtur, quod dissentiat ab Hebræo textu, primo, quia hi, quibus hoc videtur, habent textum Latinum, vel forsitam etiam Hebræum corruptum, & vitiatum, mendosum, & adulteratum. Secundo, quia Hebræa verba sæpè sunt æquivoca, multiplicemque habent significationem: & vnus accipit vnam, & alius alteram.

581 Tertiò, quia haud raro textus aliquis omnes eiusdem verbi æquivoci significationes admittit: quin valeat ista consequentia: *Ista significatio convenit huic textui. Ergo nulla alia ei competit.* Videndus est Serarius loco citato.

582 Arguitur tertiò. Præceptores, quos habuit Hieronymus, fuerunt pessimi Iudæi, & Christianis omnibus hostes infensissimi. Ergo.

583 Respondeo, Hieronymum taliter vsum fuisse Iudæis Præceptoribus, vt vltra suam peritiam in triplici lingua, & dotes supra enumeratas, maturum iudicium, prudentemque adhibuerit electionem: approbando, quod bonũ, & rectum erat: & reprobando, quod reprobatione dignũ erat. Quod testificatur Hieronymus pluribus in locis.

584 Arguitur quartò: Hieronymus erat vir valde occupatus: plurimis negotijs distentus. Ergo.

Digitized by Google

585 Respondeo, negando consequentiam. Quia quantumvis varijs præoccupatus negotijs, in his, quæ erant maximi ponderis (quale erat istud præsens) summam, & maximam adhibebat diligentiam, curam, & operam, quam dictabat singularissima & excellentissima prudentia, qua præditus erat. Eam vocat Augustinus epist. 19. *Doctam, & otiosam, annosam, studiosam, ingeniosam, diligentem.*

586 Relinquitur ergo manifestè convictum, quod Divus Hieronymus Scripturam Sacram diligenter, perite, & fideliter transtulit, correxit, recognovit. Et hæc pro stylo eiusdem Hieronymi in Vulgata nostra Latina dicta sufficiant.

587 Non potuimus autem non defendere eumdem Hieronymum, nostramque Vulgatam, & omnes Scriptores sacros ab Hæreticorum calumnijs cum Arnobio dicto lib. 1. contra Gentes, Gretsero in defensione Bellarmini lib. 2. cap. 14. ad finem, Gravina tom. 1. Cathol. præscript. lib. 4. controvers. 10. generali, ac 2. speciali, art. 2. Lyncæo loco citato. Quandoquidem, & Andræas Alciatus Eximius Iurisconsultus lib. 4. de Verb. Signific. Veteres Iurisperitos suos, illatinitatis etiam accusatos, à simili calumnia vindicavit, vt notat Lyncæus tract. 7. n. 104. in fine.

QVÆSTIO LVIII.

An Divus Hieronymus Scripturam sacram speciali Spiritus Sancti assistentia transtulerit, correxerit, & recognoverit?

588 Alijs terminis. Vtrũ Divus Hieronymus, qui ex quæst. 56. Auctor fuit totius Vulgatæ versionis: quia eam partim ipse fecit: partim ab alijs factam correxit: partim recognovit: verum Vatem, Prophetamque, vel solum Interpretem egerit? Et valde coincidit quæstio ista cum illa, quam num. 74. excitavimus.

589 Prima sententia est negativa, quam, præter Hæreticos, tenere videntur Bellarminus lib. 2. cap. 11. ad argumentum 2. Antonius à Matre Dei, prælud. 2. num. 98. & alij. Quorum quidam dicunt, Hieronymum de facto in hoc negotio forsitam errasse. Alij, licet negent, ipsum de facto errasse saltem in his, quæ sunt substantialia, & essentialia, & pertinent ad fidem, & mores, nihilominus, aiunt, errare potuisse. Videndus est Bellarminus lib. 4. fol. 255. & 256.

Digitized by Google Se-

590 Secunda sententia est affirmativa. Eam tenent Cano lib. 2. de locis, cap. 14. Salmeron prolog. 3. observat. 5. & alij, licet inter se etiam sint dispersi Quidam enim dicunt, Divum Hieronymum habuisse speciale illam assistentiam, & gratiam, quam habuerunt Scriptores sacri ex dictis à num. 112. necdum quoad sententias, & quoad momentosa, verumetiam quoad singula verba. Alij sentiunt, assistentiam huiusmodi speciale solum fuisse quoad sententias, ne quid falsum, aut pernicioſum poneret Hieronymus in his, quæ substantialiter pertinent ad fidem, & mores; non vero, quoad singula verba.

591 Tertia sententia est Serarij cap. 19. quæst. 8. qui, primæ, & secundæ sententiæ fundamentis nervosè, & eleganter propositis, sic ait: Vtra opinionum istarum sit probabilior, mihi quidem non dum satis liquet. Ratio. Quia videntur opinionis vtriusque argumenta posse non improbabiliter solvi. Ideo eis solutis, vtramque problematicè defendit.

592 Sit nostra conclusio vnica. Divus Hieronymus, ad faciendam versionem suam, & Vulgatam nostram, ad eam corrigendam, & recognoscendam, necdum fuit cunctis naturali bus subsidijs præditus, verum etiã speciali supernaturali Spiritus Sancti assistentia, & gratiæ præventus, & illustratus. Ita Auctores secundæ sententia. Quam prædictus Cano dicto lib. 2. cap. 14. §. *Ad id vero*, pag. mihi 75. solita elegantia sic persuadet: *Magnus error eorum est, qui sine Spiritus Sancti peculiari dono Scripturam Sacram, existimant, se posse, vel intelligere, vel interpretari.* Et productis in medium aliorum, & eiusdem Hieronymi testimonijs, quibus suam, & nostram probat conclusionem, ita prosequitur: Hactenus Hieronymus. Qui si vera dicit, cogit nos profecto credere, aut veterem Interpretem Spiritus Sancti peculiari dono sacras litteras convertisse, aut Ecclesiam Latinam multis retro sæculis non Dei habuisse Evangelium, sed hominis. Cum igitur objicis Interpretem non fuisse Prophetam. Sanè verò Propheta non fuit. Habuit tamen (vt Titelmanus rectè asseverat) Spiritum quemdam prophetico vicinum, & proximum: qualẽ necessarium esse, ostendimus, sacris litteris interpretandis. Immò qualis erat necessarius, vt Ecclesia Latina Editionem sacrorum Librorum haberet, quam tuto in fide, & moribus sequeretur. Hæc ille, & quidem

Digitized by Google

verissimè, & rectissimè.

593 Probatur primò à ratione. Nobilissima totius Christi Ecclesiæ pars est Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, & Latina. Ergo ipsius decorem, & dignitatem decet excellentissimus, & nobilissimus Interpres Latinus speciali Spiritus Sancti gratia, & assistentia illustratus, ad transferendam, corrigendam, & recognoscendam Scripturam sacram. Antecedens patet. Quia in sola Romana, & Latina Ecclesia (ex quo Sedes Apostolica ibi collocata est) fides Catholica integra permansit: cum in tota Græcia Ecclesiæ Græcæ (quæ Orientales nuncupantur) ferè omnes perierint, & pleræque, vel sint Schismaticæ, vel Hæreticæ. Consequentia etiam patet ex dictis quæst. 51. de versione Græca Septuaginta Interpretum. Si namque Septuaginta Interpretes speciali Spiritus Sancti assistentia, & gratia illustratos, & præventos fuisse, decuit decorem, & dignitatem illius Ecclesiæ Græcæ, ne errare possent in re tanti momenti, tam ipsa Ecclesia Græca, quam ipsi Septuaginta Interpretes; quid ni, &c?

594 Probatur secundò, & explicatur prima ratio. Decuit, & quidem plurimum, vt ante Christum Dominum existeret in rerum natura Scripturæ sacræ versio per specialem Spiritus Sancti assistentiam facta. Et hoc fuit maximum, valdeque necessarium Ecclesiæ illius temporis ornamentum. Ergo & decuit quod post adventum Christi alia similis extaret. Tunc vltra. Prærogativam huiuscemodi Vulgata nostra Latina versio à Hieronymo confecta præ cunctis alijs habere debet. Ergo.

595 Probatur tertiò. Iam Vulgata Hieronymi Editio in actu secundo, & quoad nos est Canonica, & authentica ex Concilio Tridentino. Ergo & fuit Canonica in actu primo ex dictis à num. 286. Ergo.

§. VNICVS.

Contraria soluuntur argumenta.

596 ARguitur primò: Hieronymus nō fuit verus, & rigorosus Vates, & Propheta; sed purus Interpres. Ergo nec speciali assistentia Spiritus Sancti transtulit, correxit, & recognovit Scripturam sacram. Consequentia patet, & antecedens probatur. Verus, & rigorosus Vates, & Propheta verum Propheticum lumen, specialemque Spiritus Sancti assistentiam habens, nullam habet suspicionem

Digitized by Google

nem de veritate, quã transfert, corrigit, aut recognoscit. Hieronymus habuit suspicionem eiusmodi. Ergo non fuit verus, & rigorosus vates, & Propheta: Consequentia tenet. Minor cõstat ex eodem Hieronymo in Ezech. cap. 40. dicente de semetipso: *Hebraica nomina nos de aliorum editionibus in latinum sermonem expressimus; nec tam explanationem dictionum, quam suspicionem nostram simpliciter indicantes.* Maior similiter constat ex 2. Petri cap. 1. v. 2. vbi dicitur: *Omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* Et ex 1. ad Corinth. cap. 12. v. 10. ibi: *Alij interpretatio sermonum.* Iuxta quæ loca in vero Propheta, vel vate verum Propheticum lumen habente, sive ad interpretandos, sive scribendos, sive transferendos sacros libros, nulla potest esse suspicio. Quia interpretatio est donum Dei, & gratia gratis data. Videndus est Eximius Doctor P. Franciscus Suarez tom. 1. in 3. p. q. 7. art. 8. disp. 21 & etiam N. P. Fr. Raphael à S. Ioan. *Camino Real*, p. 410. n. 369.

597. Respondeo in primis ex dictis num. 592. cum Cano, Hieronymum, si verè Propheta non fuit, habuisse Spiritum quemdam Propheticum vicinum, & proximum, vt ait Titelman. Deinde, Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem respondeo, ex n. 156. posse quem esse verum Prophetam, propheticoq; scribere spiritu: & aliunde ignorare, se prophetico spiritu scribere. Haud secus, ac potest quis spiritum, gratiam, vel donum miraculosum habere, & an illud habeat, vel non, penitus ignorare. Quod patet ex Ioann. cap. 11. v. 50. & 51. *Caiphas enim prophetavit, quod Iesus moriturus erat pro gente.* Et nihilominus ignorabat, se prophetico spiritu Christi mortem prædicere. Et Sapientissimus Villalpandus loquens de Hieronymo ad prædictum cap. 40. Ezechielis ait: Divinam & Sapientiam, & erga Ecclesiam sanctam Paternã providentiam admirari licet, quæ omnem Scripturã sacram, ac singula pene huius prophetiæ verba adamusim interpretari fecit, ipso ferè interprete nesciente. Hactenus ille. Verba igitur Hieronymi: *Suspicionem nostram indicantes:* nec minimũ quidem elevant auctoritatem Hieronymi, nec opponuntur speciali Spiritus Sancti assistentiæ, & gratiæ, qua illustratus vulgatam versionem nostram modo superius explicato perfecit.

598. Arguitur secundò: Hieronymus ipse peringenue fatetur, se in hoc opere conficiendo sæpè errasse: se suam industriam, diligentiam, & eru-

Digitized by Google

ditionem tantum adhibuisse. Ergo. Probatur antecedens. Multa ipse correxit, & mutavit. Et prætermissis plurimis exemplis, quæ minimo negotio afferre possem; vnum proferam in medium. In libro de optimo genere interpretandi, & Præfat. in Pentath. dixit: Isai. cap. 11. v. 1. vertendum ita: *Nazaræus de radice eius ascendet.* Cũ tamen postea ipse verterit: vt vulgata nostra dicit: *Flos de radice eius ascendet.* Ergo.

599 Respondeo primò cum quibusdam, dicendum, quod errores, quos Hieronymus fatetur, se commisisse, fuerunt leves, parvique momenti. Respondeo secundò, peringenuam Hieronymi confessionẽ suorum errorum ad summum convincere, quod ipse à principio, & quando suum inchoavit opus, non habuerit specialem Spiritus Sancti assistentiam, & gratiam. Neutiquam vero probat, quod illam non habuerit, quando opus illud perfecit, eique vltimam manum adhibuit. Quod sat, superque est ad nostrum intentum. Et Scripturæ sacræ Interpres potest vno tempore accipere à Deo speciale lumen supernaturale, quod in alio non acceperit: vt id, quod prius minus accurate scripsit, postmodum corrigat.

600 Arguitur tertiò. Hieronymus sine speciali Spiritus Sancti assistentia, & gratia designavit catalogum librorum sacrorum. Ergo & sine eadem vertit, correxit, & recognovit Vulgatam nostram veterem Latinam. Antecedens est certum ex num. 285. & videri potest Cano lib. 2. cap. 5. Consequentia vero probatur à paritate. Si enim in designando Canonismo potuit errare Hieronymus: cur non & in ipsa versione?

601 Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Disparitas est. Ex quo Divus Hieronymus nõ habuerit specialem Spiritus Sancti assistentiam in designandis libris Canonicis: & ex quo in hoc errare potuerit, expungendo, & excludendo à Canone librorum Canonicorum nonnullos libros, qui revera sunt iam Canonici, quorum meminit Lyncæus tract. 6. de locis, num. 2. nullum grave præiudicium resultat Ecclesiæ Catholicæ, nec id vergit in aliquod eiusdem Ecclesiæ damnum. Quod autẽ errare possit in vertenda, corrigenda, & recognoscenda Scriptura sacra: & quod non haberet specialem Spiritus Sancti assistentiam, & gratiam ad hæc munia rite, recteque perficienda: cederet absurdo in gravissimũ Ecclesiæ Catholicæ damnum. Quandoquidem eadem Ecclesia Catholica Apostolica Romana semper vsa est eadem Ve-

Digitized by Google

Veteri Vulgata versione à tempore Divi Hieronymi. Vide quæ diximus ex Cano n. 592. & 593.

602 Arguitur quartò. Magnus Parens Augustinus, Ambrosius, & alij Hieronymum appellant Interpretem, & negant, illum fuisse verum Prophetam, propheticoque lumine illustratū. Ergo. Respondeo ex num. 597. concesso antecedenti, negando consequētiam. Sicut ipsum enim Hieronymū latuit, quod esset Propheta: latère potuit Augustinum, Ambrosium, & cæteros. Sic etiam frequenter latet plures animas sanctissimas, quod ipsæ acceperint à Deo singulares favores, & gratias: quod altissime cognoscant, & ardentissime diligant Deum: vt notat N. P. Fr. Raphael à S. Ioanne in suo lib. *Camino Real*, pag. 295. n. 255. & ibidem reddit rationem ex Aristotele lib. de Memor. & Remin. cap. 1. & D. Thom. 3. p. q. 83. art. 6. ad 5.

603 Arguitur quintò. Idcircò Divus Hieronymus specialem habuisset gratiam ad faciendam versionem, quia huiusmodi assistentia est singulare decus, & ornamentum Ecclesiæ. Sed hæc ratio (quam num. 594. adduximus) nimium probat. Ergo est de genere earum, quę nihil probare dicuntur. Ergo saltim ista probatio nulla est, & nostra conclusio ruit. Probatur minor. Singulare, imò multo maius ornamentum, & decus Ecclesiæ fuisset, quod Hieronymus ipse omnia, & singula vertisset, correxisset, & recognovisset modo longe elegantiori, & meliori, atque planiori: absque mora, spongia, aut litura vlla, quam eo modo, quo de facto vertit, correxit, & recognovit. Et tamen qui contēderet, Hieronymum sic vertisse: nimium, vel nihil probaret. Ergo.

604 Confirmatur. Necesse non est, quod sponsa aliqua omnibus, & pretiosissimis, quibus potest, ornetur monilibus, sed solum congruis, & suum statum decentibus. Sic & Ecclesia Catholica nō experitur ea portenta, & mirabilia, quæ tempore Moysis contigerunt. Ergo necesse non est, quod eadem Ecclesia Catholica habeat hoc speciale decus, & ornamentum specialis assistentiæ Spiritus Sancti in Divo Hieronymo, ad vertendam, corrigendam, & recognoscendam Latinam Vulgatam nostram.

605 Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad huius probationem, concessis maiori, & minori, nego cōsequentiam. Disparitas est clara. Quia nullum grave, prudens, & solidum adest fundamentū, ad asserendum, quod decuerit,

Digitized by Google

& opportuerit, Hieronymũ vertisse illo meliori modo ab exordio, quamquam Deus potuerit ei concedere tale donum speciale à principio. Adest tamen fundamentum, & quidem solidum, ad asserendum, quod idẽ Hieronymus, quando versioni suæ extremam adhibuit manũ, speciali Spiritus Sancti gratia, & assistentia fuerit præventus.

606 Ad confirmationem, concesso antecedenti, nego cõsequentiam. Decet enim Ecclesiam Catholicam hoc singulare ornamentum, & decus specialis assistentiæ, & gratiæ Spiritus Sancti in vertenda, corrigenda, & recognoscenda Vulgata Editione nostra. Quod etiam cedit in gloriam singularem, & prærogativam Doctoris Maximi, qui gratiam gratis datam, quæ *Interpretatio sermonum* dicitur ab Apostolo 1. ad Corinthios cap. 12. vers. 10. & est singulare quoddam Dei auxilium, quo Interpres regitur, ne erret, & deviet à vero, consequutus fuit ad Ecclesiæ vtilitatem, decus, & ornamentum: & Hæreticorum omnium terrorem, & confusionem.

(*)

****
****
****

QVÆSTIO LIX.

Quanta fuerit auctoritas Vulgatæ nostræ versionis tempore Sancti Hieronymi?

607 REspondeo dicendũ, quod tunc quibusdam placebat, quibusdam displicebat. Constat vtrumque ex eiusdem Hieronymi præfationibus, & ex D. Augustino lib. 18. de Civit. c. 43.

QVÆSTIO LX.

Quanta fuerit Vulgatæ nostræ auctoritas, mortuo Hieronymo?

608 ESt infœlicitas (vel potius fœlicitas) magnæ virtutis: vno sæculo nasci: alio æstimari. Vulgata nostra Editio (cuius Auctor fuit Hieronymus) in triplici quasi ætate, vel statu potest considerari: nimirum quoad initiũ, progressum, & finem. In principio quibusdam placuit: quibusdam displicuit: Mortuo Hieronymo, anno 420. versio ista cœpit magis, & magis complu-

Digitized by Google

æque tractatibus amplexa est: vt testatur ipse Gregorius in epist. ad Leand. cap. 5. lib. Moral. Et deinceps in Ecclesia Latina versio ista sola præ cæteris omnibus, vt omnium optima, & Hebraico fonti magis consona, talem, tantamque consequuta est approbationem, & auctoritatem, vt eam tantum cœperint omnes in Ecclesijs publicè legere: in Concionibus proponere: in Commentarijs exponere: in Concilijs citare. Primo quidem libere, quasi fortuito, & casu. Postea ex consuetudine, quæ vim legis obtinuisse videtur, vsque ad Tridentinum. Incertum enim omnino est, quod extiterit præceptum aliquod Summorum Pontificũ, vel Conciliorum, vsque ad tempus, in quo Tridentinum celebratum est de amplectenda versione ista Vulgata in cunctis Latinis Ecclesijs.

QVÆSTIO LXI.

Quanta sit iam Vulgatæ nostræ auctoritas?

609 HVius quæstionis resolutio patet ex dictis, q. 55. à num. 531. Respondeo ergo breviter, esse summam, & maximam. Quia est authentica, & Canonica ex œcumenici Tridentini Concilij Decreto, n. 182. relato. Nulla autem potest esse maior, quam ea, quæ in omnium sententia est Canonica. Est authentica. Quia versionem esse authenticam in præsentiarũ, nihil aliud est, quam esse omnino in sententia conformem Scripturæ originali. Est etiã Divina, propter rationem, n. 343. in simili adductam. In Tridentini Decreto tria ponderanda sunt pro præsenti instituto. Primum est ipsius præfatiuncula. Quæ Vulgatæ versionis vtilitatem commendat. Secundum est, quod affirmatur, & iubetur per illud: nimirum quod pro authentica, & Canonica habeatur à cunctis fidelibus in officijs Divinis, publicis precibus, lectionibus, disputationibus, concionibus, cõmentarijs. Tertium denique quod prohibetur: videlicet, quod Vulgata nostra nullo prętextu reijciatur.

610 Hinc Latinus Vulgatæ nostræ textus post Tridentinum Concilium est quasi Coryphæus, Rex, vel Princeps textuum omnium sacrorũ, tam Latinorum quam Hebræorum, Græcorũ, & quorumlibet aliorum idiomatum: vt notant Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei, cap. 11. Vazquez 1. p. tom. 1. q. 1. art. 10. disp. 18. n. 1. & 2. Salmeron tom. 1. Prolog. 9. Cano lib. 2. cap. 13. Gravina Catholic. Prælectiones. tom. 2. lib. 4. pag. 379. & alij.

Digitized by Google QVÆ-

QVÆSTIO LXII.

Cur Vulgatam nostram Editionem cunctis alijs Editionibus, cuiuscumque sint idiomatis, Tridentinum Concilium ita prætulerit?

611 INdubitatum est, Tridētinam Synodū habuisse rationem aliquam specialem, vel plures ad anteponendam Vulgatam istam versionem Latinam cæteris omnibus cuiuslibet fuerint idiomatis: Canus lib. 2. de locis, cap. 13; & Bellarminus lib. 2. cap. 10. nonnullas assignant, quæ revera efficaciores sunt ad suadendos Catholicos humiles, & modestos, quam ad revincendos hæreticos pertinaces, & protervos: vt ipsi advertunt. Et ipse Cano lib. 12. cap. 5. pag. mihi 406. col. 2. ridet plures familiæ suæ, qui in eo vehementer laborant, vt D. Thomæ rationes, quas ad explicandam fidem cōgruentes ille adfert, proinde, ac si essent demonstrationes certæ, atque perspicuæ, defendant: & pro illis non aliter pugnent, ac pro aris, & focis. Idem Melchior Cano dict. lib. 12. cap. 15. pag. 514. notat ex Arist. 1. Ethic. stultum esse, æqualem in omnibus certitudinem, & evidentiā exigere: & quidem prudentissime.

612 Prima ergo ratio congruētiæ est huiusmodi. Decuit, & maximè opportuit, quod Ecclesia Catholica, Apostolica Romana, vel Latina haberet versionem Latinam publica auctoritate fulcitam, & ornatam: quæ esset omnium optima. Sed huiusmodi est hæc Vulgata nostra. Ergo decuit, & valde opportuit, quod hanc haberet Ecclesia Catholica Romana Latina, & quod eam cæteris antepo-neret;

613 Secunda. Versio ista Latina est omnium Latinarum, quæ extant, antiquissima: ab Auctore optimo, doctissimo, linguis, Græca, Hebraica, & Latina peritissimo, diligentissimo, fidelissimo, & omnibus virtutibus ornatissimo cōfecta: à magnis, & multis viris doctissimis iam pridem vsitata, laudata, expositа: Sola præ cæteris omnibus, aliquot sæculis ante Tridentinam Synodum recepta, & approbata. Rectissime igitur versionem istam nostram Vulgatam Tridentinum Concilium cunctis alijs versionibus prætulit: & eam authenticam, & Canonicam definivit, & approbavit.

614 Tertia ratio congruentiæ est. Si qua fidei, & morum quæstio exoriebatur inter Catholicos Latinos à tempore Divi Hieronymi vsque ad Tridentinum Concilium (exortæ

Digitized by Google

tæ sunt autem plurimæ) ea definiri solebat in Ecclesia Latina per Latinam hanc Hieronymi Veterem Editionem: cuius si aliquod testimonium alteram quæstionis partem exprimebat, indicabat, aut confirmabat, eam cuncti fideles Latini amplectebantur, retinebant, & vsurpabant. Si autem ex adverso condemnabat, reijciebat, vel reprobabat Latina hæc vetus versio: eam similiter cõdemnabat, reijciebat, reprobabatque eadem Latina Ecclesia. Et in similibus dubijs, quando collatis vndique coniecturis, non poterat evidẽter comperi, aut sciri, vbinam Scriptorum, vel Librariorum error reperiebatur, & inerat: an in Vulgata ista Hieronymi Veteri versione: vel in aliqua alia Latina, Hebræa, vel Græca: eadem Latina Ecclesia, cunctique illius fideles iudicabant, potius standum esse huic Vulgatæ veteri Latinæ Editioni, quam cuilibet alteri. Quod totum constat ex præfatione decreti Concilij Tridentini dicta Sess. 4. n. 182. relata. Rectissimè igitur Vulgatam veterem Hieronymianam, & Latinam istam versionem cunctis alijs Editionibus, cuiuslibet fuerint idiomatis, Sacrosancta Tridentina Synodus prætulit, & antepossuit.

615 Quam congruentiæ rationem (evidentes enim, & demonstrativæ imprudẽter exigentur) multipliciter possumus confirmare. Et primo sic. Vel Vulgata ista Latina Hieronymi versio continebat aliquid falsum in expectantibus ad fidem, & mores. Vel ex adverso verum erat, quod illa nos docebat? Si hoc posterius: habemus intentum: & Synodus Tridentina rectissimè decrevit, tanquam quę ex speciali Spiritus Sancti gratia, & assistentia regebatur. Si prius: ergo iam Ecclesia Latina, Apostolica, Romana, cuncti eius Doctores, & Scholastici graviter errassent, omnibus præcedentibus sæculis in pertinentibus ad fidem, & mores: quando quidem eadem veteri Vulgata Latina versione vsi sunt ex num. 527. 531. & alibi, tam in officijs Divinis, quam in disputationibus cum Hæreticis: in refellendis eorum erroribus: in confirmandis fidei Catholicæ dogmatibus: & ad Hebræas, Græcas, & Syriacas, Chaldaicas, vel alias Latinas versiones non recurrebant. Immo paucissimi Sancti Patres Latini Hebraicam, & Græcam linguas sciebant.

616 Secũ lõ. Hæreticæ pravitatis Inquisitores (de quorum numero fuit Sãctissimus Parens, & Patriarcha noster Ioannes de Matha, dignissimus fundator Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, vt eius Historici referunt) in re-

Digitized by Google

refellendis, atque castigandis Hæreticis hac sola Latina versione Vulgata: non vero alia Latina, Græca, aut Hebræa vtebantur. Ergo ne dicamus, omnes illos errasse, firmiter tenẽdum est, quidquid Vulgata ista Latina tradit, verum esse. Merito ergo Tridentina Synodus eam cæteris prætulit. Alioquin sibi metipsi, vniversæ Latinæ Ecclesiæ, huius Doctoribus, & Scholasticis auctoritatem in reliquis omnibus, & in his etiam proponendis, penitus adimeret, eam infringeret, infirmaret, enervaret. Quandoquidem inde efficax argumentum efformare, & deducere possent Hæretici, ad probandum, eamdem Latinam, & Romanam Ecclesiam in reliquis similiter errare potuisse. Vide supra quæst. 30. à num. 291. vsque ad n. 304.

QVÆSTIO LXIII.

Quam Vulgatam Veterem Hieronymi versionem Latinam cæteris Tridentina Synodus ita prætulerit?

617 POst Divum Hieronymum multi fuerunt Codices, & isti varij, ob transcribentium imperitiam, fragilitatem, vel malitiã multa menda irrepserunt in illos. Quæritur ergo: quos Latinos Hieronymi Codices ipsius versionis Sacrosancta Tridentina Synodus cæteris prætulerit? Respondeo, dicendum, quod Tridentina Synodus prætulit versionem nostram Latinã emendatam, & correctam. Ita communiter Scholastici, & Interpretes, præsertim Salmeron prolog. 3. in 2. disp. de vulgat. Edit. & Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei, cap. 11. Colligitur clarissime ex præfat. dicta Sess. 4. ad hæc verba: *Vt hæc deinceps quã emendatissimè imprimatur.* De correcta enim, & non de alia Hieronymi Editione loquitur Tridentinum Conciliũ. Hanc ergo cæteris prætulit.

QVÆSTIO LXIV.

An Vulgata nostra versio hactenus fuerit mendosa?

618 DVplex mendorũ genus in aliqua versione reperiri valet. Potest enim versor ipse errare, & mendum committere: vel quia sensum, & sententiam sermonis, quem vertit, non rectè reddit. Vel quia Librarius, seu Scriptor accuratè, diligenterque non scribit, quod erat scriptum in originali versoris codice, autographo, vel exemplari alio correcto. Et vtroque modo error contingere potest, vel ex imperitia, vel ex fragilitate, vel ex malitia.

Ex

Digitized by Google

619 Ex dictis à num. 592. Vulgata nostra versio prorsus immunis, & libera fuit ab omni errore, & mendo prioris generis. Nihilominus menda, & errores posteriores generis sensim post Divi Hieronymi tempora, immò, adhuc ipso vivente, in aliquos textus irrepserunt. Quod patet ex præfatione in Psalterium, quæ incipit: *Psalterium Romæ*. Nec mirum. Si enim Hebræus, & Græcus textus, tractatu temporis, vitiati sunt ex dictis à num. 440. Quid ni & Latinus? Quæ ab humano studio, cura, & diligentia pendent; mendis, & erroribus obnoxia remanent.

620 Quare indubitatum esse debet, Vulgatam nostram Latinam versionem cum mendis quibusdam hactenus fuisse semper impressam. Ideo Tridentinum Concilium dicta Sess. 4. decernit: *Ut post hac Vetus, & Vulgata Editio quàm emendatissime imprimatur*. Certum est autem, errorem præcessisse, ubi emendatio subsequuta est. Huiusmodi autem menda fuerunt physica. Quia textus ipse Latinus moraliter semper fuit purus, & incorruptus ex speciali Dei providentia, iuxta dicta n. 444. & 456. & errores, qui sensim introducebantur: per industriam, & diligentiam piorum, & sapientium hominum statim corrigebantur ex alijs codicibus, sive Latinis, sive Hebræis, sive Græcis. Ideò ait Gregorius de Valentia lib. 8. de Analyt. c. 5. punct. 4. ad 1. *Libros aliquos* (versionis nostræ Vulgatæ) *errare posse, sed ut omnes omnino errarent, fieri nequaquam potuisse, Divina nimirum providentia propter Ecclesiæ bonum, id prohibente*. Quare moraliter semper fuit emendata, immò emendatissima. Vide supra n. 444.

QVÆSTIO LXV.

An Tridentina Synodus prætulerit versionem nostram Vulgatam Hebræis, Græcisque fontibus?

621 PRima sententia est affirmativa. Eam tenent ex Catholicis Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 21. q. 7. Valentia lib. 8. Analyt. c. 5. Canus de locis lib. 2. cap. 13. & 15. Ex Hæreticis Calvinus, & alij ipsius sequaces.

622 Secunda est negativa. Quam tenent Serarius c. 19. q. 12. Antonius à Matre Dei, prælud. 2. num. 99. & alij, quibus libenter subscribimus. Et dicimus cum Salmerone prolog. 33. ferè in principio, quod Tridentina Synodus solis Latinis alijs (quæ circunferuntur) versionibus prætulit Vulgatam nostram Latinam versionem: non autem fontibus Hebræis, & Græcis lim-

Digitized by Google

limpidissimis, & purissimis, quorum nullâ fecit mentionē. Legatur decreti præfatio. Ex cuius verbis, & scopo evidenter colligitur nostra resolutio.

623 Ferè innumerabiles Latinæ versiones in vniversa Ecclesia circunferebantur ex ex num. 527. Ex quarum vsu gravia resultabant incommoda. Vt ergo publicæ consuleretur quieti, concordiæ, & vtilitati: lege cautum est, vt ex omnibus Latinis, quæ circunferebantur, sola ista Vulgata pro authentica, & Canonica haberetur. Notanda sunt verba illa decreti: *Latinis, quæ circunferuntur.* Vbi nulla fit mentio de Hebraicis, & Græcis. Non ergo his, sed illis dumtaxat versionem nostram Vulgatam Tridentina prætulit Synodus. Et sat, superque fuit huiusmodi prælatio, qua inter Latinas omnes ista declararetur pro optima. Quin fieret comparatio cum fontibus Hebræis, & Græcis, sinceris quidem, limpidissimis, & nullo modo vitiatis. Quibus nullatenus prælata est, aut potuit præferri vulgata nostra Latina versio. Antonius à Matre Dei, prælud. 2. num. 99.

(?)

****
****
****

QVÆSTIO LXVI.

An ex vi Synodi Tridentinæ Vulgata nostra Latina Editio sit magis authentica, & Canonica, quam Hebraica, & Græca, & quævis alia pura, & sincera?

624 Dvpliciter potest esse aliquis liber Canonicus, vel in se, vel quoad nos, ex num. 282. & alibi. Qua præmissa distinctione dico primò. Latina nostra versio in se, & quoad se non est magis authentica, & Canonica, quam fontalis pura Hebræa, & Græca. Constat ex dictis: & amplius constabit ex dicendis.

625 Dico secundò. Latina nostra versio in quibusdam casibus magis authentica, & Canonica est quoad nos, quam Hebræa, Græcaque adhuc fontalis, & pura. Casus iste difficilis est, possibilis tamen. Finge, oriri dubium aliquod circa sententiam aliquam: an videlicet textus Latinus, Hebræus, vel Græcus Novi testamenti, vel Septuaginta Interpretum veteris sit erroneus: & quod ex nullo capite nobis constare possit, in quonam textu sit error. In hoc eventu textus Latinus magis authenticus foret, quoad nos, quam Hebræus, & Græcus. Quia maiorem fidem ille faceret

Digitized by Google

fet quoad nos, quam isti. Et magis authenticum in litibus, & controversijs dicitur illud, quod magis publicam facit fidem. Vt constat ex L. *Sancimus, C. de diversis transcrip.* ex Covarru. in practic. quæst. cap. 29. & alijs. Vide supra num. 466.

626 Vtraque conclusio explicatur, & confirmatur. Latina nostra Editio Vulgata ante Concilij Tridentini definitionem, & decretum erat Canonica, & authentica quoad se. *Canonica.* Quia per specialem Dei assistentiam confecta. *Authentica.* Quia suo originali erat cõformis, & illa semper vsi fuerunt Sancti Patres Latinæ Ecclesiæ, & eam summè semper venerati sunt: vt constat ex illa clausula: *Quæ longo tot sæculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est.* Vide supr. num. 609. Idem ergo dicendum de Editionibus fontalibus puris Hebraicis, & Græcis. Quoad nos autem aliter se res habet in casu raro superius explicato.

627 Quare Editiones, tam Latina, quam Hebraica, & Græca in sua puritate consideratæ sunt in se authenticæ, & Canonicæ. Nec versio Latina ex vi decreti Tridentinæ Synodi abrogavit, aut velut non authenticas declaravit versiones Græcas, & Hebræas puras. Sed omnes sunt Canonicæ, & authenticæ, Latina nostra, Hebræa, Græca Noui testamenti, & Veteris Septurginta Interpretum.

QVÆSTIO LXVII.

An versionem nostram Latinam Tridentina Synodus prætulerit omnibus alijs Latinis versionibus, quæ fuerunt, sunt, & esse possunt?

628 REspondeo negativè. Ita Bellarm. lib. 2. cap. 11. Salmeron prolog. 3. §. *Quartum est*, pag. mihi 24. colun. 2. Cano de locis lib. 2. cap. 15. Gravina tom. 1. Catholic. præscript. lib. 4. controv. 10. pag. 378. & communiter omnes Scholastici, & Interpretes, qui generaliter dicunt, aliqua Scripturæ sacræ loca magis clare, & proprie, ac significanter verti, ac transferri potuisse, quam vt nunc habentur in nostra Vulgata versione Latina. Pluribus exemplis demonstrari solet conclusio nostra, quæ apud Interpretes videri poterunt. Vnum dumtaxat referam. Genes. 1. v. 2. dicitur: *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Apertius tamen, strictius, & significantius fuisset translatus textus Hebræus *Merachepheth*: si versor dixisset: *Spiritus Dei confovebat aquas.* Quia per dictã Hebræam vocem significatur quod Spiritus Sanctus impressit elemento aquarum quamdam specialem vir-

Digitized by Google

virtutem, qua fœcundarèntur, ad generandos piſces, & volucres, haud ſecus ac Gallina calore ſuo fovet ova, ad gignendos pullos; eoſque animandos.

629 Ex quo exemplo; vt alia prætermittam, liquido conſtat, Vulgatam noſtram Latinã verſionem potuiſſe eſſe magis lucidam, accuratam, ſignificativam, propriam, & emphaticã, quam de facto eſt. Licet ſit etiã de facto talis, qualis debuit eſſe, inſpecta providentia Divina, quæ de facto datur. Quare congruentiſsimũ fuit, quod pro authentica declararetur à Tridentina Synodo dicta Seſſ. 4. & quod in aliam magis accuratam, claram, ſignificativam, & emphaticam nõ fuerit mutata. Quemadmodum certiſsimum eſt, quod potuit Deus producere mundum perfectiorem, & perfectiorem in infinitum iſto, quem de facto produxit: attendendo ad infinitam Dei Omnipotentiam, & aliorum mundorum poſsibilitatem. Quia, vt optimè convincit N.P.Fr. Emmanuel à Cõceptione in ſuo Curſu Philoſophico Trinitario tom. 2. à num. 2052. nulla creatura poteſt à Deo produci ita perfecta, vt alia perfectior produci nequeat. Et eſt expreſſa ſententia Divi Thomæ 1.p. q.25. art. 6. in corp. & ad 1. Et tamen nõ debuit Deus Optimus Maximus talem mundum perfectorem producere. Et ſat, ſuperque fuit, quod iſtum condiderit, quod omnia, quæ fecit, ſint bona, eſto non ſint optima, quæ eſſe poſſent: aut talia, quibus meliora, & meliora in infinitum facere non valeret.

630 Ad hæc: Abſdubio Scripturæ ipſæ ſacræ originales potuerunt eſſe clariores, & accuratiores, quam de facto fuerunt: vt conſtabit ex dicendis à num. 953. & nihilominus nemo cordatus, & prudens dicere audebit, eas non fuiſſe bonas, & tales, quales oportebat eſſe, vt à num. 140. dictum eſt. Idem ergo de noſtra Latina verſione Vulgata aſſerendum eſt. Iſta enim in ſe eſt bona, & optima omnium Latinarum, & non Latinarum, quæ hactenus extiterunt: cunctis illis verior, fidelior, purior, accuratior. Authẽtica, & Canonica, vt ſupra habitum eſt, num. 609. & 626: quantumvis in quibuſdam locis clarior, & accuratior eſſe poſsit, & quæ talis ſit, confici valeat, Hieronymus, Vulgatus Interpres, ex Divina providentia ſpeciali, vel de induſtria, quibuſdam in locis obſcuris, & ſpinoſis non adeo clare; & expreſsè loquutus eſt, duplici de cauſa. Prima fuit, vt Interpretes liberè eligere poſſent vnum è multis ſenſibus, qui in originalibus Hebraicis, & Græcis continẽtur. Secunda cauſa fuit,

Digitized by Google

vt

vt studiosi alliceremur ad discēdas linguas primigenias, Hebræam nimirum, & Græcam, in quibus tota ferè Scriptura primò scripta est, ex num. 317. & 319. & per recursum ad easdem primigenias linguas, certiorem, & clariorem Scripturæ sacræ sensum assequi possemus. Sensus enim melius, & significantius exprimitur in primigenijs linguis, quam in alienis, in quas illæ vertuntur. Et quælibet verba in alienam linguam translata plurimum solent amittere de ingenito sibi succo, splendore, vi, & varietate: vt notant Genebrardus in præfat. ad Psalm. & ex illo Lyncæus tract. 7. num. 98.

631 Insuper nulla potest inveniri repugnātia in eo, quod existat alius Doctor, & versor, corrector, & recognitor, qui sit doctior, linguarum peritior, diligentior, sanctior, Deo gratior, atque devotior Divo Hieronymo, quantumvis ipse tantus fuerit Doctor, totque ornatus dotibus. Quia non est abreviata manus Domini, vt ait Isaias, cap. 59. v. 1. Potest ergo fieri alia versio melior.

QVÆSTIO LXVIII.

An aliqua Latina versio melior, quam nostra Vulgata, aliquando futura sit in rerum natura?

632 Respondeo, rem esse valde incertam. Et cum Amos c. 7. v. 14. dicere posſū: *Non sum Propheta, nec filius Prophetæ.* Si ex præteritis coniectare liceret nobis: vtrumque dicere possemus. Itala enim editio num. 527. relata, ante Hieronymum, & ab ipso Hieronymo adeò fuit laudata, vt fortè tunc temporis nemo dicere auderet, forè aliam meliorem. Aliunde, cum per mille, & ducentos annos, & amplius hæc Vulgata nostra floruerit in vniversa Ecclesia Latina, nec fuerit commutata cum alia: videtur, quod nunquam commutabitur.

QVÆSTIO LXIX.

Quando, & quomodo Vulgata nostra Editio recognita, correcta, & Edita fuerit ex præscripto Tridentinæ Synodi?

633 Sacrosancta Synodus Tridentina Decretum edidit de emēdatione versionis nostræ Latinæ, & Vulgatæ, vt constat ex illis verbis: *Vt post hac Vetus, & Vulgata Editio quam emendatissime imprimatur.* Apostolicæ Sedi incumbit, vt quantotius executioni mandentur: quæ in Concilijs Generalibus decernuntur. Pius IV. omnium primus institutum hoc incœpit: quod Pius V. & Sixtus V. pro-

Digitized by Google

prosequuti sunt. Viris doctissimis, sacrarum litterarum, & variarum linguarũ peritissimis provintia ista demandata fuit. Codices vetustissimi, & manu scripti vbique terrarum fuerunt conquisiti, recogniti, & revisi, & Romam adducti. Fontes Hebraici, & Græci, & Sancti Patres fuerunt consulti. Et tandem anno 1592. iussu Clementis VIII. Editio ista Vulgata Latina, qua vtitur Ecclesia Apostolica Romana, cunctis omnibus correctior, & emẽdatior prodijt in lucem.

QVÆSTIO LXX.

An à nemine possit deinceps vllum mendum in Vulgata nostra Latina Editione notari, & emendari?

634 REspondeo negativè. Quæ negativa responsio simul explicatur, & probatur. Generalis Tridentina Synodus eo præcipue fine congregata est, vt prouideret, ne Catholica Ecclesia deinceps vllũ pateretur detrimentum ex sectis Lutheranorũ, Calvinistarum, Anabaptistarũ, Zuinglianorum, & aliorum Sectariorum (quorũ fecimus mẽtionẽ à n. 201. qui circa Scripturam sacram duos pernicio-sissimos introduxerunt errores. Quorum prior est. Quosdam sacros libros à Canone expungebant, V.G. libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorũ. Secundus error erat. Alios integros libros admittebant, non tamen, quales in Latina Vulgata Editione nostra habentur; sed prout in Hebraicis hodiernis codicibus, aut voluminibus reperiuntur. In quibus plures desunt partes, quæ in eadem nostra Vulgata supplentur. Quas omnes partes Hæretici Recentiores supprimunt in versionibus, tum Latinis, tum vernaculis, quibus vtuntur.

635 Vtrique errori prouidit Tridentinum Concilium in sæpè repetito decreto. Et insuper animadvertit, nullũ prorsus esse Bibliorum Latinorum exemplar, quod ab omnibus mendis, & erroribus esset immune. Tempore, & sæculo ipsius Tridentini Concilij prodijt in lucem Platiniana Scripturæ sacræ Editio, præ cæteris, quæ ad illud vsque tempus Editæ sunt, emendatissima.

636 Post idem Tridentinum Concilium, anno 1589. iussu Sixti V. prodijt in lucem alia Editio castigatior, & emendatior, quam Platiniana, quæ nonnullis scatebat mendis. Sed nec ista Sixti Editio ab omnibus mendis fuit omnino libera, & immunis.

Et

Digitized by Google

637 Et quia Sixtus V. successoribus suis non abstulit facultatem corrigendi Biblia, & alia magis correcta edendi in lucem. Tandem iussu Clementis VIII prodijt alia Editio magis castigata, & emandata anno 1592. vt num. 633. annotavimus. Quærimus nunc, an in ista vltima, & Clementina Editione mendum aliquod deinceps notari, & emendari possit? Vtrum, si alterius Summi Pontificis correctio, & auctoritas accederet, ista Clementina Editio perfectior evadere posset?

638 Franciscus Lucas, vir Doctissimus, in quodam libello collegit quatuor mille, & amplius loca, quæ in Biblijs à Clemente VIII. emendatis anno 1592. adhuc corrigi possēt, & melioriari. Quod colligit ex præfatione, in qua dicitur: *Hanc Editionem pro humana infirmitate omnibus numeris absolutam, difficile esse affirmare.* Vide Cabassutium in notitia Conciliorum cap. 97.

639 His non obstantibus ex num. 444. 456. & 620. Deus nunquam permisit, aut permissurus est, quod Biblia sacra, quibus sua Ecclesia publicè vtitur, talibus fœdentur erroribus, qui fidei Divinæ, morumque sanctitati adversentur. Cum hoc pertineat ad specialem Dei providentiam erga suā Ecclesiam. Si qui autem errores à Francisco Luca animadversi sunt, erunt de numero eorum, quos quæst. sequenti annotabimus.

QVÆSTIO LXXI.

An in Vulgata nostra Editione sint aliqui errores ex incuria Typographorum.

640 REspondeo affirmativè. Addo tamen nō esse tot errores adhuc ex iniuria Typographorū, & Librariorum, quot mentiuntur Calvinus in antidoto Trident. Sess. 4. & alij ipsius sequaces ad hæc verba: Qui linguas tenent, hanc interpretationem deprehendunt: infinitis erratis scatere, idq; apertissimis planū faciunt demonstationibus ::: Adeo nulla est integra pagina, vt vix tres sint continuati versus non insigni aliquo errore fœdati. Hactenus Hæresiarcha iste. Vide Bellarminum controvers. 1. lib. 2. de Verb. Dei, cap. 12. 13. & 14. Gravinam de Præscript. Catholic tom. 2. lib. 4. controvers. 10. generali, & prima speciali artic. 3. licet singulis, qui ab Hæreticis obijciuntur, nullo negotio respondere possemus. Quia tamen id valde prolixum foret, & nos brevitati studemus: &

Digitized by Google

omnia persequi, esset operis infiniti: vnum, vel alterum dumtaxat proponemus, eique respondebimus: vt vel hinc facile detur intelligi, quam immerito audeant dicere Novatores: Vulgatam nostram innumeris scatere mendis, & erroribus: vt hinc persuadeant, eam moraliter iam periisse: & non esse authenticam, & Canonicam: neque illi fidem vllã habendam.

641 Arguunt ergo sic: Genes. 3. v. 15. legimus nos: *Ipsa conteret caput tuum*: ad defendendam Mariæ Virginis invocationem, patrocinium, & intercessionem. Legi autem debebat: *Ipsum* (inquit Hæreticus Kemnitius) quia pro nomen istud: *Ipsum* (eo quod *conteret* est nomen masculini generis in Hebræa lingua) referri debebat ad *semen*, quod in eadem Hebræa lingua est etiam generis masculini, non autem ad *mulierem*, quæ est fœmenini.

642 Huic argumento multipliciter respondent Interpretes, & Sancti Patres. Hieronymus tom. 2. de optimo genere intepretandi epist. 101. cap. 2. dicit, versionem omnem, in qua originalis textus exprimitur sensus, esse optimã, estò alijs exprimatur verbis. *Nec verbo reddere curabit fidus Interpres*: (ait ille) *sed sententias, & sensus transferre studebit*. Nec plura de his. Videantur Interpretes, & præsertim Bellarminus loco citato, Lyncæus tract. 7. num. 51. & alij.

QVÆSTIO LXXII.

An Vulgata nostra versio Latina ex D. Hieronymi, vel Interpretum ignorantia, vel incuria, sit falsa, & erronea, saltim quoad aliquod verbum?

643 Affirmativam sententiam tenere videntur adhuc post Sacrosanctum Tridentinum Cõcilium Andreas de Vega (qui eidem interfuit Concilio) Bellarminus lib. 2. cap. 11. Payva, Serarius, Sixtus Senensis, & Medina, quos refert Antonius à Matre Dei, prælud. 2. num. 102. Qui nullum reputant esse absurdum, aut inconveniens in eo, quod dicatur, etiamnum in nostra Vulgata Div. Hieronymi versione Latina, eiusdem Hieronymi, aut transferentium culpa, reperiri, & extare aliquos leves errores, & falsitates. Addunt tamen, nullum, nullum in ea extare errorem pernicios um, & gravem: nihil contra fidem Catholicam, vel bonos mores: nihil, ex quo detur occasio erroribus nocivis, Hæresibus, aut sectis pravis.

Sci

Digitized by Google

tionis, esse corruptum: & numerum minorem, prætermisso maiori, extare. Cum enim textus dicturus esset: *Filius viginti, & vnius anni erat Saul*: dixit: *Filius vnius anni, &c.*

663 Cantepetrensis lib. 8. hypothec. cap. 8. & alij dicunt, in Vulgata nostra post illam vocem: *Filius*: ante illam aliam: *vnius*: sub intelligi debere istas: *viginti, &*. Quia ex cap. 1. Numer. v. 3. nemo ad bellum eligebatur ex Israelitis, nisi à vigesimo anno, & sursum. Saul autem ad bellum gerendũ electus fuit. Quare loc. citat. 1. Reg. cap. 13. v. 1. licet hoc non exprimatur, subauditur.

664 Vtraque solutio ferè in idem recidit. Et facilius est dicere, Canum non rectè cecinisse, sed excessisse: quam tot Codices corruptos esse, vt notat Lynceus tract. 5. hic num. 56. Præterquamquod ex dictis, eius assertum esse erroneum, liquet. Quandoquidem Isboseth habebat viginti duos annos: & non tantum viginti vnum, quãdo eius Pater regnare cœpit. Etsi tunc temporis Saul habebat viginti annos: sequitur, quod Saul, duobus tantum annis filium suum superaverit, & quod infans duorum annorum filium genuerit. Quo quid incredibilius? Quid absurdius? Nihil profecto. Qui enim Scripturas sacras hoc pacto exponere audet, eas fabulosas esse, aut ad instar fabularum intelligi posse, indicat: vt Machiavellus num. 204. relatus contendebat.

665 Quare melius respondetur, dicendo, sensum illorum verborum esse, quod Saul vnum annum Regni sui, non vero ætatis agebat. Tempus, & locus haud raro Metonymice appellantur Patres eorum, qui in illis oriuntur. Sic veritas dicitur *Filia temporis*: & in Oriẽte nati dicuntur *Filij Orientis*, in textu Hebræo, Iudic. 6. v. 33. vbi Vulgata nostra: *Orientales Populi*. Quod ideo ita contingit; quia locus, & tempus continent causas eorum, qui in illis nascuntur. Verba igitur illa: *Filius vnius anni erat Saul*: hoc pacto sunt constituenda: *Vnum regni sui annum agebat Saul*. Quam constructionem, & expositionem valide confirmat Hebraicus textus, qui talis est: *Filius vnius anni Saul in regnare ipsum.*

666 Similia verba etiam accipi, haud raro, sed æpè pro annis ætatis, non vero pro annis Regni, in Scripturis sacris, pering enuè fatemur. V.G quãdo 2. Reg. cap. 5. v. 4. dicitur: *Filius triginta annorum erat David, cum regnare cœpisset.* Et Ieremiæ cap. 52. v. 1. *Filius viginti, & vnius anni erat Sedechias, cum regnare cœpisset.* Verum enimvero hoc non obstat, quomi-

Digitized by Google

miuus aliquando etiam vsurpẽtur pro annis Regni; non vero ætatis: vel quod in vno loco annos Regni: in alio annos ætatis eadem verba significent. Cum & eadem verba in vno, eodemque loco plures sensus etiam litterales, & à Spiritu Sancto intentos, sæpè habeant, vt suo loco dicetur.

667 Ad aliam partem, & difficultatem eiusdem textus: *Duobus autem annis regnavit super Israel*: quidam respondent consequenter ad dicta n. 658. dicentes, Saulem duobus illis annis summa cum innocentia regnasse, licet postea regnaverit pluribus annis. Quorum responsio manet præoccupata exibidem dictis.

668 Alij dicunt, ly: *Duobus annis*, non ad Saulem, sed ad eius filium Isbosepth referri oportere consequenter ad dicta num. 660. Quæ solutio ex ibidem dictis relinquitur refutata. Ibi enim non agitur de annis, & de historia Isboseth: sed in lib. 2. & nulla datur connexio in sequentibus verbis cum hac interpretatione.

669 Alij sentiunt, revera Saulem duobus tantum annis regnasse, & non amplius. Ita Arias Montanus. Quod aperte opponitur Apostolo Actor. cap. 13. v. 21. dicente: *Et inde postulaverunt Regem: & dedit illis Saul filium Cis, virum de Tribu Beniamin, annis quadraginta.* Bene verum est, Canum, & alios sentire, quod Saul solus regnavit quadraginta istis annis, sine eorum inclusione in annis Samuelis. Alij verò asserunt, istos quadraginta annos inter Saulẽ, & Samuelem dividendos esse, taliter, vt Samuel solus regnaverit viginti duobus annis. Et hanc tenent sententiam Cornelius à Lapide ad istum locum pag. 276. col. 1. Vtcumque tamen res se habeat, plusquam duobus annis regnavit.

670 Alij respondent, Saulem duobus annis legitime regnasse: à Samuele autem Regno privatum, per plures annos tyrannice regnasse. Ita Lyra. Sed verius, & probabilius est, Saulem à prima sui electione vsque ad obitum fuisse verum Regẽ, quem vt talem David semper observavit, & coluit. Ita Suarez adversus Anglic. sect. error. lib. & cap. 3. num. 8. Quam sentẽtiam tenuisse videtur Chrisostomus homil. 1. de Davide, & Saule ad hæc verba: *Nondum Deus abdicavit eum Principatu: nondum fecit eum ex Rege privatum.* Et quamquam, vivente Saule, David à Samuele fuerit inunctus ex 1. Reg. cap 16. v. 13. non ideo fuit verus Rex: sed solum destinatus est, vt Sauli succederet in Regno. Et adhuc gratis admisso, quod Saul privatus fuerit Regia potestate, iux-

Digitized by Google

iuxta illud 1.Reg.cap.15.v.23. *Pro eo, quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.* Nihilominus indubitatum est, antea plusquam duobus annis regnasse, & quidem legitime. Quousque enim David inunctus est, Saul erat legitimus Rex, licet malus, & Tyrannicus. Plusquam duo autem anni elapsi sunt à tempore, in quo Saul vnctus est, vsque ad vnctionem Davidis.

671 Quare dicendum est, illa verba: *Duobus autem annis regnavit super Israel*: ad ista immediata verba: *Et elegit Saul tria millia de Israel*: esse referenda. Quorum omnium sensus est iste: *Saul, vtpote humilis, & modestus, duobus primis Regni sui annis, nullum elegit satellitem, vt cunctorum vitaret invidiam. His duobus elapsis annis, elegit tria millia satellitum.* Ita Cornelius loco citato. Genebrardus in Chron. anno 3106. Barradas, & alij.

672 Arguitur tertiò, ex 3.Reg.cap.6.v.1. vbi sic habetur: Factum est ergo quadringentesimo, & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio (ipse est mensis secundus) Regni Salomonis super Israel, ædificari cœpit domus Domino. Actor. autem 13. v. 19. contrarium dici videtur ad hæc verba: Destruens gentes septem in terra Canaam, sorte distribuit eis terram eorum, & post hæc quasi quadringentos, & quinquaginta annos dedit Iudices, vsque ad Samuelē Prophetā. En ergo vnus Scriptor Sacer ab Israelitarum discessu ex Ægypto, vsque ad quartum annum Regni Salomonis, in quo templum ædificari cœptum fuit, enumerat 480. annos; alter 450. Ergo vnus, vel alter Chronologicū committit errorem.

673 Ad hoc argumentum non est Theologorum, & Interpretum vna, & eadem responsio. Et Sancti Patres, & Historici sunt in varios modos dicendi inter se dispersi. Iosephus lib.8. de antiquit. cap.2. ab exitu Israel de Ægypto, vsque ad templi inchoationē ponit 592. annos. Clemens Alexandrinus lib.1. Stromat. cap. 11. annos 567. & 7. menses. Nizephorus annos 634. Sulpicius 588. Theophylus 602. Cedrenus 672. Philiastrus 713. Serarius, & Cano 680 Beda 490.

674 Omnes isti Auctores supponunt, ex vitio, & culpa Scriptorum sacrorum nullum Chronologicum loc. citat. extare errorem. Canus, & Serarius asserunt, textum nostrum Vulgatum 3.Reg cap.6.v.1. ex incuria, vel imperitia librariorum esse corruptum & pro vero numero, atque sacro, falsum aliquem

Digitized by Google

quem fuisse positum in omnibus, & singulis codicibus, Hebraicis, Græcis, & Latinis, vt num. 662. in simili dictum est.

675 Sed contra ex num. 654. Tum, quia ad specialem Dei providentiam erga Ecclesiam suam pertinet, ne vllus error adhuc Chronologicus in Scripturis sactis inveniatur. Cum nulla sit res, quæ maximi ponderis haberi non debeat. Tum, quia semel atque omnes sacri Codices, vel in vno solum numero essent defectuosi, & erronei in supputatione Chronologica, nulla fides haberetur eisdem codicibus in alijs locis. Et vnusquisque pro libito suo dicere posset, hos, vel illos esse errori obnoxios.

676 Alij dicunt, lib. 3. Reg. cap. 6. annos illos non cõputari ab exitu Israel de Ægypto, vsque ad inchoationem tẽpli, sed dumtaxat eos, in quibus Israeliticus Populus regebatur per Iudices, & Reges: & hos annos fuisse 480. Addunt, cum hoc optimè componi, quod præter istos 480. annos, alij, vel servitutum, vel interregnorum annumerentur: & quod omnes simul sumpti, maiorem, quam 480. annorum compleant numerum.

677 Sed contra: Solutio ista videtur manifestè opponi litteræ: in qua omnes omnino anni 480. ab exitu Israel de Ægypto, vsque ad ædificationẽ templi referuntur.

678 Quare respondeo, in illis 480. annis reliquos omnes tam interregnorum, quam servitutum includi: & numerum 480. ex omnibus componi. In cap. autem 13. Actuum Apost. illi 450. supputantur à nativitate Isaac vsque ad divisionem terræ Promissionis per Iosue factam. Ab ortu Isaac vsque ad exitum Israelitici Populi de Ægypto elapsi sunt 405. anni. Populus ipse Israeliticus peregrinatus fuit per desertum 40. annis. Quinque annos cõsumpsit Iosue in debellandis hostibus, & in distribuenda terra Promissionis. En ergo 450. anni. Quare optimè cohærent textus prædicti: nec vllus Chronologicus ibi existit error. Alias Chronologicas poteram proponere, & resolvere difficultates. Istæ sunt celebriores: quibus contentus sum.

QVÆSTIO LXXIV.

An Vulgatæ nostræ Latinæ Editioni iam correctæ mendacium, error, vel falsitas simpliciter, & absolutè sub esse possit?

679 QVæstio ista in re, & quoad substantiam coincidit cũ septem sequentibus. Quarum prima

Digitized by Google

644 Secunda sententia est negativa. Quam expressè tenent Eximius Doctor P. Franciscus Suarez de fide, disp. 5. sect. 3. num. 10. Valentia lib. 8. Analys. cap. 5. Gravina Catholic. Præscript. tom. 2. lib. 4. controv. 10. General. & 2. speciali; art. 3. & alij plures. Qui omnes generaliter docent, dictam Vulgatam Editionem nostram Latinam, ex ipsius Hieronymi, Interpretumve incuria, vitio, vel ignorantia, quoad nullum, nullum verbum esse falsam; sed potius omnino, & prorsus liberam, & immunem cunctis erroribus, non tantum substantialibus, essentialibus, aut gravibus, ad fidem moresque bonos pertinentibus, sed quibuslibet alijs, quantumcumque levibus: quin adhuc in minimo ita à verò deviaverit.

645 Hanc secundam sententiam veriorem, & probabiliorem, magis piam, & communem existimamus, & eam pro conclusione statuimus. Probatur primo ex ipso Concilij Tridentini decreto: vbi post enumeratos sigillatim omnes, & singulos Scripturæ sacræ libros sic habetur: si quis autem libros ipsos integros cum suis omnibus partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri Vulgata lectione habentur, pro sacris, & Canonicis nō susceperit, anathema sit. Hactenus ibi. Vide supra num. 182.

646 Ex quibus verbis liquido constat, omnes, & singulas Vulgatæ Latinæ Editionis particulas esse authenticas, & Canonicas: ex vitio Hieronymi, vel Interpretum, nullum in ea extare verbum, quod minus vere, aut fideliter reddat sensum in Hebraico, & Græco textu à Spiritu Sancto expressum: Hic enim, & non alius, est germanus, legitimus, & genuinus sensus eorum verborum: *Cum suis omnibus partibus*.

647 Probatur secundò: Si quis error, falsitas, vel defectus, etiam levissimus, vel quoad vnam vocem, vel clausulam in re parvi momenti versantem, vitio Hieronymi, in Vulgata Latina Editione nostra extaret: inde facilè caperent Hæretici occasionem, ad dicendum, eam non fuisse confectam per specialem Dei assistentiam, & gratiam. Et hinc illico inferrent, illam non esse authenticam, infallibilem, & Divinam. Et insuper ex his deducerent, in eadē Vulgata Editione nostra esse posse errores præter, aut contra sensum à Spiritu S. intentum in rebus ad fidem, & mores expectantibus. Ne ergo huiusmodi occasio præbeatur Hæreticis, dicendum est, nullam inesse falsitatem, adhuc levem, & in re parvi momenti (si quæ est ibi) ex vitio Interpretis.

648 Doctrinam prædictam valide confirmat Eminentissimorum Cardinalium declaratio die 17. Ianuarij anno 1576. cuius meminit Suarez disput. 5. de fid. sect. 3. num. 10. & est tenoris sequentis: *Nec solam periodum, solam clausulam, vel solam dictionem, aut syllabam, jotave vnum admitte posse, quod repugnet huic Vulgatæ Editioni.* Hactenus ibi. Et Cardinales ipsi acriter reprehendunt Vegam, qui in hac materia liberius, quam par erat, loquutus est. Dumtaxat ergo Typographorum defectus ibi admitti possunt. Quod nihil interest Ecclesiæ. Reliqui omnes sunt negandi.

649 Antonius à Matre Dei, prælud. 2. num. 104. quæstionem istam cum M. Bañez, & huius verbis, indecisam relinquit. In re tam gravi (ait ille) expectanda est Ecclesiæ Catholicæ censura, vnde nec audeo, nec debeo Ecclesiæ iudicium mea sententia prævenire. Scio sane, si ab Ecclesia interrogarer, quid viva voce responderem; interim tamen pio, & iusto silentio me contineo. Sic ille.

(?)

****
*****

QVÆSTIO LXXIII.

An in Vulgata nostra Editione Latina inveniantur Chronologici errores?

650 IN Scriptura sacra nec dum reperiuntur fidei nostræ Mysteria, Prophetiæ, morum doctrinæ, historiæ, sive res gestæ: sed etiã rationes temporum, in quibus, & per quas personas illæ gestæ fuerunt, & numeri Chronologici. Quærimus ergo: an in Vulgata Editione nostra errores aliqui Chronologici reperiantur? Vtrum ipsa quoad Chronologicos numeros falsa sit?

651 Eloquentissimus Melchior Cano lib. 11. de locis, cap. 5. pag. mihi 350 col. 1. affirmativam partem tenere videtur in responsione ad 12. argumentum, quod cap. 3. proposuit. Supponit numerorum quæstiones esse lubricas, tetricas, & talebrosas, & ideo errorem in numeris adhuc in ipsis Scripturis sacris, promptissimum, facillimumque esse. Addit, huiusmodi quæstiones chronologicas non esse fidei, aut Religionis: V. G. illam: Num anni, qui transierunt ab exitu Israel de Ægypto ad templi ædificationem, fuerint 480. Vide illum pag. 355.

Digitized by Google Emi-

652 Eminentissimus Cajetanus ab eodem Cano relatus pag. 452. loc. cit. solita libertate ait, Græca omnia exemplaria, & Latina circa prædictam quæstionem esse corrupta, & vitiata. Tali, tantaque libertate loquuntur isti Auctores, & eo forsitam, quod Chronologicos Scripturæ sacræ errores nullius, vel parvi esse momenti iudicent.

653 Communis Scholasticorum, & Interpretum sententia est negativa. Quam pro cõclusione statuimus. Probatur primo ex dictis n. 117. & 118. & 129. Quia semel atque Vulgata nostra Editio Latina quoad Chronologiam falsa, & erronea esse posit, præsertim vitio Scriptoris sacri, aut Interpretis, de ipsius veritate in reliquis omnibus merito timeri posset. Corrueret ergo tota illius auctoritas, dignitas, aut certitudo.

654 Confirmatur In Vulgata Editione nostra nihil est, quod parvi momenti sit. Et gratis permisso, quod esset aliquid huius generis, certè Chronologici illius numeri inter res parvi ponderis non sunt annumerandi. Quia ab illis valde dependent sacræ Historiæ ordo, & concentus. Ergo nullus huiusmodi error Chronologicus est in illa.

655 Arguitur primò. Genes. cap. 15. v. 13. dicitur, commorationem, vel servitutem filiorum, & posteriorum Abrahæ in Ægypto fuisse quadringentorum annorum. Ad Galat. 3. v. 17. dicitur, fuisse quadringentorum, & triginta annorum. Ergo numerus annorum, quem Genesis definit, aut quem Paulus assignat, falsus est. Et Scriptura sacra, vel Latina nostra Editio Vulgata, vel hic, vel ibi, erronea est: & sibi contraria.

656 Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Quia quadringenti Genesis anni numerandi sunt ab ortu Isaac. Augustinus quæst. 47. in Exod. Quadringenti autem, & triginta anni Epistolæ ad Galatas numerandi sunt à promissione facta Abrahæ. Quare vtrumque est verum. Et anni 400. & anni 430. sub data distinctione subsistunt, absque vlla falsitate, aut contradictione.

657 Arguitur secundò. Primò Reg. cap. 13. v. 1. sic habetur: *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset: duobus autem annis regnavit super Israel.* Qui textus falsitati obnoxius videtur. Primò, quia infans vnius anni in Regem eligi non potuit ad Populi Israelitici defensionem, & gubernationē. Secundò, quia incredibile est, quod in ea ætate re ipsa regnaverit. Tertiò, quia eodem lib. 1. Reg. cap. 9. v. 2. dicitur: *Ab humero, & sursum eminebat super*

Digitized by Google

per omnem populum. Quare verissimè, & rectissimè aiebat Divus Gregorius ad prædictum locum, cap. 3. Ad litterã. *Vnius anni quomodo esse filius potuit, qui Vniuerso Populo, ab humero, & sursum eminebat?* Quartò. Quia Saul duobus solis annis non perfecit, nec perficere potuit ea omnia, quæ à prædicto cap. 13. vsque ad finem eiusdem libri, ab ipso facta commemorantur. Ergo.

658 Huic argumento, non vnam, sed multiplicem responsionem præstant Sancti Patres, Scholastici, & Interpretes. Quidam dicunt, litteralem sensum illorum verborum: *Filius Vnius anni erat Saul, &c.* esse, Saulem initio regni sui adeò innocentem fuisse, ac si fuisset infans vnius anni. Ita Augustinus lib. 7. locut. in Iudic. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis, cap. 5. Gregor. in hunc locum. Lyra, Salmeron prolog. 14. formula 27. Suarez tom. 1. in 3. p. q. 1. art. 6. disp. 6. sect. 1. §. *Ad secundum*, & alij. Cui expositioni favere videtur versio Chaldaica, quæ dicit: *Sicut filius Vnius anni, in quo non sunt culpæ, Saul erat, quando regnavit.*

659 Sed ista solutio multis non placet. Tum, quia ipsa litteralem videtur relinquere sensum. Quandoquidẽ ly *Vnius anni* propriè, & litteraliter non sumitur. Tum, quia nec tropologicum amplectitur. Cum iste in litterali debeat fundari ex dicendis num. 827.

660 Alij respondent, sensum illorum verborum: *Filius Vnius anni erat Saul*: esse istum: Saul cum regnare cœpit, habebat filium vnius anni. Quare ly *Saul* in illa oratione est in *Dativo*. Addunt, hunc filium fuisse Isboseth. Ita Rabbanus.

661 Sed nec ista placet responsio. Tum, quia ly *Saul* non est in dativo, Sed in nominandi casu; sicut immediatè etiam ponitur in eodem nominandi casu. Et in sensu litterali verba antecedentia cum immediatè consequentibus cohærere debent. Tum, quia quando Saul regnare cœpit, Isboseth habebat iam viginti duos annos. Quod patet ex lib. 2. Regum, cap. 2. v. 10. Isboseth enim habebat quadraginta annos, quando Sauli Patri suo successit in Regno. Et Saul ipse decem, & octo annis tantum regnavit. Ergo quando Saul regnare incœpit, Isboseth duos, & viginti annos habebat. Ergo.

662 Melchior Cano lib. 11. de loc. cap. 5. ad 12. solita libertate non veretur dicere, locum istum, librariorum vitio, in omnibus codicibus, Hebraicis, Græcis, Latinis, Septuaginta Interpretum, Chaldaicis, Aquilæ, Symmachi, & Theodotio

Digitized by Google

ma est: an Deus mentiri, fallere vè possit? Secunda: an fidei Catholicæ falsitas subesse possit? Tertia: an alicui virtuti supernaturali, quæ sit inferior fide, falsitas subesse possit? Quarta: an Deus se solo errorem nobis infundere possit? Quinta: an Deus possit patrare miraculum in confirmationem falsæ doctrinæ? Sexta: an Deus possit patrare miraculum in confirmationem sectæ, aut Religionis falsæ? Septima demum: an Scriptura sacra sit verissima, & certissima? Quod eorum constat ex dictis num. 20. à num. 75. 112. 205. & alibi. Deus enim alloquutus est nos per Scripturam sacram, tanquam per eloquia sua: fuit principalis illius auctor, sicut & cuiuslibet actionis intrinsecè supernaturalis, & veræ Religionis, dictavitque singula verba. Placuit nihilominus sub præfixis terminis quæstionem excitare. Quia sub his videtur magis propria instituti nostri.

§. PRIMVS.

Quædam notabilia præmittuntur.

680 PRo omnium istarum quæstionum, & alterius, quam immediatè post præsentem proponemus: intelligentia quædam præmittemus notabilia, aut præambula. Sit primum notabile. Mentiri, iuxta rigorosam mendacij definitionem, nihil aliud est, quam falsum asserere cum intentione fallendi. Ideo mendacium ex duobus essentialiter componitur, ex falsa nimirum locutione, & fallendi intentione. En egregia Augustini verba tom. 4. lib. de Mendacio, cap. 3. *Nam culpa mentientis est in enuntiando animo suo fallendi cupiditas.* Quod idem Augustinus, Divus Thomas, omnes Sancti Patres, Scholastici, Interpretes, Philosophi, & rationis capaces docent, resumunt, inculcant: vt elegantissimis vtar verbis Melchioris Cani in præsenti lib. 2. cap. 1.

681 Ad mendacium nihil refert, fiat verbis, vel quibusvis physicis, & realibus factis, nutibus, gestibus, vel signis externis. Ita Divus Thomas 2. 2. q. 111. art. 1. Immò taciturnitate, & silentio ipso mentiuntur homines, iuxta illud proloquium: *Qui tacet, consentire videtur.* Similiter ad mendacium sufficit intentio virtualis, interpretativa, aut implicita fallendi proximum, contenta, & inclusa in visceribus externæ locutionis, qualiscumque tandem ista sit: & quod verba, vel signa externa, quæ hic, & nunc profert mentiens suapte natura per se, & ex se imprudentum æstimatio-

Digitized by Google

tione hic, & nunc ordinata sint ad proximi deceptionem, & illi præbeant proximam errandi occasionē, vel causam. Erit que tunc mendacium ipsum aliquid dictum, vel factum minus rectum ex genere suo, & ex sui ratione præbens proximo occasionem proximam ruinæ intellectualis. Error enim, vel deceptio est spiritualis ruina intellectus, & scandalum passivum eiusdem intellectus, sicut peccatum est spiritualis ruina voluntatis. Quare qui mentitur, vetè positivè activè proximum scandalizat, inducitque ad errorem. Et regulæ, quas Divus Thomas 2. 2. q. 43. art. 1. & Scholastici cum illo tradunt circa scandalum, applicandæ sunt mendatio, quod suapte natura est scandalum activum.

682 Ad mendacium requiritur quod mentiens hic, & nunc sciens, ac volens significet exterius tanquam sibi, & coram Deo verum, ac fide dignū, quod hic, & nunc ipse iudicat interius, revera esse falsum. Quod ad fallendum proximū neutiquam desideratur. Quia veritate ipsa alios fallere possumus, ac solemus: vt quando scimus, eos, quos alloquimur, fidem nobis neutiquam adhibituros. Hinc Dæmoni, mendacibus hominibus, mentiendiq; consuetudidem habentibus, adhuc verum loquentibus, credere nolumus. Quia nobis persuademus, eos loqui contra mentem, & ex intentione fallendi: vt notavit Augustinus dicto lib. de Mendacio, cap. 4.

683 Ex adverso autem nemo mentiri existimatur, quāvis falsa, & iocosa loquatur, si ea non proferat ex intentione fallendi: sed ex alia iusta, & honesta causa, vel motivo virtutis, quam Philosophus 4. Ethic. cap. 8. vocat *Eutrapeliam*: & nos cum Divo Thomā 2. 2. q. 168. art. 2. possumus appellare *Iucunditatem*. En Augustini verba loco proximè citato: Habent enim evidentissimam ex pronuntiatione, atque ex ipso iocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis. Et novit ille, cui dicitur, ioci causa esse dictum.

684 Notabile secundum: Mendacium directè, & formaliter opponitur octavo naturali, & Divino Decalogi præcepto, cap. 16. v. 11. Levit. his verbis expresso: *Non mentiemini, neque decipiet vnusquisque proximum suum*. Mendacium similiter directè, & formaliter opponitur veritati, seu veracitati: simplicitati, seu sinceritati, charitati, civili conversationi: amicitiæ humanæ: & omni reciproco commertio vnius hominis cum alio, vel cum ipso Deo. Hinc nemo decipi vult. Et pulchre

Digitized by Google

ait

ait Augustinus tom. 3. lib. 1. de doctr. Christ. cap. 36. *Multos invenimus, qui mentiri velint, qui autem falli, neminem.* Nec ipse mentiens, aut fallens vult decipi, aut falli. Si autem principiū illud morale: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*: est per se notū: mendacium directè, & formaliter opponi, necdum divino verumetiam naturali præcepto: manifestissimum est.

585 Mendacium opponitur etiam formaliter, & directè veritati, seu veracitati. Quia in mendacio externa signa sunt contraria menti loquentis, nec in illo concordant signa cum signatis, vt exigit veritas, vel veracitas. Opponitur etiam directè simplicitati, seu sinceritati. Quia mentiens aliud intendit interius, & aliud prætendit exterius: vnum profert ore: aliud tegit pectore, vt aiunt Divus Augustinus super Psalm. 11. & 14. homil. 1. & alibi, Divus Thomas 2. 2. q. 111. art. 3. ad 2. & alij. Veritas autem, & simplicitas sunt vna, & eadem virtus realiter, licet ratione, & nomine distinguantur.

686 Menducium etiam directè, & formaliter opponitur charitati. Quia est scandalum activum ex num. 681. Ideo Chrisostomus cap. 4. ad Ephes. orat. 8. ait: *Nihil est, quod æquè pariat inimicitias, ac decipi, & falli.* Et sicut vnum membrum non decipit alterum, ita nec nos debemus alter alterum decipere: si sumus eiusdem corporis membra.

687 Mendacium etiam directè, & formaliter opponitur omni humano commercio tam politico, quam civili in omnibus negotijs, contractibus, vel iudicijs. Nulla namque relinquetur inter homines mutua confidentia. Nec amicus amico, nec Maritus vxori, nec filij Parentibus, nec fratres fratribus, nec Cives Civibus, nec socij socijs habere poterunt fidē; si mentiri liceat. Ad hanc humanam societatem servandam, vtque homines, non pecudum more, sed politicè vivant, indispensabiliter exigitur, ne mutua diffidentia impediantur: vtque sibi invicē fidant, credant, vel fidem adhibeant. Mendacium autem confidentiam istā de medio tollit, & diffidentiam in mundū introducit. Ideo Augustinus lib. de vtilitate credendi ad Honoratum cap. 12. & Cano lib. 11. cap. 4. aiunt, eos, qui humanam fidem ex hominum animis evellere conantur, non solum stultos esse; sed Gigantum more, cum Dijs bellare: hoc est: cum natura pugnare, & pueris stultiores esse.

688 Tertium notabile: Mendacium omne ex genere suo, & suapte natura est quid intrinsecè malum, & naturæ ratio-

Digitized by Google

tionali, vt rationali directè, & formaliter contrarium: haud secus ac liberum Dei odium blasphemia, & alia id genus. Et nullius causæ, aut finis appositione honestari, bonum, aut licitū reddi valet. Ita Divus Augustinus in duobus libris ad Consentium, quorum alter est de mendacio, alter contra mendacium, Divus Thomas 2. 2. q. 110 art. 3. communiter Sancti Patres, Scholastici, & Philosophi cum Aristotele 4. Ethic. cap. 7.

689 Probatur primò. Mendacium formaliter, & directè repugnat fini, ad quem verba instituta sunt. Ergo est quid intrinsecè malū. Consequētia est optima. Quidquid enim repugnat fini suo est malum, vtpote inordinatum. Et antecedens probatur ex Augustino in Enchirid. ad Laurentium cap. 22. *Propterea verba sunt instituta, non per quæ se homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat.* Ergo mendacium formaliter directè repugnat fini, ad quē verba sunt instituta. Ergo est quid intrinsecè malum, seu inordinatum, caretque rectitudine debita omni actioni humanæ. Probatur secundò. Mendacium directè, & formaliter opponitur octavo Decalogi præcepto, veritati, simplicitati, amicitiæ, humano commertio, iustitiæ, charitati, &c. Ergo est quid dictum, vel factum contra legē æternam. Ergo est peccatum, & ex genere suo malum. Probatur tertiò. Mendacium nemo appetit: omnes rationis capaces illud naturaliter aversantur. Ergo est quid intrinsecè malum. Antecedens patet ex num. 684. Quia adhuc ipse mentiens renuit decipi. Consequentia etiā liquet. Quia sicut bonum est, quod omnia appetunt, & nemo aversatur: ita malum est, quod omnia aversātur, & nemo appetit. Siquidem contrariorum cōtraria est ratio. Et malum nihil aliud est, quàm privatio, & corruptio boni. Probatur quartò. Mentiens ab omnibus iudicatur malus, vituperabilis, & pœna dignus. Hinc illud commune proloquium: *Non cadit in bonum virū mentiri.* Ergo & mendacium ex genere suo est malum, vituperabile, & pœna dignum: & ex nullo motivo, fine, aut causa honesta, rationabili, vel notabili licitum, aut ordinatum reddi potest.

690 Dices. Locutio ambigua, seu æquivoca, & oratio restrictione purè mentali limitata possunt esse licitæ, & honestæ in aliquibus casibus, si vestiantur iusta, honesta, rationabili, notabilique causa. Quare ad vitandum aliquod malū grave, proprium, vel alienum, vel ad consequendum maius bonū licitæ, & honestæ sunt, quam-

Digitized by Google quam

quam ex tali locutione ambigua, orationeque purè mentaliter restricta sequatur infallibiliter deceptio proximi. Ergo idem dicendū est de mendacio. Consequentia videtur legitima. Antecedens verò latè demonstrabitur in quæstione sequenti.

691 Error fuit Origenis, Platonis, & aliorū, qui dixerūt, mendacium esse licitum, quādo videtur necessarium ad vitandū aliquod grave malum, vel ad cōsequendum maius bonum. Quem errorem nonnulli, licet immerito attribuerunt Chrisostomo, Hieronymo, & alijs Sanctis Patribus, qui dixerunt, locutionem ambiguam, & restrictiones purè mentales vocibus additas ex iusta causa, aliquādo licere: vt notat Lesius lib. 2. de iustit. cap. 47. num 39.

692 Errorem istum multis refellit, & quidem nervosissimè August. lib. de mendacio, à c. 5.

693 Et licet dicta quæst. sequenti rem istam ex instituto simus tractaturi, obiter dicemus hic, esse longam disparitatem. Ex mendacio enim per se, & ex natūra suā sequitur proximi deceptio. Quare mendacium ex se est scandalum activum & qui mentitur activè, simpliciter, & verè scādalizat, & decipit proximum ex num. 681. & ex doctrina Divi Thomæ ibidem relata. Et ita nullius causæ, aut finis honesti appositione mendacium potest reddi licitum, aut honestum in aliquo casu adhuc propter salvationē omniū Angelorum, & hominū. Cæterum deceptio proximi non sequitur per se ex ambigua locutione, & oratione purè mentaliter restricta, sed peraccidēs propter culpam audientis: vel saltem sine vitio loquentis, & iure suo vtētis ex causa iusta. Quare quādo habemus rationabilē, iustā, notabilemque causam ad occultandam veritatē: possumus vti iure nostro, huiusmodique locutionibus ambiguis, & purè mentaliter restrictis. Nec propter deceptionem, quæ inde per accidens sequitur, iure nostro privari debemus. Quia occasio deceptionis proximi non est data; sed ab illo accepta: qui sibi suā deceptionē imputare debet: cū loquens suo vtatur iure. Nec tunc loquens activè scādalizat, aut decipit proximū; sed ex iusta causa illius errorē, & deceptionē permittit. Et ita est occasio, & deceptio proximi nō volita adhuc interpretativè, sed solum permissa ex notabili, honesta, rationabilique causa. Et vtenti iure suo, vel illud prosequenti non imputatur ad culpā quod inde peraccidens subsequitur, vt quæst seq. dicemus.

694 Sic Christus Dñs verissimè, honestissimèque permisit necdum Iudæorū, verumetiam suorū discipulorum errorem, &

Digitized by Google

deceptionē quando dixit Ioannis 2. v. 19. *Soluite templū hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Et loquutus est Dominus in sensu longe alieno ab eo, quē intellexerunt ipsius Discipuli, & Iudæi, quemque indicabant omnes, & singulæ circunstātiæ sensibiles, & externæ. Ex quo ergo liceant ex iusta causa loquutio ambigua, & restrictio purè mētalis, neutiquam infertur, mendacium etiam aliquando licere. Quia mala, & inordinata nunquam sunt facienda, vt inde veniant bona.

695 Præmissis iam his tribus notabilibus, faciemus satis quæstioni in titulo præfixæ, & cæteris n. 679. propositis per singulas conclusiones. Et incipiemus ab illa, quæ licet facillima, tamen caput est reliquarum, vt ait Cano in præsenti lib. & c. 2. de locis.

§. SECVNDVS.

Septem conclusiones proponūtur.

696 PRima conclusio. Deus mentiri non potest. Est de fide cōtra Priscillianistas, & Robertum Holchot, vt notat Lyncæus in præsenti tract. 5. n. 108. Apud quem sentit Holchot, Deū haud raro non tantū posse, sed etiam actu loquutū fuisse quæ non sentiebat, & intentione fallendi ea dixisse, sine mendacio tamen, aut etiam citra mendacij culpam. Quia videlicet nihil est culpa, quod non est contra Dei voluntatem, quę est prima regula morū. Hæc Lyncæus, addens, Holchot sentire cū Priscillianistis.

697 Probatur ergo primo nostra cōclusio ex epist. ad Roman. cap. 3. v. 4. *Est autē Deus verax: omnis autem homo mendax.* Probatur secundò à Melchiore Cano solita eloquētia dict. lib. 2. c. 3. ad hæc verba: Quæ contrarietas est mali, & boni, eadem est veri, & falsi. Sed primæ bonitati repugnat facere malum. Ergo & primæ veritati repugnat dicere falsum. Paulò aliter. Mentiri est peccare. Deo repugnat peccare. Ergo & mentiri. Deus ergo tam alienus est à mendacio, & falsitate, quam à malo, peccato, & iniquitate. Et si quis, Deo auctore, consulente, imperante, vel impellēte, aut mentiēte, falleretur, iam à fonte veritatis, & bonitatis mendacium, & peccatum dimanarent contra illud Ioann. epist. 1. c. 2. v. 21. *Et quoniam omne mendacium ex veritate non est.* Vt alia omittam testimonia.

698 Dices primò, Deū de potentia sua ordinaria, seu ordinata nō posse mētiri: bene tamē de potētia absoluta, & extraordinaria. Sed cōtra. Deus adhuc de potentia sua absoluta nequit peccare. Ergo nec mentiri. Ad hæc. Si de potentia absoluta mētiri posset, vnde nobis cōstaret,

Digitized by Google

ret, sic iam non fuisse mentitū?

699 Dices secundò, Deum per se immediatè mentiri non posse: posse tamen mentiri, & fallere per suos Ministros, Angelos, vel homines, his consulēdo, aut præcipiendo, vt mentiātur, & nos fallant. Sed cōtra primò. Deus adhuc per ministros nequit peccare Ergo nec mentiri. Contra secundò. Eiusdem est præcipere, vel cōsulere malum, & facere malū, aut peccare. Quilibet enim est causa eius rei, quæ ipso imperante, aut cōsulēte fit. Sed mendaciū est malum. Ergo si, Deo imperante, vel consulente, fieret, Deus malū faceret, & peccaret. Cōtra tertiò. Cætera mala, quæ habent pœnā seiunctam à culpa, & dare potest Deus per ministros: potest & per se ipsum immediate. Ergo si per ministros posset mētiri, aut nos fallere: posset & per se ipsum immediatè. Contra quartò. Deus alloquutus est nos in suis Scripturis, & traditionibus Divinis per suos ministros. Ergo si per istos mentiri, nosque fallere posset: consulendo, aut præcipiendo, iam ipse posset etiam mentiri, aut fallere. Et aliunde nobis constare non posset, an de facto fuerit Deus mentitus, aut nos fefellerit. Quare Scripturis sacris firmiter credere non possemus. Quomodo enim firmiter, fideliterque credemus ei, quem scimus per se, aut per alium, de potentia ordinaria, aut absoluta, posse mentiri, & fallere? Nam & fortè tunc mentiri potest, & de facto mentitur, & fallit, quando asseverat, se non mentiri, non fallere, & præcipit, vt ei credamus: vt peropportune, & satis belle notavit Augustinus lib. contra mendatium, cap. 4. & 18. & de mendatio, cap. 8. Vnde etiam funditus corrueret firmitas Scripturæ sacræ, & omnium fidei nostræ mysteriorum. Contra denique. Deus, quia sapientissimus, falli non potest adhuc de potentia absoluta, & per alios. Ergo quia optimus, & sanctissimus mentiri, aut fallere non potest adhuc de potētia absoluta, aut per alios. Patet consequentia. Quia sicut falli opponitur Divinæ sapientiæ, fallere, aut mentiri opponitur Divinæ bonitate, & sanctitati.

700 Secunda conclusio: Vulgatæ nostræ Editioni Latinæ iam correctæ nullus error, falsitas, aut mendacium absolute, & simpliciter sub esse potest, quod Deo, vel Scriptoribus sacris tribui possit. Est de fide. Probatur. Quia alias Deus summe verax mentiri posset, quod est impium, hæreticum, & blasphemum, si quod maximum.

701 Tertia conclusio Fidei Catholicæ, & supernaturali falsitas, aut mendacium subesse nō potest adhuc de potentia Dei

Digitized by Google

absoluta: Est de fide. Probatio D. Thom. 2.2.q.1.art.3. est profundissima, nec facilè intelligibilis à Novitijs, vt indicat ibi Caietanus. Et nunc revocanda est ad iam pōderatam n.697. Si fidei Catholicæ falsum subesse posset, Deus mētiri valeret. Hoc est Hæreticum, impium, & blasphemum. Ergo & illud. Ad hęc. Actor. 28. v. 5. dicitur: *Quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.* Et 2. ad Timoth. cap. 1. v. 12. *Scio enim, cui credidi, & certus sum.* Et Sess. 6 in Trident. cap. 9. *Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Contrarium tribuitur Scoto, & Maiori à quibusdam apud Lyncæum tract. 5. in præs. n. 108. & 118. Quod à temeritate non audet ipse excusare.

702 Quarta conclusio. Nulli virtuti, vel actui intrinsecè supernaturali adhuc de potentia Dei absoluta potest sub esse falsum. Ita communiter Theologi contra Ripaldam. Cuius sententiam improbabilem iudicat Lyncæus tract. 5. n. 118 Ratio est. Quia alias Deus saltem per alios mentiri posset; cum sit specialis Auctor eorum omniū, quæ intrinsecè sunt supernaturalia.

703 Quinta conclusio: Deus adhuc de potentia sua absoluta, nequit se solo infundere errorē. Ita communiter Theologi cum Suarez disp. 3. de fide, sect. 5. contra Vazquez apud Lync. tract. 3. n. 71. cuius sententiam ex terminis inverosimilem, & prorsus alienam à cōmuni Theologorum, & Christianorum sensu vocat Lyncæus. Et probat sic suam, & nostram conclusionem. Deum posse loqui falsum, citra blasphemiam concedi non posse, videtur. At infusio erroris à Deo solo eius esset locutio, & cum non vera, sane falsa. Ergo Deus posset loqui falsum: si se solo posset infundere errorem. Quod est blasphemum.

704 Sexta Conclusio. Deus nequit patrare miracula in cōfirmationem sectæ, aut religionis falsæ. Quia alias saltem per alios mentiretur. Lync. loc cit.

705 Septima, & vltima conclusio. Scriptura sacra est verissima, & certissima. Est de fide. Scripturam sacram appellamus à n. 15. explicatam, Spiritu Sancto specialiter dictante, litteris mandatā. Et quamquā Machiavellistæ blasphement, Scripturā sacram esse historias, & fabulas fictas: vt negent Dei existentiā, & providentiam, & animæ rationalis immortalitatem; eorum delirium manet revictum à num. 117. 204. & 653.

(*)

Digitized by Google

§. TER-

§. TERTIVS.

Contraria solvuntur argumenta.

706 ARg. 1: Homines Sancti per Scriptores sacros relati aliquando mentiti sunt. Ergo & ipsi Scriptores sacri in his, quæ vt tales scripserunt, mentiri potuerunt. Ergo & Deus per illos mentiri potuit. Ergo mendacium subesse potest Vulgatæ nostræ Editioni Latinæ correctæ, seu Scripturæ sacræ, fidei Catholicæ, infusis virtutibus: Deus potest infundere errorem, & patrare miracula in confirmationem falsæ doctrinæ, Religionis, ac sectæ. Consequentiæ videntur legitimæ, & antecedens probatur primò ex cap. 22. Genes. v. 5. vbi Abraham pueris suis mentitus fuisse videtur in illis verbis: *Revertemur ad vos.* Secundò probatur ex cap. 27. eiusdem Genes. v. 19. vbi similiter Iacob mentitus fuisse videtur Patri suo Isaac, respondens: *Ego sum Primogenitus tuus Esau*; Ergo. Respondeo negando antecedens. Ad cuius primam probationem, nego antecedens cum Augustino lib. 16. de Civit. cap 32. & serm. 1. de immolatione Isaac: Quia Abraham credidit, Isaac filium suum statim resuscitandum fuisse. Et Divus Thomas numerum pluralem: *Revertemur*: pro singulari: *Revertar ego*: accipit. Et ita Abrahamum à mendacio liberat. Ad secundam probationem similiter respondeo cum Augustino q. 27. in Genes. & lib. 16. de Civitate Dei, & Divo Thoma 2. 2. art. 3. ad 3. Iacob ex speciali Divina revelatione cognovisse, se esse Primogenitum Isaac, non quidem natura; sed iure, & dispensatione Divina. Quare Iacob mentitus non est. Vide Lyncæum tract. 5. num. 112.

707 Arguitur 2. Israelitæ, Deo præcipiente, mentiti sunt Ægyptijs, hosque fefellerunt ex cap. 12. Exodi v. 35. quando ab illis petierunt vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam. Ergo iubente Deo, homo homini mentiri, illumque decipere potest. Ergo & Deus ex num. 699.

708 Confirmatur: Deus facere potest, vt homo practicè erret, & peccet. Ergo & vt speculativè erret. Ergo Deus potest esse auctor erroris, mendacij, & falsitatis. Ergo. Probatur antecedens primo ex c. 63. Isaiæ v. 17. *Quare errare nos fecisti de viis tuis*? Secundo ex cap. 1. ad Rom v. 18. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum: vt faciant ea, quæ non conveniunt.* Tertiò ex 2. ad Thessalonicenses cap. 2. v. 10. *Mittet illis Deus operationem erroris, vt credãt mendacio,*

Digitized by Google

vt iudicent omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Ergo.

709 Doctores Recentiores, hique gravissimi testimonia ista vltima Isaiæ, & Pauli, & alia similia, quibus plena est Scriptura sacra, explicant de præmotione Physica Dei, eiusque concursu positivo, & antecedenti ad errorem practicum, & peccatum secundum eius materiale, non formale. Verùm enimverò (sunt formalissima verba Lyncæi tract. 5. n. 115.) vt cum Sapientissimo Didaco Ruiz disp. 30. de Voluntate Dei sect. 1. num. 25. loquar, si Deus prædeterminaret, & causaret materialem entitatem odij Dei, atque blasphemiæ, sequæretur, potuisse Deum præmovere, ac prædeterminare ad materialem entitatem erroris, non solum intellectum, & voluntatem, sed etiam linguam, & calamum cuiuscumque Prophetæ, Apostoli, Evangelistæ, aut alterius sacri Scriptoris, nimirum, vt existimaret vera, & à Deo revelata, quæ falsa sunt, eaque Dei nomine credenda proponeret: similiterque potuisse Romanos Pontifices, Generalia Concilia, & vniversos fideles præmovere, & prædeterminare ad materialem entitatem iudicij, quo crederent, esse à Deo revelata, quæ revelata non sunt, atque codices Scripturarum corruptos Librariorum vitio reciperent tanquam legitimas, atque authenticas Scripturas: qua insuper materiali entitate iudicij sacrâ Scripturam interpretarentur in sensu falso, & anathematizarent dogmata vera per Deum revelata, damnando assertores illorum. Sequela videtur perspicua. Consequens autem admitti non potest: esset enim, fidem nostrâ Catholicam eximo evertere Scripturamque, & reliqua eius fundamenta non quatere modo, sed prorsus convellere. Hactenus Lyncæus, & quidem verissimè, & elegantissimè. Cui libentissimè subscribimus cum nostro Emman. in suo Cursu Phil. Trinit. tom. 2. num. 1819: Doctissimis Iesuitis, eorumque assectis, qui non possumus, nec valemus, nec sufficimus ad intelligendum, quomodo Deus physicè prædeterminet, & præmoveat creaturam ad entitatem materialem erroris, vel peccati, quin eo ipso Deus etiam physicè prædeterminet, & præmoveat eamdē creaturam ad esse formale, vel Morale erroris, & peccati: & quin absolutè (vt blasphemabant Lutherus, & Calvinus) sit auctor eiusdē erroris, & peccati. Nobis cum etiam absdubio sentit P. Fr. Daniel à Sancto Iosepho Carmelita Reformatus, aut Discalceatus, num. 94. supra relatus in illis verbis: *Deus, qui eam agnoscere coacti,*

Digitized by Google

coacti, absoluto, præfinientique (seu physicè prædeterminativo) *decreto subiectam volunt.* Quem citat P. Thomàs Mlodzianouvuski Polonus in suis prælectionibus Theologicis Dãtisci prælo mandatis anno 1666. tract. 2. disp. 5. q. 3. num. 128. Cuius meminimus dicto n. 94. Eiusdem Danielis à S. Ioseph Carmelitæ Reformati meminit Germanus Philalethe Eupistinus in aureo libello, cuius epigraphe est: Auctoritas contra Prædeterminationem Physicam pro scientia media, cap. & §. 3. n. 127. vbi refert ipsius verba.

710 Respondeo ergo ad argumentum, dicendum, verbũ *præcipio*, vel *consulo*, & alia similia, quandoque sumi pro permissione. Quod patet ex Ioanne cap. 13. v. 27. *Quod facis, fac citius.* Et videndus est Divus Thomas q. 3. de malo, art. 1. ad 17. Et ita intelligitur in dicto loco Exodi 12. v. 35. & 36. Textus autem in confirmatione adducti, & alij similes non significant positivum, & specialem Dei influxum in errorem practicum, & peccatum, sed solam permissionem ex iustissimo fine. Quare Deus neutiquã concurrit positivè, sed solum permissivè ad errorem practicum, & peccatum. Et ita non est auctor erroris, aut peecati: & consequenter Deus non est mentitus, nec mentiri potest. Vide Augustinum de Gratia, & libero arbitrio, cap. 23. Suar. in Opusc. lib. 2. cap. & num. 3. & Lyncæum dicto tract. 5. n. 115.

711 Arg. 3. Deus potest homines fallere per Dæmones: Ergo & per Scriptores sacros: Ergo & mentiri, & fallere. Probatur antecedens ex 3. Reg. cap. 22. v. 19. *Decipiam illum*: : *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum*: : *Dedit Dominus Spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum*: : *Dominus loquutus est contra te malum.* Ergo. Respondeo ex proximè dictis, verba illa non indicare, quod Deus positivè voluerit decipere; sed quod deceptionem permiserit. Vide Lyncæum tract. 5. n. 113.

712 Arguitur 4. cap. 12. Iob v. 21. cap. 14. Ezechielis v. 4. & alibi dici videtur, quod Deus movet hominum mentes ad falsum: voluntates ad malũ. Ergo.

713 Respondeo ex dictis ad secundum, & tertium argumentum, Deum permissivè tãtum se habere in ordine ad culpam, & ad mendacium, licet positivè velit pœnam, quæ est immunis à culpa. Et quando dicitur, quod Deus facit, homines errare: quod illos excæcat: indurat: in odiũ convertit, &c. in hoc sensu intelligenda sunt testimonia sacra, & impropriè. Quibus enim facultatem vidẽ-

Digitized by Google

di, & cognoscendi non concedit, vel admit, eos errare: non videre: non cognoscere: obcæcare, dicitur. Sicut etiam dicitur, indurare quę nō vult mollire: repellere quem non dignatur vocare.

714 Arguitur 5. Mendacium intrinsecè non est malum Ergo Deus per se, vel Angelorum, hominumvè ministerio mentiri potest. Consequentia liquet. Antecedens verò probatur ex cap. 42. Genes. v. 16. *Per salutem Pharaonis exploratores estis.* Vbi Castissimus, iuxtaque Sanctissimus Ioseph mēdacium iuramento confirmasse videtur. Sed Ioseph non ita mēdacium iuramento cōfirmasset, si illud intrinsecè, & ex natura sua esset malum. Ergo.

715 Respondeo negando antecedens. Quam omnino rem, quoniam in tertio notabili à num. 688. cum maximis Ecclesiæ, & Theologiæ luminaribus, Doctoribusque Sanctissimis Augustino, & Thoma, & cum omnibus Sanctis Patribus, Scholasticis, immo, & Philosophis evidentissimè demonstravimus: satis hic fuerit, Lectorem illuc remisisse: & ad antecedentis probationem respondisse, illud Iosephi iuramentum neutiquam fuisse periurium, seu tale, quo mendacium confirmaretur. Quæ est strictissima periurij definitio, Quia ly *estis* ibi accipitur pro ly *habebimini:*

716 Arguitur sextò; Deus in sacris litteris frequenter loquutus est ironicè, & dissimulatè. Ergo mendosè, & falla citer. Consequentia videtur legitima iuxta Divum Thomam 2.2. q 100 art 2. dividentem mendacium in iactantiam, & ironiam, quæ latinè dissimulatio, cavillatio, & astutia ad fallendum dici solet. Antecedens verò probatur ex cap. 3. Genes. v. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Respondeo, ironiam quandoque accipi pro mendacio, seu turpi cavillatione, vel astutia ad proximum dissimulatè fallendum. Et ita accipitur à Divo Thoma cum Aristotele. Ironia accipitur etiam pro figura Rethorica. Quam suo loco explicabimus. Interim dicimus, eam esse liberam ab omni mendacio, laude dignissimā, & inter Oratores, & Scriptores ipsos sacros vsitatissimam. Loco igitur dicto Genes. & in similibus ironia est figura Rethorica.

717 Arguitur 7. Scriptores sacri, immo ipse Christus Dominus passim vsi sunt verbis æquivocis, pluresque sensus habentibus: insuper purè mentaliter restrictis, à nullo ex audientibus, estò peritissimis, prudentissimis, vivacissimoque ingenio præditis ex externa aliqua circumstantia adhuc implicitè, vel indirectè perceptib ilibus

Digitized by Google

bus, vel deprehensibilibus, quonam sensu loquerentur: præterquamquod ab ipso Deo, & ab ipsis proferentibus talia verba æquivoca, vèl purè mentaliter restricta. Sed huiusmodi verba æquivoca, aut purè mentaliter restricta sunt mendosa, & fallacia, ex se, & ex natura sua ad fallendum proximũ activè destinata, & præparata. Ergo similibus verbis frequentissimè vsi sunt Scriptores sacri, & Christus Dominus. Ergo & mentiti sunt, & deceperunt activè positivè. Ergo Deus mentiri potest saltem ministerio hominum, vel Angelorum. Ergo Vulgatæ nostræ Editioni Latinæ adhuc vt correctæ, & emendatæ falsitas subesse potest. Consequentiæ sunt legitimæ. Maior certissima videtur. Minor præbet nobis occasionem, & quidem per oportunam, & summis votis à nobis peroptatam pertractandi pro dignitate quæstionem ævo nostro celeberrimam, acri partium concertatione controversam, & ni fallor Recentiorum crucem summo iure appellare possumus post 65. propositiones à Sanctissimo Domino Innocentio XI. quem inter Cœlites iam vivere piè possumus credere, damnatas, & proscriptas. Sit ergo.

(12)

QVÆSTIO LXXV.

An Vulgata nostra Editio Latina intermista sit verbis amphibologicis, & æquivocis, purè & mentaliter restrictis, & omnino insensibilibus.

718 REsolutoriè dico, & respõdeo, quod sic. Scriptores enim sacri, & consequenter Vulgata nostra Editio Latina vtuntur, & quidem frequenter verbis amphibologicis, restrictionibusq; purè mentalibus ex iusta, gravi, & notabili causa occultandi, vel celandi veritatem, vel exercendi fidelium ingenia, vel non exponendi nostræ fidei mysteria infidelium irrisioni, sine intentione tamen fallendi, & citra omne mendacium, sicut ex eadem causa, & citra omnem intentionem, adhuc interpretativam, vel implicitam decipiendi quemquam, & absque vllo mendacio vtuntur parabolis, Metaphoris, & cunctis Rethoricæ figuris.

719 Siquis autem inde erroris occasionem desumpserit, id fuit omnino per accidens, & vitio ipsius, qui sic erravit, & hallucinatus est, vel per ignorantiam sacri idiomatis, aut circustantiarum, aut per negligentiam, aut inadvertentiã.

Qui

Digitized by Google

Quare Scriptores sacri, Christus Dominus, & ipse Deus ex iusta, & rationabili causa permiserunt errorem, aut deceptionē: istam vero nequaquā per se simpliciter absolutè causarunt quoad formale ipsius erroris, sicut nec ipsum peccatum, vt impiè blasphemarunt Lutherus, Calvinus, Zuinglius, & eorum asseclæ. Et in prædicto sensu Catholico intelligunt Sancti Patres, Scholastici, & Interpretes illud Ezechielis cap. 14. v. 9. *Ego Dominus decepi illum*: hoc est: *permisi*. Deo enim optimo, & sanctissimo æquè repugnat verè simpliciter activè decipere, ac peccare, licet obstrepant Hæretici impij, & blasphemi. Et hinc patet ad septimum argumentum quæstionis præcedentis. Pro cuius maiori intelligentia, luce, & illustratione sit.

§. PRIMVS.

Vtrùm restrictio purè mentalis possit honestari ex causa?

720 ALijs terminis: *An Amphibologia, ac Restrictio purè mētalis semper, & in omni eventu sit licita; aut an potius ex causa iusta, & honesta gravi, vrgenteque necessitate, & circunstantij, possit aliquando cohonestari, licitave reddi?*

721 Sanctissimus Innocentius XI. die 2. Martij anno 1679. sexaginta quinque propositiones, & vnamquamque ipsarum, sicut iacent, vt minimum, tanquam scandalosas, & in praxi pernicioſas damnavit, proscripsit, atque prohibuit. Quarum 26. est tenoris sequētis.

Siquis, vel solus, vel coram alijs, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine iuret, se non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quod vis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est periurus.

722 Vigesima autem septima inter easdem sexaginta quinque propositiones est, quæ sequitur.

Causa iusta vtendi his Amphibologijs est, quoties id est necessarium, aut vtile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

723 Vera, & legitima prædictarum duarum propositionum, earumque condemnationis explicatio potissimum depēdere videtur à resolutione quæstionis, quam præfiximus in hoc §. Possumusque ingenio-

rum

rum crucem appellare, vt in fine quæstionis præcedentis prænouimus. Plures, & grauissimi Theologi valdè desudarunt, fatigatique sunt in exponendis duabus prædictis propositionibus, præsertim vero Reverendissimi Patres Lumbier, Filgueira, M. Franciscus de la Lastra, Hoces, Torrecilla, Cardenas, Didacus de la Fuente Hurtado, & omnium novissimè N. P. Fr. Ioseph à Iesu Maria quondam in hoc nostro Salmaticensi Collegio primarius Sacræ Theologiæ Professor, ipsius Collegij semel, ac iterum Minister, semel item, ac iterum huius Almæ Provintiæ Conceptionis Immaculatæ B. V. Mariæ Provintialis, atque totius Ordinis nostri Definitor Generalis, in omni studiorum genere versatissimus, Theologus admirabilis, Egregius Concionator in vtroque iure versatissimus, & quod plus est, vir Religiosissimus, cunctis virtutibus exornatus, illustribus quibusque huius sæculi viris æqualis, totius nostri Sacri Ordinis immortale decus, & ornamentum. Sed iam, quando hæc typis mandantur: proh dolor! eum abstulit atra dies & funere mersit acervo. Melius dixerim: iam ipse vivit in Cœlo. Cuius eruditionis memoriã fecimus, eidemque, etsi nequaquã parem illius ingenio, & meritis, at pro nostro tamen studio meritam gratiam, debitamque referimus. Quamquam postulo ab his, qui hæc legerint, vt maius quiddà de nostro Patre Fr. Ioseph, quam quantum à me exprimi potest, suspicentur.

724 Scripsit etiam, atque sudavit pro explicandis duabus prædictis, alijsque propositionibus ab Alexandro VII. & prædicto Innocentio XI. damnatis D. Martinus Breznez Diez de Prado in libro, cuius epigraphe est: *Teatro moral sobre las proposiciones condenadas, &c.* Scripsit, inquam, D. Martinus. Verius dixeris, Reverendissimus P. Fr. Ioseph a Sancta Maria Carmelita Discalceatus, & Orator egregius, licet ob humilitatis, vel modestiæ causam librum ediderit in lucem sub nomine prædicti D. D. Martini Beneficiarij Pareciæ Sancti Pauli, vulgo, San Polo. Quod valde miramur. Conformius namque est Sacrosancto Tridentino Concilio Sess. 4. in decreto de editione, & vsu sacrorum librorum, quod isti sub nomine proprio Auctoris imprimantur. Ibi impressoribus modum in hac parte imponens, qui iam fine modo, sibi licere quidquid libet, putare videntur: sic ait Concilium: *Sæpè tacito, sæpè etiam mentito prælo, & quod grauius est, sine nomine Auctoris imprimunt, &c.* Et licet Synodus

Digitized by Google

dus de Biblijs sacris loquatur, eadem tamen est ratio de cæteris. Forsitam Auctor iste imitari voluit (non quidem gratia aucupandi maiorem auctoritatem, cum presbyter sæcularis, vel beneficiarius non posset dare libro maiorem, quam ipse Auctor proprius, qui est Theologus etiam insignis) suos Sapientissimos Complutenses, & Salmanticenses, qui sub his gloriosissimis titulis prælo mandarunt Cursum Philosophiæ, & Theologiæ, quorum gloriatur Auctor iste se fuisse discipulum. Quod notavit iam pridem, & ex eadem causa, qua nos Illustrissimus Caramuel. Auctorem quidem prædicti libri fuisse Carmelitam Discalceatum, vel ipse solus liber est testis locupletissimus. Quia ferè totus est in vindicandis suis doctissimis Salmanticensibus à Pontificijs censuris, & damnationibus. Quod laudamus. Vtinam, & operam navasset, eamdemque diligentiam adhibuisset in vindicando ab eisdem Pontificijs damnationibus alios Theologos, præsertim vero nostrum Venerabilē P Leandrum à Sanctissimo Sacramento in Theologia Morali in hoc scripturienti sæculo facilè Principem, & Sapientissimum P. Thomam Sanchez! Ast contra fecit in præsentiarum.

725 Parte enim secunda, propos. 26. num. 21. hæc habet Discalceatus Carmelita: *Su Santidad solo condena al que dize, que la restriccion puramente mental, no es mentira.* Prædixerat autem num. 3. *Toda la dificultad consistia en averiguar, si el juramento que solo podia ser verdadero, añadida vna restriccion mental, era falso, ò se librava de serlo por la dicha restriccion.* Et damnatam sententiam appingit, & attribuit in hoc sensu prædicto Thomæ Sanchez lib. 3. in Decalog. cap. 6. num. 15. Ibidem propos. 45. num. 4. 5. 6. & 7. asserit, necessarium esse expurgare libros, in quibus reperiuntur propositiones damnatæ.

726 Vt ab hoc vltimo exordium sumamus, provinciā summe vtilem, & necessariam susciperet, qui id executioni mandare vellet. Summus Pontifex non explicuit, aut expressit in quo sensu prædictas propositiones damnavit, atque prohibuit. Sapientissimus Pater Lumbier explicationem huius vigesimæ sextæ propositionis adeo difficilem cognovit, vt consuluerit duos graves, & doctos viros Religiosos Romæ existentes, vt peterent à Sacra Congregatione earumdem propositionum explicationem. Et quidam Consultor, vel Consultus, qui examini sexaginta quinque earum

Digitized by Google por-

propositionū biennio inter fuit, respondit, Generalem Sanctæ Romanæ, & vniversalis Inquisitionis Congregationem nunquam consueviſſe adhibere tales expositiones: quamquam Summo Pontifici valde placeret, & cordi foret, videre doctam eiusdem Lumberij expositionem, cuius rumor per omniū ora volaverat, eratq; vbique perneceſſaria. Quia ſuper illā multi vacillant, hærent, titubant. Quod notant Lumbier ipſe, Laſtra, & Torrecilla. Summus Pontifex, vt dixi, non explicuit, nec expreſsit, in quo ſenſu prædictas propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, ſicut iacent, vt minimum tanquā ſcandaloſas, & in praxi perniciosas damnaverit, & prohibuerit. Similiter non explicuit, nec expreſsit, quis fuerit Auctor, qui eaſdem propoſitiones, aut vllam illarum in ſenſu per eumdem Summum Pontificem damnato, defenſaverit, vel docuerit: ſicut contigit in quinque propoſitionibus, quas cum occaſione impreſsionis libri, cui titulus, *Auguſtinus Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis*, Innocentius X. anno 1653. damnavit, & fulgurivit: & anno 1660. Alexander VII. declaravit, quinque illas Ianſenij propoſitiones rite, & recte damnatas fuiſſe ab eodem Innocentio X. iuxta ſenſum ab ipſo Cornelio Ianſenio intentum: & oppoſitum effutientes, & varijs coloribus indutos tueri volentes, quaſi non in ſenſu ipſius Ianſenij, ſed in alio conficto, aut imaginario, fuerint damnatæ, proſcriptæ, & fulguritæ eædem quinque propoſitiones, appellavit *Filios iniquitatis*: vt videre eſt apud Eminentiſsimū Aguirre in Cathedra S. Petri diſp. 1. n. 6. Hæc omnia ſunt certiſsima. Et nemo ea in dubium vertet.

727. Inſuper verba cuiuſlibet gravis Catholici Doctoris, & præſertim eorum, qui de Theologia Morali tam benemeriti fuerunt, ſicut N. Leander, & Thomas Sanchez, benigniſsime quam poſsint, ſunt interpretanda. Nulli imponenda eſt ſententia damnata, falſa, vel multum abſurda, niſi in eo expreſsè habeatur, vel ex eius dictis antecedentibus, concomitantibus, & conſequentibus, rectè collatis, per legitimam, & ineluctabilem conſequentiam inferatur. Eſt expreſſa doctrina Scoti quodlibeto 7. § *Sed quia nulli*, & in 1. diſt. 8. q. 5 §. *De intentione iſtorum*. Caſtro lib. 5. de hæreſib pag 85. Bañez 1. p q. 11 art. 8. dub. vlt. concl. 2. & quā D. Thomas verbo, & exēplis ſemper, & vbique nos docuit. Cum enim Doctores doctiſsimi quibus ſubſcribit Melchior Cano lib. 10. de loc cap. 5.) ſenſerint, Ariſtotelem, & Philoſophorum

Digitized by Google

Gen-

Gentilium Principem, sæpe errasse cõtra sacræ Scripturæ fidem: vt quando negavit, Deũ immittere somnia, res fortunatas Divinæ subijci providentiæ, dari providentiam Divinam, bonorum præmia, malorum supplicia in vita futura, Deum parva curare, libertate gaudere, produxisse mũdum in tẽpore. Cum insuper dixisset idem Aristoteles: omne genitum esse corruptibile, omne incorruptibile esse ingenitum, & ita animam rationalem aiut esse corruptioni obnoxiam, aut esse ingenitam, ac sempiternam: fœtus inanimatos esse pervertendos: dari infinitam animarum multitudinẽ: non dari resurrectionem, existere duo prima principia, Deũ, & materiam primam: & alia id genus. Nihilominus D. Thom. (cui semper summus fuit Aristoteles) eumdem Aristotelẽ semper benignissime quam potuit, salva fide, vtque eius Patronus interpretatus est. Quid mi ergo, & nos benigne interpretemur Doctores Catholicos, hosque gravissimos? Iniustum omnino est damnare sub anathematis pœna doctrinam, quæ aliquo pacto sustineri potest in rigoroso, & proprio sensu Catholico ab assertoribus intento. Et nemini licet notham, sive censuram directè ferre in opinionem vllã Catholicorum virorum, nondũ ab Ecclesia damnatam iuxta Decretum Innocentij XI. ibi in fine: *Cauant ab omni censura.* Licet, quando aliqui Doctores inveniuntur tradere propositiones iam damnatas, & fulguritas, ipsi se prodant, & notha iustos ostendant, nosque in eo iudicando non censeamur iudicium Apostolicæ Sedis antevertere, sed solum sequi: vt notat Emin Aguirre in defens Cathed. disp. 20. n. 7. disp. 22. n. 2. 3. & 36. & disp. 28. in exordio. Quomodo ergo Recentiores isti Theologi Lumbier, Filgueira, Torrecilla, Carmelita Discalceatus, & alij, & quidem doctissimi appingunt N. Leandro, Thomæ Sanchez, & alijs propositionem damnatam in sensu damnato, cum id non exprimat Summus Pontifex: & aliunde possint benigne exponi eorum verba ex antecedentibus, consequentibus, & connexis? Num. 1118. dicemus cum R. P. Fr. Antonio à Matre Dei, Carmilita Discalceato (cuius opera, & diligentia multum adiuti sumus in his Prologomenis) rectam Scripturæ sacræ intelligentiam, vbi ista est obscura, & difficilis, ex antecedentibus, & consequentibus deducendam esse. Profecto Doctores isti quodammodo excessisse, & Sedis Apostolicæ iudiciũ antevertisse, non secutos fuisse, mihi videntur.

728 Et licet respondere pos-

Digitized by Google

posſint, dictam propoſitionem 26. *Siquis, vel ſolus, &c.* totidem ferè verbis haberi apud Thomam Sanchez, & quoad ſubſtantiam apud N. Leandrũ, quiſemper, & vbique, præſertim vero in his, quæ pertinent ad iuramentum amphibologicum, ſeu æquivocum, & reſtrictiones mentales, in divulſo adhæſit eidem Thomæ Sanchez, vt videre eſt in eodem N. Leandro p. 7. tract. 1. diſp. 45. per totam. Nihilominus ſedulo, & diligenter conſiderare debebant Recentiores prædicti, qua ratione limitaverint ijdem N. Leander, & Sanchez eam propoſitionem, ne abſurdum ſenſum redderet, quem præſefert propoſitio, vt iacet, ſeparata, immo avulſa à ſuo contextu: quomodo eam, & mentem ſuã expoſuerint: quas regulas: quæ exempla: quæ corollaria: quæ teſtimonia, quas rationes adhunc finem adduxerint: antequam abſolutè pronuntiarent, talem propoſitionem damnatã in ſenſu damnato à Summo Põtifice fuiſſe traditam ab eiſdem N. Leandro, & Thoma Sanchez. Indidem ad libram mentis, & rationis expendere debebant vniverſam tam gravium Doctorum doctrinam, & ſecum provide examinare: diu cogitare: Si fortè ad vim condemnationis ſartam tectamque ſervandam, & parendum illi in praxi, ne Pontificia damnatio ſuper his duabus propoſitionibus 26. & 27. evadat eluſoria: opus eſſet attribuere propoſitiones damnatas in ſenſu damnato Doctoribus iſtis, & quidem graviſſimis, & de Theologia Morali benemeritiſſimis. In quo, vt ſupra inſinuavimus, quodammodo exceſsiſſe videntur Recentiores iſti, & præcipue Torrecilla. Qui cum in ſua expoſitione vtatur ipſiſſimis regulis, exemplis, textibus, & rationibus, quibus Thomas Sanchez, & ex iſto ea omnia decerpat: vt liquido conſtabit ipſos diligenter legenti, & nos ſummo ſtudio, & labore examinavimus & comperimus, immò & eidem RR. Patri Torrecillæ in ſuo Matritenſi Conventu Sancti Antonij, die 23. Aprilis anno 1685. os ad os diximus: Pontificiam damnationem reijcit in eumdem Thomam Sanchez, N. Leandrum, & alios: & ſe vindicat & liberat ab ea. Addidimus, & etiamnum addimus, vel damnatam ſententiam in ſenſu, in quo ijdem Recentiores ſupponunt potius, quam probant, eſſe damnatam, non eſſe attribuendam, & appingendam N. Leandro, & Thomæ Sanchez, vel ipſorum explicationẽ, & opinionem pariter eſſe damnatas. Dilema iſtud infra ex inſtituto demõſtrare conabimur, & graviſſimis Theologis propo-

Digitized by Google

posuimus, qui omnes rem ita esse, affirmarunt.

729 Pontificiæ ergo damnationis vim sartam tectamque servabimus. Pro illa, & pro Catholica doctrina pro virili nostra, vti par est, pugnabimus: & ita pugnabimus, vt persuadeamus, & nisi nostrum nos fallat ingenium, evidenter demonstremus, ad sartam, tectamque servandam Pontificiam damnationem, & ad eidem parendum, opus non esse, vt in omnibus, & singulis casibus in propositione *Siquis, vel solus, &c.* recensitis, mendacium, aut periurium reperiri, & propositionē damnatam in sensu damnato appingi N. Leandro, & Thomæ Sanchez, existimetur: vt immerito potius supponunt, quam probant Lumbier, Filgueira, Torrecilla, Ioseph à S. Maria Carmelita Discalceatus, & alij. Mentem N. Leandri, Thomæ Sanchez, & aliorū exponemus: eorum sententiam à Recentiorum calumnia vindicabimus. Quia semper nobis incredibile visum est, sententiam adeò receptam, tam in praxi, quàm in Scholis, damnatā fuisse à Summo Pontifice in sensu, in quo Recentiores isti publicarunt, esse damnatam. Hoc è re nostra esse credidimus, & ex quo Recētiorum expositiones lucem viderunt, id in votis habuimus. Et quia se se nobis obtulit occasio adeò opportuna, Sanctissimæ Triadi gratias egimus. Qua auspice, nihil dicemus, quod Pontificio decreto aptissime non inhæreat: nos, & omnia nostra ex toto corde, & humillime Apostolicæ Sedi subijcimus: & RR. P. Didacum de la Fuente Hurtado, immortale decus Sāctissimæ, præexcelsæ, & doctissimæ Religionis Societatis Iesu: eximio sanguinis splendore, egregijs naturæ, & gratiæ dotibus præditum: summa eruditione, sapientia, & prudentia condecoratum, sequemur. Qui rem hanc (sicut & reliquas omnes) tanta maiestate, gravitate, profunditate, subtilitate, claritate, soliditate, styli puritate, verborum proprietate, & formalitate, iudicijque maturitate per tractavit: vt tanti Magistri studio, ingenio, diligentia, & labore gravissima, & difficillima omnium quæstionum, quæ exortæ sunt occasione damnationis Pontificæ: quæque ingeniorum Crux summo iure appellari potest, & ad praxim est pernecessaria: in vltimo, & perfectissimo claritatis gradu constituta esse videatur. Eius ergo vestigijs insistemus. Vtque rem, & difficultatem gravissimam ab altiori principio repetamus, & quanta maxima claritate, distinctione, & brevitate edisseramus: primo proponemus sententias: deinde quædam notabi-

Digitized by Google

bilia præmittemus: & tandem quid sentiamus, & cur etiam sentiamus pluribus conclusionibus exponemus. Quamquam nō simus ignari, multos studiosè contra esse dicturos. Quod vitare nullo modo potuimus, nisi nihil omnino scriberemus, & typis mandaremus. Dicemus ergo vt poterimus, absque dubio incondite: ita tamen vt res possit intelligi, & causa solius veri reperiendi: præcisè necessaria tradentes; non materiam, & rerum farraginem huc invehentes: cum formam, & methodum exponendi Scripturam sacram præscribamus. Quæ nimirum, quo brevior, eo præstabilior erit vt nota eloquentissimus Melchior Cano lib. 12. de loc. cap. 1.

§. SECVNDVS.

Proponuntur sententiæ.

730 PRima sententia circa quæstionem §. præcedenti propositam est negativa. Quæ negat restrictiones studiosè occultatas omnino imperceptibiles ab audiente, & purè mentales (sic eas vocat ista sententia) vlla ex causa posse cohonestari, aut in aliquo casu licitas reddi. Quare affirmat, huiusmodi restrictiones purè mentales semper, & vbique ex natura sua, & intrinsecè esse illicitas; immō mendaces, vel propriè, & rigorosè; aut saltem moraliter, reductivè, & æquivalenter; & si iuramento confirmentur: esse similitèr periuria, vel rigorosè, vel moraliter. Improbat hæc sententia, aut saltem improbare videtur vniversim restrictiones quaslibet mentales, dum ex aliqua circūstantia externa, & sensibili nequit deprehendi, intelligi, aut percipi ab audiente, quonam sensu quis loquatur, vt notat Reverendissimus P. Didacus de la Fuente Hurtado dissert. 17. in fin.

731 Hanc sententiam ante Innocentij XI. damnationem secuti sunt Caietanus, Prosperus Fagnanus, Martinez de Prado, Gonet, Pisani, Malderus, Thomas Hurtado, Azor, Layman, Coninch, Puente Hurtado, Arriaga, Ripalda, Cardinalis de Lugo, quos refert Reverendissimus Didacus de la Fuēte Hurtado in Theologia reformata ab Innocentio XI. dissert. 16. num. 29. Post Innocentij damnationem eamdem tenent sententiam quotquot propositiones istas exponere tentarunt, si excipias prædictum Reverendissimum de la Fuente Hurtado, & Richardum Arsdekin Societatis Iesu Sacræ Theologię professorē in Theologia tripartita tom. 2. p. 3. tract. 1. de opinionum variarum pro-

Digitized by Google

babilitate q. 1. videantur Lumbier, Filgueira, Lastra, Hoces, Prado, vel Carmelita Discalceatus Ioseph à Sancta Maria, Cardenas, & N.P. Fr. Ioseph à Iesu Maria in Respons. Moral. respons. 25. à n. 16. Torrecilla tract. 5. de iustitia, & iure consult. 23. proposit. 26. à num. 62. qui omniū latissimè rem hanc examinasse videtur. Hi sunt Recentiores, quos legere mihi licuit.

732 Thomas Hurtado in suis resolut. Orthodoxo-Moralibus de vero martyrio tract. vltimo, resol. 70. digres. & sect. 6. in fin. pag. mihi 439. col. 1. dicere veritus non est, sapientissimum, & venerabilē P. Leonardum Lesium fuisse primum inventorem, & Auctorē restrictionum pure mentalium, sicut Doctissimus P. Ludovicus Molina fuit primus Auctor, & inventor Scientiæ Mediæ. Præ. dixerat autem idem Thomas Hurtado sect. 2. pag. 433. col. 1. *Igitur contra hunc novum mentalem restrictorem (nullus enim tale dixit, nisi à tempere Lesij, nisi ex communi vsu in modo loquendi tale signatum posset cognosci)::: Argumentor primò.* Vbi Sapiētissimus Theophilus Raymundus tom. 14. in Opusculo speciali, & 3. contra eumdem Thomam Hurtado pro vindicando Lesio advertit eiusdem Thomæ Hurtado Grammaticā, dum Lesij doctrinam, tanquam novā nimio ardore impugnare aggreditur, licet irrito conatu.

733 Illustrissimus Caramuel ex diametro opponitur Thomæ Hurtado pro doctissimis Iesuitis in suo Haplote de restrictionibus mentalibus art. 2. n. 49. Vbi supponit, Ottingerum in suæ Orientalis historiæ lib. 1. cap. 3. pag. 182. restrictiones purè mentales doctissimis Patribus Iesuitis appegisse. Et ab Ottingeri invidia (sic eam vocat) eosdem Patres Societatis Iesu vindicat, dicens, restrictiones mētales nullo modo restrictas non admitti ab aliquo ex Iesuitis, quos ipse Caramuel legere potuit. Et ita concludit: *Iesuitis ergo imponit homo Hæreticus* (Ottingerius, vel Ottingerus) *quod nunquam apud illos reperiet.* Ipse Caramuel loco citato acriter ex professo impugnat restrictiones purè mentales.

734 Ioannes Barnesius, natione Anglus, Ordine Benedictinus, ante Thomā Hurtado prædicti Leonardi Læsij doctrinam, tanquam in praxi pernicioſam, & commercij humani destructivam in odium Societatis Iesu iniquè traduxerat, quem sequutus fuisse videtur Thomas Hurtado, vt notat Theophilus Raynaudus loco nuper citato, vbi eruditissimam confecit apologiam in tutamen

Le-

Digitized by Google

Lesij contra Barnesiũ, vbi cap. 24. num. 2. respondens argumentis Barnesij idem Theophilus Raynaudus ait: Barnesium de industria cudisse novum genus æquivocationis insensatæ (ideſt omni iusta causa destitutæ) vt ipsemet nominat, de quo cogitare nunquam venit in mentem Lesio, vel vlli alij præter quam ipsius insensatæ æquivocationis (omni iusta causa destitutæ) Auctori, & impugnatori Barnesio. Hactenus Raynaudus.

735 Prædicti Recentiores prædictas exponentes propositiones, præsertim vero Torrecilla num. 72. asserit, per Pontificium decretum solum damnari Amphibologias, seu restrictiones purè mentales, & declarari, huiusmodi restrictiones purè mentales esse mendacia, & iuramẽto confirmatas esse periuria. Quam conclusionem addit num. 74. esse indubitabilem. Num. vero 77. inquit, amphibologias, seu restrictiones sensibiles, externas, aut non purè mentales non esse comprehensas in dicta condemnatione; & sic sentire Lumberium, Hoces, & Filgueiram. Quod etiam docet supra laudatus Carmelita Discalceatus.

736 Addunt Lumberius in præsenti num. 1840. & Filgueira in Lucerna huius decretalis proposit. 26. v. *Nihilominus*, Summum Pontificẽ damnasse mendacij, aut periurij ciuiusmodi restrictiones purè mentales in omnibus, & singulis casibus in eadem propositione recensitis: ita vt in omni, & quovis casu ex ibidem enumeratis indispensabiliter reperiatur mendacium, atque periurium. Quod, vt advertit Didacus de la Fuente Hurtado differt. 14. num. 6. immerito supponunt potius, quam probant. Idem autem dicendum videtur de Torrecilla, & Carmelita Discalceato.

737 Secunda sententia est Sapientissimi P. M. Francisci de la Lastra, in Sacra Theologia Doctoris: insignis Theologi in vtroque iure versatissimi, huius almæ Salmantinæ Vniversitatis Decani, cunctisque virtutibus ornati, mihique semper colendissimi, & venerandi, qui tom. 1. in recolectionibus, & quæstionibus Moralibus in explicatione harum propositionum pag. 604. n. 131. asserit, se capere non posse tam difficilem distinctionem restrictionum purè mentalium, & nõ purè mentalium. Addit, prædictam propositionem damnatam esse scandalosam, pernicieſam, & falsam quoad omnes suas partes. In ea tamen, superaddit, nõ comprehẽdi casum in quo quis illegitimè, & contra ius interrogatur: quia tunc interrogatus

non tenetur sincerè veritatem aperire, sed illam occultare potest tam factis, quam dictis, si sequatur aliquod inconveniens, vel sit contra vrbanitatem, charitatem, aut aliam virtutem, aut si immineat periculum, aut detrimentum contra ipsum respondentem. Quia tunc interrogatus eximitur ab obligatione sincerè loquendi.

738 Tertia sententia admittit distinctionem restrictionum purè mentalium, & non purè mentalium, & addit, restrictiones purè mentales non semper esse illicitas, sed aliquando ex iusta causa, vrgentique necessitate posse cohenestari, licitasque reddi; addito etiam iuramento, citra omne mendacium, aut periurium, si restrictio tacita pure mentalis in mente retenta, locutionē complens, integrans, perficiens, & verificans fiat sine intentione fallendi proximum in casu gravis necessitatis, vel iniustæ coactionis, cui absque aliquo gravi incommodo proprio, vel alieno aliter hic & nunc nequit occurri. Hæc sententia communissima fuit inter Catholicos, tam in praxi, quam in Scholis receptissima, & apud Angelicum Doctorem pluribus in locis expressissima. Eximius Doctor P. Franciscus Suarez tom. 2. de Religione, lib. 3. de iuramento, cap. 10. num 4. eam vocat practicè securissimam, & in rigore veram: doctissimus Navarrus in cap. *Humanæ aures* 22 quæst. 5. eamdem vocat Catholicam, & certam. Eamdem sequuntur innumerabiles Auctores ex florentissimis, & Sanctissimis Religionibus Sancti Dominici, Sancti Francisci, & Societatis Iesu, quorum plures referunt noster Leander part. 7. tract. 1. disp. 45. per totam, præsertim quæst. 10. & sapientissimus P. Didacus de la Fuente Hurtado in Theologia reformata dissert. 16. à num. 2. vbi eumdem nostrum Leandrū etiam refert. Vno verbo. Huic sententiæ subscribunt Theologi propemodum vniversi, insuper, & Canonistæ, & Iuristæ, prætertim verò vltra præappellatum Navarrum, Illustrissimus Præses Cobarruvias, & D D Iosephus de Retes Primarius Salmanticensis. Eamdem etiam sequitur Thomas Hurtado, vel invitus tom. 2. variarum tract. 7. cap. 1. num. 8. vbi expressè affirmat, absque errore in fide non posse negari absolutè loquendo, licitas esse amphibologias, ac restrictiones mentales.

739 Post Innocentij XI. damnationem, huius vi lata, tectaque remanente: & debita obedientia exhibita Sedi Apostolicæ, eamdem tertiam sententiam sequitur Reverendissimus P. Didacus de la Fuente Hur-

Digitized by Google

Hurtado à dissert. 14. in dicta Theologia reformata, salvo semper Apostolicæ Sedis, ac superiorum iudicio, prædictam vigesimam sextam propositionē exponit, vtque nemo alius (absit invidia verbo) eorum, qui hactenus propositiones istas exponere aggressi sunt. Addit, quod si res ipsa introspiciatur, & quidnam sentiant Auctores primæ, & tertiæ sententiæ, cum ad casus particulares devenitur, vix, aut ne vix quidem invenietur in quo prima sententia differat à tertia quoad praxim. Immō quoad speculationem etiam parum differt. De secunda autem sententia idem dicito. Quod etiam obseruavit Ricardus Arsdekim loco citato in Theologia tripartita. Vide eumdem De la Fuente Hurtado dicta dissert. 16. à num. 30. 75. & alibi. Cuius sententiæ libentissimè subscribimus. Pro eius tamen clariori intelligētia nonnulla præmittemus notabilia.

§. TERTIVS.

Nonnulla præmittuntur notabilia.

740 NOtabile primum. Restrictio, vel amphibologia pure mentalis, & omnino insensibilis dicitur, quando verba secundum se sumpta, nec simul cum circunstantijs externis loci, temporis, officij, interrogantis, vel respōdentis, aut ex obligatione vtriusque, aut ex consuetudine, aut alia simili sensibili, & externa circunstantia, explicita, vel implicita, vel figura Rethorica, verum recipiunt sensum; sed tantū coniuncta cum alijs verbis, quæ sola mente subintelliguntur, & à Deo, & ab ipso loquente percipiuntur, aut humano modo percipi possunt, v. g. interrogas me, an hodie bene comederim? Et ego bene pransus tibi respondeo: me hodie nihil comedisse: subintelligendo in mente mea, *nihil carnium*. Quod mente tantummodo additum complens, integrans, perficiens, & verificans locutionem illam: *Me nihil comedisse*: à solo Deo, & à me intelligi potest iuxta communem prudentum existimationem.

741 Restrictio non purè mentalis, sed externa est, & dicitur quando verba, quæ mentaliter, & internè limitantur, aut restringuntur, sunt æquivoca, aut ex sua significatione, & institutione reipublicæ, aut ex communi vsu audientium, aut ex alijs circunstantijs loci, temporis, officij, interrogantis, aut respondentis, aut ex vtriusque obligatione, aut ex aliqua figura Rethorica, aut ex alia simili circunstantia sensibili, & externa; ita taliter vt vtrumque admit-

Digitized by Google

mittant sensum: ideſt, tam interrogantis, & audientis, quam proferentis, & respondētis: tam sensu, quem intendit interrogans, vel existimat audiens; quā quem in sua mente retinet verba proferens, & respōdens. V.g. interrogas me, an liber iſte ſit Antonij? & respondeo, esse Antonij: ſubintelligendo in mente mea, Antonium esse dominum huius libri. Et tu intelligis, eumdem Antonium esse huius libri Auctorem.

742 Propoſitio damnata: Siquis, &c. non loquitur de eo, qui vtitur verbis æquivocis duas diverſas ſignificationes habentibus, nec de illo, qui vtitur generalibus verbis habentibus aliquam limitationem tacitam, aut reſtrictionem communiter ſubintellectam à iure, à conſuetudine, ab externa circunſtantia loci, temporis, perſonarum, officiorum, finis, modi, ſubiectæ materiæ, aut figuræ Rethoricæ. Quilibet enim prudens talia audiens verba poteſt, & tenetur advertere, præter verborum corticem, quidpiam aliud ibi fortè ſubintelligi. Nā verba iſta: *Non feci: non memini: neſcio: non vidi: non comedi: non bibi: non tetigi: non faciam: non revelabo: dabo tibi*, & alia æquivalentia, vel ſimpliciter prolata, vel etiam iuramento aſſertorio, vel promiſſorio confirmata, ſi talem habeant circunſtantiā externam, certum eſt, audientē ſibi imputare debere deceptionem ſuam, ſi fortè decipiatur occaſione reſponſionis. Et occaſio iſta deceptionis non eſt data, ſed accepta. Immò ab ipſo, qui decipitur, voluntariè quæſita, & à reſpondente dumtaxat permiſſa, & reſpondens per talem reſtrictionem ſuo vtitur iure, & ſe defendit ab iniuſta interrogatione.

743 Notabile ſecundum; Propoſitio damnata à Sede Apoſtolica, vt iacet, aſſerebat, omnes, & ſingulas reſtrictiones, etiā purè mentales, ac omnino occultas, ſeu prorſus imperceptibiles ab audiente ſufficere, vt verba eſſent omnino libera ab omni culpa mendacij, vel periurij in omnibus, & ſingulis caſibus in eadem propoſitione ſingillatim expreſsis, & ex quocumque tandem fine haberentur; ſive ex fine decipiendi proximum, ſive ſine iuſta cauſa, ex ſola libidine loquendi. Eſt enim propoſitio copulativa, & in tot caſus reſolvenda eſt, quot in illa continentur, iuxta communes regulas, quas tradunt Sumuliſtæ, dum tractant de terminorū ſuppoſitione, propoſitionū quātitate, oppoſitione & expoſitione, quæ videri poterunt in N. Curſu Phil Trinitario, tom. 1. à num 81. 137. 190. & alibi. Propoſitio damnata neutiquam attendebat, an reſtrictio interius

Digitized by Google

rius addita, & sola mente retenta fiat ex aliqua iusta causa, ex vrgenti, notabili, gravique necessitate, propria, vel aliena, vel sine illa: merè voluntariè, vel coactè: serio, an ex ioco: nullo interrogante, vel ad iniquam, iniustam, indiscretam, stolidâque interrogationem ex hoc fine, vel ex alio quocumque, licet esset ex fine, necdum interpretativo, vel virtuali, verum etiam directo, formali, expressoque decipiendi proximum. Aiebat igitur: quod quomodocumque talis restrictio purè mentalis haberetur verbis, vel signis, ista liberabat à culpa mēdacij, vel periurij semper, & vbique in omnibus, & singulis casibus in tali propositione recensitis. Et hinc sponte sua fluit legitimus propositionis damnatæ sensus, qui est huiusmodi.

744 Quisquis sola pura mentali restrictione sua dicta verificat, quamvis iuramento vtatur, nunquam mentitur, nec peierat.

En quanta, qualisque est quantitas huius propositionis: Qualis terminorum illius suppositio! Hæc absdubio est copulativa. Sicut & propositio ipsa sine dubio est vniversalis.

745 Tertium notabile: Quando damnatur aliqua vniversalis propositio, non ideo intelliguntur damnatæ omnes, & singulæ particulares in ipsa cōprehensæ, nec vniversalis propositio eidem contraria ex vi cōdemnationis adstruitur. Tū, quia ad falsificandam propositionem vniversalem negativam sufficit, quod detur aliqua particularis affirmativa vera. Sicut etiam ad falsificandam vniversalem affirmativam, sufficit particularis negativa. Tum, quia duæ propositiones vniversales contrariæ possunt esse simul falsæ. Vide nostrum Cursum vbi supra à num. 138. 159. &c. Explicatur doctrina ista exemplis clarissimis. Duo tantum profecram, quia quæ perspicua sunt, longa esse non debent. Eius tamen erunt generis, vt intellectu sint facillima. En primum exēplum. Omnis homo salvari potest in qualibet secta, & Religione etiam Mahometana, vel Luterana. Nullus homo salvari potest in sua secta, vel Religione etiam Catholica. En secundum: nullum iuramentum est periurium. Omne iuramentum est periurium. Adde tertium. Semper licet alienas culpas manifestare. Numquam licet, alienas culpas manifestare. En ambæ vniversales sunt falsæ, & hæreticæ. Quandoque licet, & quandoque non licet manifestare culpas alienas iuxta varietatem circunstantiarum, negotiorum, & causarum. Datur iuramentum, quod sit periurium. Datur & quod non

Digitized by Google

sit periurium. Est Religio Catholica, in qua homo salvari potest, & de facto salvatur. Datur & Religio, vel secta Mahometana, vel Lutherana, in qua homo salvari non potest.

746 Cum ergo propositio damnata, vt iacet, sit adeo vniversalis, tam quoad vsum restrictionum purè mentalium, quam quoad fines vtendi in praxi eisdem restrictionibus purè mentalibus, vt supra habitū est: vt damnationis vis sarta, tectaq; servetur, vtque eidē damnationi obedire teneamur: vt propositio damnata, sicut iacet, sit pernicioſa, scandalosa, falsa, intolerabilis, digniſsimaque quæ expungatur, vel expurgetur à libris in quibus reperitur, non requiritur, quod in omnibus, & singulis casibus, in eadem damnatione singillatim copulativè expressis, censeatur revera inveniri mendacium, aut periurium, vt immerito sentiunt, vel supponunt Reverendiſsimi Patres Lumbier, Filgueira, Lastra, Carmelita Discalceatus, & reliqui Recentiores supra numerati. Inter quos ipse Sapientiſsimus M. Lastra expressè affirmat, in dādatione non comprehendi casum illum, in quo quis illegitimè contra ius, & imprudenter interrogatur. Quia cum supponat interrogans in interrogato moralem potentiam, vel obligationem participandi notitiam illam, quam habet de illa re, de qua interrogatur, vel quæritur: & interrogatio ipsa ex natura sua exigat totum hoc, ne indiſcreta, imprudens, stolida, vel iniusta sit: respondens potest celare veritatem, vel non communicare notitiam suis dictis, vel factis, respondendo iuxta naturam interrogationis discretæ, prudentis, & iustæ, quam ipse interrogans habere deberet intra terminos rationalis convictus, communis vsus, & iuris, intelligendo, & supplendo particulas illas, quæ ex circunstantijs loci, temporis, officiorum, &c. intelligi, & suppleri solent in similibus responsionibus: & quantum attinet ad falsitatem, vel veritatē propositionis apud peritos, & etiam vulgus perinde est, quod exprimantur, vel quod supprimantur tales particulæ. Et Reverendiſsimus M. Lastra, vel invitus incidit in restrictionem non purè mentalē, quam admittit prima sententia. Quia in hoc casu dicitur restrictio, non purè mentalis, sed externa. Et extra istum casum dicitur purè mentalis.

747 Sufficit igitur defendere eius contradictoriā, assignando aliquam propositionem particularem in illa vniversali, & copulativa contentam, in qua periurij, atque mendacij labes revera inveniatur, non obstante illa restrictione purè mentali, ac-

Digitized by Google

atque occultissima. Quia iam propositio illa vniversalis copulativa, vt iacet in Pontificio decreto, nullo modo defendi, aut doceri poterit. Quandoquidem propositio vniversalis copulativa falsa redditur per falsitatem cuiuslibet propositionis particularis in illa cõprehensæ. Hoc prænotavi, vt explanaretur: quid sit illud, de quo disputant Theologi: præsertim post damnationem Pontificiam, & ne vagari, & errare cogantur, vel & ipsi, qui rem hanc tractant, si ipsi, qui iner se dissentire videntur, non idem esse illud, de quo disputatur, intelligant. Vide la Fuente Hurtado dissert. 14. num. 3.

748 Quartum notabile. Restrictiones pure mentales ex quocumque fine, & sine iusta, & rationabili causa habitæ, sunt dãnatæ in prædicta propositione. Et ipsæ sunt mendacia, vel proprie, & rigorose, vel saltem Moraliter, reductive, & æquivalenter. Et quando iuramento confirmantur, sunt periuria, vel rigorosè, & propriè, vel saltem Moraliter reductive, & æquivalenter. Ex adverso licitum est, ex iusta, rationabilique causa vti verbis, quæ per solam puram restrictionem mentalem verificantur. Et huiusmodi restrictiones ex iusta, & rationabili causa habitæ, non sunt mendacia. Et quando iuramento confirmantur, non sunt periuria. Totum hoc debet intelligi, sublata, necdum directa, & expressa, verumetiam indirecta, & implicita intentione fallendi proximum. Notabile istud quoad vtramque partem infra probabitur. Satis iam de notabilibus.

§. QVARTVS.

Variæ proponuntur conclusiones.

749 PRima conclusio. Propositio vigesima sexta: *Siquis, vel solus, &c.* iustissimè damnata est, vt iacet: tanquam scandalosa, & pernicioſa in praxi propter illud verbum: *Sine alia quocumque fine.* Ita Reverendissimus de la Fuente Hurtado dissert. 14. n. 12. Probatur. Saltem verba, quæ quis sponte sua, loquendi libidine, sine iusta, & rationabili causa profert ex intentione directa, formali, & expressa decipiendi proximum opponuntur præcepto naturali, & diuino non decipiendi proximum, & virtutibus veritatis, vel veracitatis, sinceritatis, amicitiæ, & iustitiæ, cuius illæ sunt partes (iuxta Aristotelem, & Divum Thomam) insuper, & charitatis, vt à num. 684. expensum est. Insuper opponuntur directè omni humano commercio, & rationali convictui. Immò formalissime, vel saltem moraliter, re-

Digitized by Google

reductive, æquivalenter, & in prudentum existimatione sunt mendacia, iuxta dicta à n. 680. Et si iuramento firmentur similiter sunt periuria *Propositio* ergo illa, quæ, vt iacet, continet doctrinam docentem, neminẽ mentiri, vel peierare, qui per restrictionem pure mentalem ex tali fine fallendi proximum, & sine iusta causa loquitur, est pessima regula morum, perniciosissima vivendi norma. Iustissime igitur vel ex solo hoc capite damnata est ab Innocentio XI. prædicta propositio, vt iacet, tanquam scandalosa, & perniciosa in praxi, & dignissima est, quæ expungatur à libris, & quæ sine debita explicatione non imprimatur. Consequentia est legitima. Et antecedens vel & ipsis labijs, & tonsoribus per se notum videtur, si natura mendacij, & periurij, & humanarum obligationum rectè penetretur.

750 Secunda conclusio. Prædicta propositio etiam iustissime damnata est ex eo quod supponit, restrictiones purè mẽtales nunquam esse illicitas, nisi ex fine, aut circunstantijs pravis. Ita Reverendissimus de la Fuente Hurtado dissert. 14. n. 23. Probatur. Sæpè incumbit loquenti, vel respondenti obligatio specialis propalandi cãdidè, & syncerè veritatem nullo artificio palliatam, sed potius patentem, & nudam. Quæ specialis obligatio ex multiplici virtute oriri potest, ex fide nimirum Catholica, charitate, Religione, iusticia, &c. Si enim vrgear à tyranno, & Dei honor periclitetur, catholicam fidem syncerè, & candidè debeo externe profiteri. Si occultatio proximo noceat, vt sæpè solet nocere in contractibus, & testibus, veritatem candide manifestare teneor, vt alia pro nunc omittam exempla, quæ poterunt videri apud Nostrum Leandrum p. 7. Ergo propositio damnata, quæ, vt iacet, contrarium docet, iustissimè etiam ex hoc capite est damnata.

751 Tertia concusio. Propositio illa: Siquis, solus, &c. iustissimè damnata est propter illa verba: *Non est periurus.* Ita Sapientissimus P. Didacus de la Fuente Hurtado dissert. 15. à num. 22. Pro cuius probatione supponendum est cum eodem, quod propositio illa docet vniversaliter, non reperiri periurium in aliquo ex casibus in ea enumeratis. Reperiri autem huiusmodi periurium, saltim in aliquo casu, videtur certissimũ. Periurium enim sumitur primo latè pro quocumque iuramento irreligioso, illegitimo, seu virtutis Religionis violativo, & cui deficit quilibet ex tribus comitibus, qui copulativè requiruntur

Digitized by Google

tur ad eiusdem iuramenti honestatem. Sunt enim iuramenti comites iudicium, veritas, & iustitia iuxta Divum Thomam 2.2. q.89. art.3. nostrum Leandrum p.7. tract.1. disp.7. & reliquos. Vnde, quamvis locutio, quæ iuramento confirmatur, sit vera, & res, quæ affirmatur, sit iusta: si tamen non adsit iudiciū, vel iusta causa, si in vanum, & absque vllo fructu ob solam iurandi libidinem dictum iuramento confirmetur, iuramentū erit periurium, quia opponitur Divinæ maiestati, cuius auctoritas postulat, ne in vanum adducatur in testem.

752 Dubium est inter Theologos: an huiusmodi iuramentum, & latè periurium sit peccatum mortale, vel veniale? Noster Leander dicta 7.p.tract. 1.disp.45. q. 12. Thomas Sanchez in summa lib. 3. cap. 6. n. 22. & alij censent, probabilius esse, quod solum sit peccatum veniale, præsertim, quando scādalum abest, nec adhibetur in iudicio, aut materia præiudiciali.

753 Secundo accipitur periurium pro iuramento fallaci nequiter decipiente proximum. Et in hoc sensu vsurpatur in capite *Vnusquisque* 8. cap. *Inter cætera* 22. causa 22. quæst. 4. Et in hoc sensu opponitur præcepto negativo non decipiendi proximum explicato à num. 684. cunctis virtutibus ibidem recensitis, & præcepto affirmativo manifestandi syncere, & candide mentem nostram in omni convictu rationali, dum cum alijs agimus: & non habemus iustam causam occultandi veritatem, aut permittendi deceptionem proximi. Et qui sine causa iusta, omnino sponte, sola loquendi libidine coactus iuramento confirmat locutionem purè mentaliter restrictam, fallaciter agit: proximum activè verè scandalizat, & decipit: abutitur iuramento, & religione.

754 Tertio accipitur periurium strictissime. In qua acceptatione sic definitur: Periurium est mendaciū rigorosum, & proprium iuramento firmatum: vel ita: Periurium est iuramentum ipsum confirmans mēdacium, seu locutionem contra mentem. Vide nostrum Leandrum p.7. tract. & disp.1.

755 Hoc animadverso, facile probatur nostra conclusio. Quolibet ex tribus modis vsurpetur periurium, propositio docens, vt prostat, & iacet, non dari periurium in aliquo ex casibus in eadem recensitis per modum regulæ directivæ humanorum actuum nequit non esse scandalosa, & pernicioſa in praxi. Quia opponitur directè Religioni, iustitiæ, & veracitati. Sensus enim illius propositio-

Digitized by Google

tionis est: *Siquis, vel solus, vel coram alijs, &c. iuret, se non fecisse, quod fecit, intelligendo intra se aliquod additum verum, revera non mentitur, nec iurando peccat contra iuramenti Religionem; nec contra proximi iustitiam, nec contra synceritatem, aut veracitatem.* Qui sensus pernicioſissimus est, & scandalosus. Adducere enim Deum in testem locutionis otiosæ, illicitæ, & iniquæ ad imprimendam in audiente suam notitiam, ad augẽdam, confirmandam, & roborandam suam iniquam locutionem, ad decipiendum proximũ auctoritate propria, & Divina valde irreligiosum, & rationi dissonum est: & contra reverentiam Deo debitam. Quod per se manifestum esse videtur. Vel ergo ex hoc solo capite iustissime damnata est talis propositio, vt iacet, tanquam scandalosa, & pernitiosa in praxi. Vt enim propositio aliqua per modum regulæ practicæ humanorum actuum iudicetur scandalosa, & pernicioſa, vtque talis proscribatur, sat, superque est, quod in materia fidei, vel morum præbeat occasionem errandi, ac deducendi ad praxim, tanquam licitum, & non dissonum rationi id, quod revera est illicitum, & rationi contrarium. Videndus est Reverendissimus P. Didacus de la Fuẽte Hurtado dissert. 15. à num. 22.

756 Rationes, quibus trinam præcedentem probavimus conclusionem ex notabilibus efficaciter confirmantur. Vt aliqua propositio vniversalis sit falsa, scandalosa, pernicioſa in praxi, immò hæretica, vt iacet, vtque talis à Sede Apostolica damnetur, sufficit, quod aliqua particularis contenta in ea sit huius conditionis, vt patet ex adductis exemplis. Sed aliqua propositio particularis contenta in illa vniversali est huius conditionis, tum propter illa verba: *Sine alio quocumque fine*: sive propter illa: *Non mentitur, nec est periurus.* Tum propter ea, quæ talis propositio docet de periurio. Ergo.

757 Quarta conclusio. Restrictiones pure mentales, quando fiunt sine iusta, & honesta causa, sine gravi, vrgenteque necessitate, propria sponte, vel dumtaxat causa recreationis, sunt illicitæ, pernicioſæ, atque scandalosæ. Ita prædictus de la Fuente Hurtado dissert. 14. n. 25. Sunt enim mere voluntariæ, & in vanum exercentur, quamvis desit pravus finis decipiendi, aut occultandi veritatem, cuius integra manifestatio aliqua lege præcipitur. Addit doctissimus Pater, conclusionem istam esse certissimã, nec de ea esse inter Auctores controversiam, licet aliunde nõ conveniant inter se, nec quoad spe-

Digitized by Google

ſpeciem, nec quoad quantitatē peccati, quod quis committit, quando ſine iuſta cauſa, gravi vrgenteque neceſsitate propria ſponte, vel ſolius recreationis cauſa vtitur huiuſmodi amphibologijs, vel reſtrictionibus pure mentalibus. Eſt expreſsissima doctrina noſtri Leandri part. 7. tract. 1. diſp. 4. Pro eadem ſententia, & concluſione referuntur Suarez lib. 3. de iuramento, cap. 8. num. 10. Thomas Sanchez dicto cap. 6. num. 16. Leſius lib. 2. de iuſticia, cap. 42. n. 48. Theophilus Raynaudus, & alij ab eodē Didaco de la Fuente Hurtado. Et ex mente omnium teſtatur concluſionem Proſper Fagnanus 1. p. ad 5. lib. Decret. in cap. *Falſitatis*, de crimin. falſ. num. 20. Si ergo propoſitio damnata, vt proſtat loquuta eſt de huiuſmodi reſtrictionibus purè mentalibus ſine iuſta cauſa exercitis, & eas eſſe licitas, aſſerit, & iuramento confirmatas, eſſe periuria, negat, iuſtiſsime damnata eſt: primo: *Tanquam pernitioſa in praxi*: quia docebat praxim illicitam, & humanæ ſocietati manifeſtè nocentem, reddendo iſtam praxim faciliorem, atque frequentiorem, ſublato fœnore peccati, atque periurij, quod retrahere debet homines ab vſu huiuſmodi reſtrictionum purè mentalium. Secundo: *Tanquam ſcandaloſa*: quia præbuit occaſionem credendi, in huiuſmodi reſtrictionibus, ſublato peccato mendacij, atque periurij nullam aliam ibi ſupereſſe malitiam.

758 Addit idem doctiſsimus P. de la Fuente Hurtado, concluſionē iſtam necdum eſſe apud omnes receptam, verum etiam ferè per ſe notam apparere. Ita num. 49. eiuſdem diſp. Ratio eſt: quia huiuſmodi reſtrictiones purè mentales ſine iuſta cauſa exercitæ funditus evertunt civilem omnem converſationem, mutuum vnius hominis cum alio commercium in contractibus, iudicijs, converſationibus, & negotijs politicis, & familiaribus: opponuntur directè præcepto Divino, & naturali ſyncerè loquendi, & proximum non decipiendi, quo tenemur mutuā conſervare charitatem. Videnda ſunt omnia quæ diximus à num. 684. de mendacio. Semel enim, atque admittantur huiuſmodi reſtrictiones nulla relinquetur confidentia, vt homines cum hominibus rationabiliter agant. Sēper prudenter dubitare poterimus: num loquens ſyncerè loquatur. Et quamvis nobis affirmaret, ſe ſyncerè loqui: & ſine vlla reſtrictione, & vt iacent, & in ſenſu, quem præſeferunt, verba vſurpare, adhuc nullam mereretur fidem. Quia hoc ipſum per mentalem aliam reſtrictio-

nem

nem merè voluntariam, & purè mentalē restingere, atque limitare posset, vt ita nos deciperet.

759 Ad hæc. Præscindendo pro nunc ab eo quod huiusmodi locutiones purè mentales, & omnino voluntariæ sint rigorosum, & proprium mendaciū, & iuramento confirmatæ verū periurium: nemo infitias ibit, aut negare poterit, huiusmodi modum agendi cum proximis magnam habere mendacij speciem: cum ab ipso nulla exteriori nota distinguatur. Opponitur etiam modus iste loquendi, & quidem directè fini ad quem verba, & signa externa naturaliter instituta sunt. Ex huiusmodi loquendi modo sequuntur per se, & ex natura sua omnia illa mala, quæ ex mendacio oriri diximus. Modus iste loquendi est scandalū activum, Vide suprà à n. 683.

760 Quinta conclusio, Illicitum est vti verbis æquivocis, & amphibologicis, quamvis in aliquo sensu veris, ex quibus prævidemus proximum decipiendum, aut in errorem inducendum; si non habeamus iustam, & rationabilem causam vtendi huiusmodi verbis æquivocis. Ita La Fuente Hurtado. dissert. 14. num. 35. & dissert. 15. num. 30. Lugo disp. 4. de fide, num. 68. vbi addit, omnes convenire in hac cōclusione, & Caietanus 2. 2. q. 89. art. 7. Licet enim materia erroris prædudicialis non adsit, nec fidei, aut honestati contraria, nullumque immineat aliud incommodum, quam proximi deceptio: nihilominus hæc sola, & eius implantatio in mente nostri proximi est malum quoddam naturæ rationalis. Quod vnusquisque studere debet, ne occasio sui proximo contingat, adhuc per actiones aliàs licitas, atque de se indifferentes, nec dum pravas, aut speciem mali habentes, dum rationabilis causa aliud agendi non suppetit. Quod postulat ipse convictus humanus, charitas, veritas, & simplicitas. Et in hoc genere servandæ sunt regulæ, quas Theologi tradunt circa scandalum.

761 Sexta conclusio. Omnes restrictiones pure mentales merè voluntariæ, proximi deceptivæ, iusta causa destitutæ (de quibus in præcedenti conclusione) vt minimum sunt verè, & propriè mendacia saltem moraliter in æstimatione prudentum, æquivalenter, & reductivè, & si iuramento firmentur, erunt similiter reductivè periuria. Ita Fuente Hurtado dicta dissert. 14. num. 18. & à num. 49. & addit num. 50 Thomam Sanchez, & reliquos, qui cum alioqui censeant, illas esse certò illicitas, minimè negaturos cōclusionē istam. Quia, si dicunt, huiusmodi restrictiones nō esse men-

Digitized by Google

mendacia propriè, & rigorosè, ideo ita loquuntur, quia de rigore, & proprietate Physica, materiali, & entitativa loqui videntur; non vero de rigore, & proprietate morali. In qua proprietate morali huiusmodi restrictiones purè mentales iusta causa destitutæ sunt verè, & propriè mendacia moraliter saltè, in æstimatione prudentū, æquivalenter, & reductivè, & si iuramento affirmentur, similiter reductivè sunt periuria. Et in hoc sensu pio, & benigno interpretandi, & exponendi sunt noster Leander, Thomas Sanchez, Lessius, & reliqui omnes Doctores, quibus immerito appingitur à Recentioribus sententia damnata in sensu, in quo ipsi asserunt, esse damnatam.

762. Ratio autem nostræ conclusionis est. Quia in civili, rationali, & humana conversatione, & convictu huiusmodi restrictiones purè mentales, & merè voluntariæ, iusta, & rationabili causa destitutæ pro non adiectis habentur, sicuti condiciones impossibiles, & turpes pro non adiectis haberi solent in cōtractibus. Ad hæc. Omnia, & singula mala, quæ oriuntur, ex mendacio in rigore, & proprietate Physica propriè, & rigorosè accepto, oriuntur etiam ex restrictionibus purè mentalibus, purè voluntarijs, & iusta causa destitutis. Quod rem sine partium affectu contemplanti liquido constabit, & manifestè convincitur ex Augustino, Divo Thoma, & alijs Sanctis Patribus quæstione precedenti relatis.

763. Septima conclusio: Licitum omnino est ex iusta rationabilique causa per restrictionem pure mentalem, aut æquivocam locutionem, eludere interrogantem responsione nostra, ne percipiat v. g. quod ipsi nescire expedit: vel nobis: Est conclusio omnino certa, teste Fuente Hurtado dissert. 16. num. 8. & casus iste frequentissimus est in confessarijs, Principum legatis, militiæ Ducibus, & cunctis hominibus, qui passim interrogantur de his, quæ absque gravi, & notabili incommodo proprio, vel alieno, vel absque peccato, & violatione præcepti Divini, naturalis, vel positivi sincere, & candide palam manifestare non possunt: & per restrictionem purè mentalem, & internam, omnino imperceptibilem, & indeprehensibilem hic, & nunc, huiusmodi occurritur incommodis, & etiam vitatur mendacium.

764. Hunc modum eludendi interrogantes ea, quæ sub secreto novimus, aut ipsis interrogantibus, vel nobis, vel alijs graviter nocere possunt, docent nos in primis Scriptores Canonici, & quod caput est ipse

Digitized by Google

se D. N. Iesus Christus. Marci enim 13 & 32. interrogatus ab Apostolis respondit, se nescire diem iudicij. Lucę 8. v. 45. dixit: *Quis me tetigit?* Et Paulo inferius: *Tetigit me aliquis?* Et Ioannis 11. v. 34. *Vbi posuistis eum?* Quibus, & similibus verbis interdum significabat Christus Dominus, se nescire ea, quæ optime noverat, & loquebatur in sensu aliquo mystico, spirituali, qui vnicè poterat verificare verba Christi Domini, & qui ex nulla externa circunstantia, omnibus circunstantijs externis prudenter consideratis, poterat deprehendi, percipi, aut intelligi ab audientibus, eo quod significationes intentæ à Christo Domino, tam in respondendo, quã in interrogando essent occultissimæ, & tam occultæ, quã restrictiones pure mentales. Et nemo hominum, nisi per diuinam revelationem deprehendere, aut intelligere poterat occultissimum illum sensum, quo verba verificabantur, cum ex voluntate merè interna ipsius Christi D. determinantis verba illa ad talem sensum, & significationem, ista dependerent, non vero determinarentur ex externis circunstantijs.

765 Huius generis sunt verba illa Lucæ 24. *Finxit, se longius ire.* Et Ioannis 7. v. 8. *Ego autem non ascendam ad diem festum istum.* Illud eiusdem Ioannis 2. v. 19. *Soluite templum hoc: & in tribus diebus excitabo illud.* Matth. 9. v. 24. *Non est mortua puella, sed dormit.* Illud Gen. 27. v. 19. *Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut præcepisti mihi.* Illud Tobiæ 5. v. 6. & 7. *Vnde te habemus bone iuuenis? At ille respondit: ex filijs Israel.* Et v. 16. & 18. *De qua domo, aut de qua tribu es tu? Ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* Et omitto alia testimonia, quæ minimo negotio possem in medium proferre. In quibus locis nemo non videt, quod Christus D. Raphael Angelus, & homines iustissimi vsi fuerint responsionibus, quibus interrogantes, vel audientes elusisse videntur sine vllo mendacio, cum pura, & simplici veritate. Cum inter ea restrictiones mentales, & significationes à Christo D. & alijs intentæ, & adhibitæ essent in illis occasionibus omnino occultæ, prorsus imperceptibiles ab audientibus, etiam attentis omnibus, & singulis externis circunstantijs sibi notis. Restrictio namque pure mentalis supra à nobis explicata in omnibus æquiparari debet sensui mystico, in quo Christus Dominus loquebatur. Quare nunquã intelligere potui doctrinã Azorij, Layman, & Recentiorum, qui restrictiones vniversim improbare videntur, dum ex aliqua circunstantia externa ne-

quit

Digitized by Google

quit saltim implicite, vel indirectè deprehendi, quonam sensu quis loquatur. Ausim dicere, quod vel nec ipsi, qui hanc tradunt doctrinâ deprehendissent, vel deprehêdere potuissent significationem, & sensum, quem Christus Dominus, Raphael Angelus, & reliqui iusti homines significare intendebant in prædictis locutionibus. Sed potius delusi fuissent adinstar eorum, qui delusi sunt, quia attendebant solum ad communem significationem, quam verba præseferebant.

766 Missis autem plurimis testimonijs, quorum veritas, secluſis huiusmodi restrictionibus purè mentalibus, difficillimè, vel nullo modo humanitus percipi poterat: tria, vel quatuor expendam loca. Agmen ducat illud testimonium Ioannis 2. v. 19. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: expensum num. 694: & hic iterum expendendum. Verba enim illa nec ex hominum impositione, nec ex alijs externis circunstantijs quidquam aliud significare poterant, nisi rem apertè falsam: videlicet, templum illud materiale, de quo eiecit ementes, & vendentes, si destrueretur à Iudæis, in tribus diebus ab eodem Christo Domino fore reædificandum. Hunc sensum præseferebant Christi Domini verba. In illo ea intellexerunt, necdum Pharisæi, verumetiam Discipuli. Et absdubio in eodem etiam intellexissent Auctores, quibuscum disputamus, si ibi interfuissent. Christus autem Dominus loquebatur de resurrectione corporis sui. Qui sensus erat mysticus, occultissimus, dependens à mera voluntate Christi Domini, similis per omnia restrictionibus purè mentalibus: solo autem tali sensu mystico, mysticaque significatione, verba Christi Domini verificabantur. Mystica huiusmodi significatio talium verborum verificativa, neque ex hominum impositione eis conveniebat, nec ipsa determinabantur ad talem significationem ex externis circunstantijs, sed ex pura interna voluntate Christi, & quidem occultissima.

767 Sit secundum testimonium illud Genes. 27. v. 19: *Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut præcipisti mihi*. Verba ista, nec ex hominum impositione, nec ex aliqua externa circunstantia temporis, loci, personæ, officij, modi, finis, &c. quidquam aliud præseferebant, aut significabant, nisi rem manifestè falsam: nimirum quod Iacob esset Esau, & quod mandatum accepisset à Patre suo Isaac, qui nihil ei præceperat. Et tamē verba illa verissima putan-

Digitized by Google

tantur à multis Sanctis Patribus, Scholasticis, & Interpretibus, præsertim vero ab Angelico Magistro in 3 dist. 38. quæst. 1. art. 3. ad 1. excusanturque à mendacio ob restrictionem purè mentalem, & sensum mysticum occultissimum à Spiritu Sancto intentum, & à Iacob saltem implicite agnitum, licet ab Isaac neque explicite, neque implicite cognitum. Quia nimirum Iacob *electione Dei* erat primogenitus, & primogenito suo Esau præceperat Isaac, quod affirmavit Iacob sibimet præceptum fuisse. Iacob in mente sua hunc habebat sensum per restrictionem purè mentalem: *Dei electione sum Esau tuus primogenitus, cui mandatum dedisti.* Sensui huic, qui erat ex Spiritus Sancti instinctu, & consequenter ex iusta causa, & falsus esse non poterat, adaptavit, & accommodavit verba sua, licet Isaac talem sensum, & restrictionem purè mentalem cognoscere non potuerit, & delusus fuerit. Talis enim significatio mystica, vel restrictio purè mentalis, neque explicite, neque implicite ex aliqua externa circunstantia tunc temporis significabatur relatè ad Isaac per verba, quæ Iacob pronuntiavit. Immò verba Iacob suo sensui derelicta omnino oppositum significabant, & præseferebant. Videlicet eum, qui tunc loquebatur, esse Esau primogenitum Isaac, cui ipse præceperat, vt sibi afferret aliquid de venatione; non verò Iacob, cui tale præceptum non dedit.

768 Audiamus Angelicū Præceptorē loco citato: Verba ista secundum aliquem intellectum veritatem habent, sibi enim primogenitura Dei electione debebatur, & ad illum intellectum Spiritus Sanctus verba ordinabat, cuius instinctu, & intellectu loquebatur. Sive ipse illum intellectum ex verbis acciperet explicite, sive implicite hoc significare intendens, & quod Spiritus Sanctus ordinabat, vnde à mendacio excusatur. Et eadem ratio est de omnibus verbis, quæ mendacium sapere videntur, ab illis viris prolata, in quibus mendacium concedere, nefarium videtur. Hactenus Divus Thomas. Et ibidem in respons. ad 5. loquens de huiusmodi locutionibus, ait. Veritatem habere non à sensu, quem verba habent primo aspectu, sed ab eo, quem loquens facere intendit. Hæc Divus Thomas tradens regulam generalem ad rectam, & legitimam intelligentiam cuiuslibet locutionis figurativæ. Verba enim, quæ proferuntur, falsa sunt in sensu litterali; vera autem in aliquo sensu mystico, qui in

Digitized by Google

in solius loquentis mente lateat. Et Isaac, quem mysticus iste sensus latebat, non potuit intelligere hic, & nunc verba Iacob, licet essent vera, & verisima, nisi in sensu falso, & in quo Isaac falleretur, permittente Iacob ex causa iusta, & honesta, nimirum, ex speciali Spiritus Sancti instinctu Patris sui Isaac deceptionem. Videndus est Caietanus 2. 2. q. 89. art. 7. ad 4. qui doctrinam istam mirificè confirmat.

769 Tertium testimoniū sit illud Lucæ 24. *Finxit, se longius ire.* Circa quod Magnus Parens Augustinus in lib. contra mendacium c. 13. sic ait: si nihil aliud significasset Iesus in eo, quod longius ire se finxit, merito iudicaretur esse mendacium. Porrò autem si bene intelligatur, & ad id, quod voluit significare, referatur, invenitur esse mysterium. Hæc Augustinus. Finxit autem Christus, se longius ire, & in hoc significare intendit ascensionē suam in cœlos, discipulis non desertis. *Et propter hoc significandum* (ait ibidem Augustinus) *futurum divinitus factum, ad præsens illud est humanitus fictum.* Et Angelicus Præceptor in 3. dist. 38. iam citata quæst. 1. artic. 2. ad 2. fictionem istam à mendacio sic excusat: Quia non intendebat Christus falsum significare; sed verum occultare, quod benè aliquando licet.

770 Alia quam plurima, & ferè innumerabilia expendere possemus Scripturæ sacræ testimonia, præsertim illud Matthæi 24. v. 36. & Marci 13. v. 32. *De die illa nemo scit, & neque Filius.* Et illud Tobiæ 5. v. 18. *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* Cuius testimonij sensus erat omnino mysticus. Quia solum repræsentative, non autem vere, & realiter Raphael erat Azarias. Tobias autem, & eius filius existimabant, revera esse Azariam. Quorum deceptionem ex iusta causa permisit Raphael. Idem dicito de illo Iudith, cap 10. à v. 11. & infra Ergo ex iusta causa licitum omnino est, interrogantem respōsione nostra eludere, ne percipiat quod ipsi, vel nobis, vel alijs nescire expedit & hoc media restrictione purè mentali, vel acceptis verbis in sensu purè mystico, metaphorico, & figurativo, qui omnino æquivaleat restrictioni, quam vel ipsi adversarij vocant purè mētalem, & affirment, esse à Summo Pontifice damnatam, & fulguritam tanquam mendacium, & si iuramento firmetur, tanquam periurium.

771 Magister Torrecilla tract. 5. consult. 23. à num 82. excusat à mendacio testimonia ista per restrictionem non purè mentalem, sed externam,

Digitized by Google

& sensibilem ex aliqua externa circunstantia loci, temporis, &c vel ex vocis æquivocatione. Verumenimvero respõsio ista ex dictis manet præoccupata. Ausim dicere (vt prædixi iam) quod neque ipse Torrecilla percepisset, aut percipere potuisset restrictiones illas, & significationes, medijs quibus, & non aliter poterant verificari verba illa. Restrictiones ergo illæ erant purè mentales, & sensus locutionis æquivocæ omnino æquivalens eidem restrictioni purè mentali. Idem dicendum est de exemplis Sancti Francisci, quo vtitur noster Leander part. 7. tract. 1. disp. 45. quæst. 33. Sancti Athanasij, Sanctæ Elisabethæ, & aliorum. Et hæc sit prima probatio huius nostræ septimę conclusionis desumpta ex Christo Domino, sacris Scriptoribus, & Sanctis.

772 Probatio secunda desumenda est ex gravissimis Theologis. Reverēdissimus P. Didacus de la Fuente Hurtado ex Illustrissima Religione Dominicana specialiter refert pro nostra conclusione Capreolum Principem Thomistarum, Paludanum, Sylvestrum, Sotum, Lopez, Medinam, Bañez, Ioannem de la Cruz, Candidum, Velascum, & Tapiam. Ex Seraphico Ordine Angelum de Clavasio, Rodriguez, Ludovicum de S. Iuan, Portel, Bassæū, Castrum, & Villalobos Ex sua florentissima, & doctissima Religione Societatis Iesu Suariū, Toletū, Sanchez, Palao, Dicastillo, Reginaldum, Serarium, Moyam, Sandæum, Arsdekim, Lesium, Filliuciū, & Theophilum Raynaudum. Pro eadē sententia refert nostrum Leandrū à SS. Sacramento, Basilium Legionensem, & Thomam Hurtado tom. 2. variarum tract. 7. cap. 1. num. 8. Vbi expresse affirmat Thomas Hurtado, absque errore in fide non posse negari, absolutè loquendo, mentales restrictiones, & amphibologias esse licitas. Et quamquam post modum refutet quas purè mentales ipse appellat: num. tamen 71. & 72. vel invitus admittit, restrictiones verbales omnino occultas, sive secreto promittitas ex iusta causa esse licitas: & similiter concedit licitas esse easdē restrictiones mētales imperceptibiles ab audiētibus, & alijs omnibus, præterquā ab ingenijs prudentioribus, & vivacioribus. Cum non advertat, eādem vtrobique vrgere difficultatē, suisque probationibus omnes, aut nullam excludi. Pure enim mentales nō ideo iudicari possunt illicitæ, quia mentales, sed quia sensu imperceptibiles, & ex industria, & à cōsilio occultatæ illis, quibuscum loquimur.

773 Eamdem septimam nostram conclusionem probant

Digitized by Google Ca-

Canonistæ ex cap. *In mandatis* 2. dist. 43. & potest videri Navarrus in cap. *Humanæ aures* 22. q. 5. Eamdem etiam tenent ex Iurisperitis Illustrissimus Præses Covarrub. lib. 1. variar. cap. 2. num. 4. D.D. Iosephus de Retes lib. 7. Opusc. cap. 3. à n. 19.

774 Probatur tertio. Sæpè namque necessarium est ex iusta causa vti verbis, quæ per solam puram restrictionem mentalem hic & nunc verificari possunt, & quibus proximum intallibiliter decipiendum, & eludendum, præscimus, vel prudentissime iudicamus. Immò iste modus eludendi interrogantes media restrictione purè mentali est medium vnicè necessariū ad evitanda magna incommoda propria, vel aliena, quæ certò imminent, si interrogatus veritatem syncerè, & palam manifestet. Vt patet in adultera interrogata de adulterio à suo marito, metum mortis inferente. Quo exemplo vtitur D. Thom. quodlib. 5. q. 8. art. 16. & amplius explicatur num. sequenti. Similiter modus iste omnino necessarius est ad excusandam civilis conversationis, convictusque rationalis perturbationem.

775 Explicatur. Frequentissimè conscientiæ perplexitatem per aliud medium evitare non possumus, quando directè affirmando, vel negando respondere cogimur. Casus est expressus ab Angelico Magistro in 4. dist. 21. q. 3. art. 1. Finge, quod Petrus postulat à me, qui sum Confessarius suæ vxoris, an sciam eam esse adulteram? Est enim zelotypus. Et vrget, vt directe ei respondeam affirmando, vel negando, excludendo omnem restrictionem, æquivocationem, &c. Quid faciam, qui ex sola Sacramentali confessione scio eam esse adulteram? Si contraria sententia omnino vniversaliter esset vera, & restrictiones purè mentales, & quævis aliæ æquivocæ locutiones vniversim improbandæ sunt, dum ex aliqua exteriori circunstantia loci, temporis, personæ, &c. nequit deprehendi quonā sensu quis loquatur: quoquomodo me gererem cum zelotypo, gravissimè peccarem. Vno enim ex tribus modis cum illo gerere me possem: vel directè affirmando, vel absolutè negando, vel tacendo. Si directè formaliter, & expressè affirmem: confessionis sigillum violo. Si absolutè negem: mentior, quia falsum est, me adulterium nescire, quia saltem ex Sacramentali confessione illud scio, & hoc est quod quærit à me zelotypus. Si taceā in his circunstantijs, consentire videbor, & adulterium palam manifestabo. Quia tacens ad interrogationem, huic consentire videtur, quia taciti, & expressi ea;

Digitized by Google

eadem est ratio. Et interrogatus de duobus, si de vno affirmet, & de altero taceat, vtrumque fateri censetur iuxta vulgares iuris regulas. Quare similitèr confessionis sigillum violabo. Quia silentium in illis circunstantijs æquivalebit articulatis vocibus, quibus directè, & sincerè affirmarem, mulierem esse adulterã. Quomodo ergo me gerã? Quomodo me à peccato liberabo, si nulla interna, & purè mentali restrictione me tueri, aut defendere possum ad excusandum mendacium, quod importatur verbis meis, vt iacent? Quomodo perplexitatẽ istam evitabo, cum ex vna parte iniusta zelotypi interrogatione ad directè respondendum cogar, & forte zelotypus mortem minetur, & ex altera parte cõstringar obligatione occultandi veritatem?

776 Iuxta nostram doctrinam, & ab Ang. Mag. traditam in 4. dist. 21. q. 3. art. 1. cum eodem perplexitatem huiusmodi evitabimus, absque conscientiæ læsione, absolutè negando, immò si opus fuerit iurãdo, nos nescire, propter restrictionem tacitam, quam adijcimus eisdem verbis, scilicet: *Adulterium, nescimus, vel nescio, vt homo, sed tanquam Dei Minister, & Vicarius: scientia licitè communicabili: ad dicendum tibi: ita vt tenear dicere*, &c. Et idem dicendum est de alijs similibus responsionibus, & vocibus: *Non feci: non memini: non vidi: non comedi: non bibi: non tetigi: non faciam: non ibo: non revelabo: dabo tibi*, & alijs æquivalentibus, quibus verbis negativis, vel affirmativis absolutè vti possumus, quando in simili perplexitate constituti sumus. Et eiusmodi verba iure ipso restricta esse videntur. Licet enim confessionis sigillum sit maius quocumque alio secreto, illudque strictius observare teneamur, quam quodlibet aliud secretum, vel sigillum: id non præstat vt mentiri, vel peierare licitè possimus in aliquo casu ob observandum confessionis sigillum. Quid ergo præstat? Plurimum quidem. Efficit enim ne locutiones illæ: *Nescio: non memini*, &c. alioqui falsæ, sint mendacia, aut periuria ob restrictionem purè mentalem, vel occultissimam, semel autem atque in isto casu confessionis huiusmodi responsio sit immunis, & libera à mendacij, vel periurij malitia, non est cur id ipsum extendi non possit ad alios quoslibet casus in quibus similis perplexitas implicat conscientiam, quæ ex vna parte constringitur obligatione secreti: & ex altera eamdem conscientiam vrget necessitas respondendi directè, ne tãciturnitas ipsa formali affirmationi æquipolleat.

777 Dices: in hoc casu, &

in

Digitized by Google

in similibus iniustis, & iniquis interrogationibus responsionē directam, & absolutam, *nescio*, v. g. non verificari ratione restrictionis purè mentalis: sed externæ, & sensibilis, quam interrogans, & audiens, si mediocriter applicet attentionem, & non sit omninò stultus, advertere, & cōiectare poterat ex circūstātia externa *officij confessoris*, &c. Sed contra est. Licet enim per ingenuè fateamur, huiusmodi restrictionem externam sufficere ad verificandam responsionem, in præsenti casu, & in similibus. Addimus tamen (estque potissimus noster scopus ad vindicandos nostrum Leandrū: Thomam Sanchez, & reliquos à Recentiorum calumnia) in similibus eventibus posse nos ex iusta, & idonea causa vti restrictionibus occultissimis: ab audiente omninò imperceptibilibus, ex omnibus & singulis externis circunstantijs, vel purè mentalibus, quibus illæ æquivalent ad verificanda verba nostra, & ad respondendum absolutè incunctanter *nescio non feci*, &c. absque malitia mendacij, vel periurij. Non enim ideò restrictiones huiusmodi ex idonea causa sunt improbādæ, quia ex nulla circunstantia sunt imperceptibiles, quia sunt occultissimæ, vel quia sunt purè mētales. Immò potius improbarētur in illis circunstantijs, si perceptibiles essent ab interrogante & audiente; si non essent occultissimæ: si non essent purè mentales. Quia tunc redderentur omninò inutiles ad finem, cui deservire possunt: qui est occultare veritatem.

778 Dices iterum, tam sacros Scriptores, & Christū Dominum, quam viros Sanctissimos, & quoslibet alios frequētissime vti restrictionibus, quādo ex vna parte loqui tenentur, & ex alia veritatē syncerè manifestare non possunt, sed illam occultare debent ad evitanda gravia mala spiritualia, vel tēporalia: propria, vel aliena. Addunt tamen, tunc tantummodo esse licitas, cum ex circunstantijs loci temporis, personæ, officij, modi, finis, subiectæ materiæ, aliisque similibus, saltem sapientes, prudentes, quique vivaciori ingenio præditi sunt, deprehendere possunt, aliud quidpiam subintelligi, quod, inspecto verborum cortice, nullo modo exprimitur: & quo non subintellecto, propositio vocalis, iuxta communē vocum acceptionem, & significationem non potest non evadere falsa. Cæterum, addunt ijdem, beneficio restrictionum pure mentalium id fieri non posse.

779 Sed contra ex dictis. Negare non possumus, sæpè sæpius nos occultare veritatem per id genus restrictionum, quæ

Digitized by Google

orationibus vocalibus adiunguntur ex aliqua simili circunstantia loci, temporis, &c. Et iam apud omnes receptum est, vt illud dicamus, nos nescire, quod secreto novimus, vel quod nō expedit nobis, vel alijs quod sciatur, vel palam manifestetur. Addimus tamen ex hactenus dictis, quandoque ex iusta causa licitum esse vti restrictionibus, quas adhuc sapientes, prudentes, vivacique ingenio præditi, & Recentiores ipsi quibuscum disputamus nullatenus percipere possent. Quod constat ex n. 694. & à num. 766. Has restrictiones appellamus purè mentales ex num. 740. Et ipsi adversarij, nisi terminis ludere velint, purè mētales appellare debent: vel purè occultas. Et licet latius pateant restrictiones purè occultæ, quam purè mentales: si tamen adeò occultæ sunt, vt nec ab his Recentioribus, esto sapientissimis, percipi possent, quales fuerunt relatæ a n. 766. æquivalebunt purè mentalibus. Et nisi velint reijcere, & improbare suas purè occultas restrictiones, non possunt meritò improbare nostras purè mentales. Et tam istæ, quam illæ, si destitutæ sint causa iusta, & honesta, à Nostro Leandro, Thoma Sanchez, & reliquis omnibus Catholicis vniversim improbantur, & reijciuntur tanquam mēdacia rigorosè, & propriè, saltē moraliter, & reductivè ex num. 757. & 761. & 762. Quia pro nō adiectis habentur tales restrictiones. Si autem adsit iusta, & idonea causa vtendi eisdem restrictionibus: tam à nostro Leāndro, Thoma Sanchez, quam à Recentioribus istis admittuntur tanquam licitæ, & honestæ, ad tollendam conscientiæ perplexitatem, & ad evitanda gravia mala spiritualia, vel corporalia, propria, vel aliena. Nam sicut nemo alteri crederet, si locutio purè mentaliter restricta, aut æquivoca semper, & vbique foret licita ex quacumque causa voluntaria: & consequenter omne humanum commercium, quod verborū traiectu peragitur, funditus tolleretur de medio. Quia quilibet semper merito suspicari potest, eum, qui secum agit tali locutione purè mentaliter restricta, vel æquivoca ludere, & subdolè nō pronuntiare, nisi sententiam dimidiatam. Quam similiter nemo alteri fidere posset secreta sua in Sacramento Pœnitentiæ, aut extra illud consilij, vel auxilij causa: nemo sua propria, vel aliena mala evitare posset, dum iniqua interrogatione adigitur, & compellitur ad respondendū affirmativè, vel negativè, si aliquando non esset licita huiusmodi locutio pure mentaliter restricta, vel æquivoca, ita, vt interrogans persuadeat, sibi iam fuisse

Digitized by Google

fuisse satisfactum, quin pergat amplius vrgere.

780 Probatur quartò eadem nostra septima conclusio. Qui ex iusta causa vtitur restrictionibus purè mentalibus, nec mentitur, nec activè verè decipit proximum. Ergo licitè eis vtitur. Ergo & ipsæ non sunt cõprehentæ in Pontificia damnatione, & istam sartam, tectamque servantes, vti possumus ex iusta causa eisdem restrictionibus purè mentalibus. Consequentiæ tenent. Et antecedens quoad vtramque partem probatur. Et quoad primam sic primo probatur. Mentiri non est loqui contra spem, & mentem alienam, sed contra mentem propriam, destinando falsa verba tanquam fide digna ad audientẽ. Sed hoc non cõtingit in eo, qui vtitur restrictionibus purè mentalibus ex iusta causa. Ergo nec mentitur, Consequentia tenet Maior est certissima ex num. 680. Minor probatur. Qui ex iusta causa tali vtitur restrictione purè mentali, non tenetur destinare, vel dirigere sua verba ad audientem; sed potest secum ipso loqui, vel perindè, ac si esset in quadam heremo solus. Ergo. Probatur secundo idem antecedens quoad eamdem primã partem. Verba ista *nescio: non feci*, & similia tunc tantummodo sunt mendacia, quando qui rem scit, vel fecit, ea absolute pronuntiat sine addito illa verificante, vel per modum orationis vocalis integræ, perfectæ, atque completæ. Sed qui vtitur tali restrictione purè mentali ex iusta causa non ita pronuntiat illa verba *Nescio: non feci*, &c. sed potius cum addito per modum partis alterius orationis integræ, quamvis additum, *Vt Dei Minister: scientia licite communicabili taceatur*. Ergo. Explicatur minor. Ex terminis vocalibus, & mentalibus sæpè integratur oratio, vel saltim integrari, & construi potest in se verissima: licet voces componentes talem orationem forent falsæ, si absque vllo addito interno, vel purè mentali, terminisque purè mentalibus, absolutè pronuntiarentur per modum integræ, & completæ orationis. Sicut enim ex verbis publicè prolatis, & clam, vel secreto pronuntiatis vna, & eadem potest integrari oratio ex vtrisque mista. Quam similiter ex terminis partim vocalibus partimque purè mentalibus sese mutuo afficientibus, & adiuvantibus vna, & integra potest construi oratio. Quod expressè docet Magnus Gregorius homilia 2. in Ezech. & canitur in Ecclesia Dominica 1. Novembris lectione 2. & 3. 2. Nocturni. Sacramenta ex rebus sensibilibus, & insensibilibus adæquatè com-

Digitized by Google

po-

ponuntur. Sacrosanctum Missæ sacrificium ex orationibus partim mentalibus, partim vocalibus constat. Et denique in contractibus, aliisque dispositionibus, sæpè vna componitur oratio ex verbis partim dictis: partim tacitis. Hinc illud vulgare axioma: Taciti, & expressi eadem est ratio. Eodem ergo modo restrictio purè mentalis, seu mente retenta facit vnum quid cum ea parte conceptus, quæ correspondet vocibus externè pronuntiatis. Et propositio ista vocalis *Nescio* nihil significat, quod non iudicetur interius, quale significatur, exprimitur, & enuntiatur exterius. Eius modus, causa, circumstantiæ, & sensus, sub quibus concipitur obiectum, atque adeo significatur tale, non exprimantur exterius, v.g cum Christus dixit, se nescire diem iudicij, subintelligendo ad manifestandum.

781. Probatur idem antecedens quoad secundam partem, nimirum, quod qui ex iusta causa vtitur restrictione purè mentali, activè, vere, & simpliciter, non decipit proximum. Quod patet ex dictis num. 689. Ita respondens ex iusta causa proximi deceptionem permittit, non tamen dat occasionem deceptionis. Deceptionis occasio non est data, sed accepta. Dumtaxat est permissa à respondente, & voluntariè quæsita ab interrogante imprudente, & indiscreto, immò iniusto, & iniquo. Et iste iniquus interrogator suam deceptionem sibi soli debet imputare, non vero respondenti. Quia iniusta sua interrogatione respondentem ad eas reduxit angustias, vt se ab eis liberare non possit, nisi permittendo, quod interrogans ex ipsius responsione sumat, & accipiat deceptionis suæ occasionem. Immò, si interrogans, & audiens sit mediocriter prudens, & non omninò stolidus, sciens, se dedisse, vel quæsisse occasionem, vt deciperetur, vel vt veritas occultetur, iudicium suspendere potius debet, suspicans, aliquid forsitan latere posse in illa responsione, quo ipse fallatur, quam fidem adhibere verbis vt iacent, & secundum sensum, quē præseferunt.

§. QVINTVS.

Recentiorum argumenta contra septimam nostram conclusionem resoluuntur.

782. ARguitur primò. Quis quis contra mentem loquitur, eo ipso mentitur. Sed qui per restrictionem purè mentalem dicta sua verificare contendit, contra mentem suam loquitur. Ergo mentitur. Ergo restrictio purè mentalis adhuc adhibita ex iusta cau-

Digitized by Google

causa excusari non potest à mendacio, & si iuramento firmetur, à periurio. Ergo licitum non est ex iusta causa eludere interrogantem responsione nostra per restrictionem purè mentalem, & ista ex nulla causa cohonestari potest, & in Pontificia damnatione comprehensa est. Explicatur minor. Scio ex Sacramentali confessione, Petrum esse homicidam. Interrogor à iudice, vtrum hoc sciam. Addit. & præcipit, licet iniustè, & iniquè, vt sine vlla restrictione mentali, vel æquivocatione, omnem talem excludendo, syncerè, candidè, & palam fatear veritatem. Si respondeam *Nescio*: loquor contra iudicium affirmativum, quo scio, Petrum esse homicidam. Quandoquidem scire, & nescire contradictoriè opponuntur. Et quando absolutè respondeo *Nescio*: si verè loquar, affirmo iudici interroganti, & audienti, me habere in mente iudicium quoddam vniversale negativum omnis illius scientiæ, de qua inquirit iudex. Si enim ego haberem aliquam scientiam de illa re non possem absolutè dici, nec essem *nesciens*: sed potius, sciens. Tunc vltra. Non habeo in mente iudicium hoc vniversale negativum, sed potius affirmativum, & contradictoriè oppositum, quo interius iudico, & affirmo, me scire rem illam de qua inquirit iudex. Ergo loquor contra mentem meam: menti meæ contradico: & iudicio interno affirmativo etiam contradico, & repugno. Ergo mentior. Et si locutionem meam, & ly *Nescio* confirmem iuramento: peiero. Ergo, &c.

783. Respondeo, argumentum istud non esse speciale contra nos, sed esse contra omnes, contra Scripturam sacram, & contra omnes illas responsiones Christi Domini, & Sanctorum, & quæ alienissimæ fuerunt ab omni mendacio. Vide supra num. 770. *De die illa nemo scit, & c. neque filius.* Concessa ergo maiori, distinguo minorē. Qui per restrictionem purè mentalem, &c. Si intentionem habeat loquendi, absque restrictione purè mentali, vel purè occulta, concedo. Si intentionem habeat loquendi cum restrictione purè mentali adiecta: nego minorem, & consequentiam. Et hinc patet ad minoris explicationem. Quia, quādo respondeo, *Nescio*, non loquor contra mentē meam, nec contradico menti meæ, & omni iudicio affirmativo, & negativo. Et consequenter non mētior. Absolutè scio homicidiū. Non scio homicidium, vel nescio homicidium peculiari aliquomodo, nimirum ad planè, candidè, palam, & syncerè confitendum homicidium. En duo iu-

Digitized by Google

iudicia : affirmativum vnum negativum alterum de eodem obiecto per diversum medium, vel modum. Quare non sunt contradictoria, sed potius ambo verificantur secundum diversam rationem. Haud secus ac Christus Dominus non est minor, sed potius æqualis Patri: & est minor ipso Patre, & æqualis Patri secundum Divinitatem: minor Patre secundum humanitatem, vt canimus in symbolo Sãcti Athanasij. Duplex mentale habeo iudicium: vnum more humano, & vt sum purus homo. Alterum more Divino, & vt sum Vicarius, & Minister Christi. Responsio vocalis negativa *Nescio* non correspondet iudicio affirmativo mẽtali *scio*, vt Dei Minister. Imo taxat correspondet iudicio mentali negatiuo *Nescio, vt homo*. Ergo verba externa cum mente conformantur. Ergo non eo contra mentem, saltem adæquatè. Ergo non mentior. Nec opus est, quod verba externa adhuc implicite, aut indirectè significẽt illud additũ, aut sensum, in quo loquor, ex n. 694. 766. 767. 769. & 770. Et quantũvis iniustus interrogator omnem restrictionem purè mentalem, vel æquivocationem excludat, reduplicetque, vt loquar, & iurem syncere: adhuc possum ego respondere dicendo, *Nescio, & iuro, me nescire*. Ita noster Leander 1. p. tract. 5. de Pœnitentia disp. 10. de sigillo cõfessionis q. 85. & p. 7. tract. 1. disp. 45. q. 37. Quia, qui inique, iniusteque interrogatur, non tenetur respondere ad formalem spem, & mentem interrogãtis: quia illa est indiscreta, imprudens, & iniusta; sed ad iustam, discretam, & rationalem, quam ipse interrogans habere tenebatur intra iuris, humànique convictus terminos, iuxta communem prudentum existimationem. Vnde Dicastillo disp. 2. de iuramento dub. 12. num. 315. sic definit mendacium: Mentiri est ire contra mentem communem, & prudentẽ. Addit noster Leander dicta 7. p. tract. 11. disp. 45. q. 38. ex Eximio Doctore Suarez lib. 3. de iuramento cap. 10. num. 4. quod siquis fortè sit rudis, & nesciat in particulari concipere restrictionẽ purè mentalem, vel amphibologiam, qua sua verificet verba; consilium erit, vt intendat negare, vel affirmare in sensu, qui veritatem reipsa contineat; quãquam sensus iste ex aliqua exteriori circumstantia deprehendi nequeat, qualis sit. Vnde fat, superque erit, scire in genere, quod possim absque mendacio veritatem occultare: & citrà periurium iurare eo sensu, quem vir doctus verum reperiet. Quæ doctrina summopere placebit Reverendissimo P. Torrecilla, qui eamdem tradidit doctrinã

tract.

Digitized by Google

tract. 5. consult 23. prop. 26. Innocentij XI. num. 244. sub consult. 23. 2.

784 Arguitur 2. & argumentum potest esse replica solutionis datæ. Quando additū saltem implicite, & indirecte vocibus, vel signis non profertur: virtus veracitatis absdubio violatur. Sed hoc contingit in nostro casu. Ergo virtus veracitatis in illo violatur. Ergo & qui sic loquitur adhuc ex iusta causa, mentitur. Explicatur maior. Veracitatis virtus non præcipit cōformare mētē mētibsed verba exteriora menti. In nostro casu deficit ista conformitas. Ergo & violatur veracitas. Respodeo, veracitatē non semper pręcipere, vt exteriora verba adæquatè cōformentur menti. Possunt enim inadæquatè tantū eidem menti conformari. Sicut etiā licet ali quando per eamdem virtutem veracitatis omnino silere, & nulla verba menti conformia pronuntiare. Et necdum licet, verumetiam aliquādo expedit: dummodo id fiat citra omnem intentionem adhuc interpretativam fallendi proximum: permittēdo dumtaxat ex iusta causa illius deceptionem, vt n. 779. in fine ponderatum est. Hinc patet in forma.

785 Arguitur 3. Non licet vti restrictione purè mentali, vel locutione æquivoca sine iusta, & rationabili causa ex n. 757. 760. & 761. Ergo nec ex iusta causa. Consequentia videtur legitima. Quia adesse, vel abesse causam iustam est circunstantia extrinseca relatè ad restrictionem purè mentalem, & æquivocam locutionem. Extrinsecæ autem circunstantiæ non possunt variare intrinsecam rei naturam, vel essentiam. Si ergo restrictio purè mentalis, & æquivoca locutio vniversim sunt reprobandæ, & sapiunt naturam mendacij, quando exercentur sine iusta, & rationabili causa; reprobandæ etiam erunt vniversim, licet ex iusta exerceantur causa. Respondeo, concesso antecedenti, negando cōsequentiam. Nec vrget probatio indicata in contrariū. Quia causa iusta cum restrictione purè mentali, vel locutione æquivoca per modum partis reddit humanam actionem licitam, vel honestam, quæ talis non esset, sed potius turpis, & inhonesta, si abesset iusta, & honesta causa. Quod exemplis plurimis explicari posset. Præterquamquod verba, quibus respondere solemus ex se sunt indifferentia, vt sint vera, vel falsa, licita, vel illicita; & ex aggregato omnium circunstantiarum, & ex prudēti hominum æstimatione colligēdum est an sint mendacia, & periuria, vel non sint. In æstimatione prudentum, nostri Leādri, Thomæ Sanchez, & aliorū, quos

Digitized by Google

quos pro noſtra ſeptima retulimus concluſione, ſunt mendacia, & periuria, ſi ſine iuſta cauſa exerceantur Nō ſunt autē talia, ſi idonea, & iuſta adſit cauſa.

786 Explicatur exemplo clariſsimo. Inter humanas, & morales actiones quædam ſunt ex natura ſua adeò perverſæ, vt nullius finis appoſitione poſsint cohoneſtari. Huius generis ſunt idololatria, blaſphemia, periurium, mendacium, &c. Aliæ ſunt, quæ quandoq; citra omne peccatum exerceri poſſunt, ſed non niſi ex iuſta cauſa, & ſub quibuſdam circunſtantijs. Huius generis eſt iuramentum: quod, ſi aſſocietur ſuis tribus comitibus, veritate nimirum, iudicio, & iuſtitia ſimul, & collectivè ſumptis: iuſtè exerceri poteſt. Si tamen deſtituatur veritate, aut iudicio, aut iuſtitia, eſt quid illicitū. Et ex dictis totum hoc patet. Similiter ergo dicendum eſt de locutione purè mentaliter reſtricta, vel æquivoca, quæ licita eſt, accedente cauſa iuſta, & idonea: illicita vero, quando deſtituitur tali cauſa, & in vanum exercetur, ad libitum, ad decipiendum proximum, vel ad occultandum ſecretum; quod manifeſtari debet. Quia in tali caſu non aſſociatur omnibus, & ſingulis comitibus ſimul, & collectivè ſumptis, quibus aſſociari debet, vt citra mendacij culpam exerceri valeat. Quod conſtat ex dictis à num. 757.

787 Ad hæc. Argumentum æquè vrget adverſarios, in quorum ſententia ſine iuſta cauſa licite vti non poſſumus reſtrictionibus non purè mentalibus, licet eiſdem vti poſsimus, quādo iuſta adeſt cauſa, aut vrgens neceſsitas. Nemo Adverſariorum dicet, Catholicum de fide interrogatum poſſe cum ſimili reſtrictione ſenſibili, aut verbis æquivocis fidem exterius negare, ita vt audientes, vel præſentes intelligant negationem fidei. Quandoquidem ex eiuſmodi reſponſione non poſſunt non ſequi quoad audientes, vel præſentes omnia, & ſingula incommoda, quæ ſequerentur ex ſimplici negatione. Cauſa iuſta, vel neceſsitas efficere nequit, quin ſit malum, mendacium, periurium, &c. quod, ea ceſſante, etiam eſſet malum, mendacium periurium, &c. Quia quod intrinſecè, & ex natura ſua eſt malum, ſemper, & vbique eſt malum, ſuamque retinet eſſentiam, & naturam. Quæ tamen ſecundum ſe ſunt bona, vel ſaltem indifferentia, vt ſint bona, vel mala quando ſub certis circunſtantijs exercentur: licitè, & citra omne peccatum exercentur. Si tamen ſine iuſta cauſa, & non ſub debitis circunſtātijs exerceantur: illicitè, & peccaminosè exercentur, & cedunt in malum illius, qui eis non vti-

Digitized by Google tur

tur conveniunter Eucharistiam sumere bonum est. Qui tamen illam indigne sumit, iudicium sibi manducat & bibit. Iuramẽtum secundum se tam ex origine, quam ex fine licitum, & honestum est. Qui tamen sine necessitate, aut debita cautela: sine tribus eius comitibus simul sumptis iurat: absdubio peccat. Videndus est D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 2. Similiter dicendum est de locutione pure mentali ter restricta, vel æquivoca, quæ iuramento simillima est, & ea vti debemus cum illa moderatione, & sub illis circunstantijs, sub quibus licite, & honeste vti possumus iuramento. Peracutè, & solide, vt demore habet Eximius Doctor P. Franciscus Suarez tom. 2. de Relig. lib. 3. de præceptis ad iuram. pertinent. cap. 11. n. 2. respondens ad hoc tertium nostrum argumentum, ait: Respondetur negando sequelam; quia malitia non est carentia omnis bonitatis, sed debitæ inesse. Quoties autem necessitas non requirit amphibologiam, debita est nostro sermoni simplicitas in sensu vsitato, & concepto ab audiente: & ideo tunc carentia veritatis in illo sensu est vitiosa, & contraria veritati, ac subinde in rigore videtur esse mendaciũ. Quã do autem intervenit necessitas, tunc illa carentia est pura negatio, quia contraria significatio non est debita, & ita illa carentia non est vitiosa, nec constituit mendaciũ, quia supereſt alius sensus verus accommodatus locutioni. Neque propterea fit, vt mendacium interdum liceat propter extrinsecum finẽ, sed fit, vt desinat esse mendacium, quod tale fuisset, causa non interveniente Neque etiã sequitur, vt semper desinat esse mendacium, quod propter bonum finem profertur, sed oportet, vt verba in aliquo vero sensu proferantur. Nam si hoc non habuerint, non poterunt honeste proferri propter vllum finẽ: si autem hoc habuerint, & alius simplicior sensus non sit debitus, & qui loquitur, sciat, in debito sensu loqui, semper poterit excusare mendacium. Hactenus Eximius Doctor. Et licet ibi de amphibologia expresè loquatur Eximius Doctor, eadẽ tamen est ratio de æquivocatione, quæ communiter confunditur cum amphibologia, & ambæ significant enuntiationem verbo tenus simplicem, expectato tamen sensu, quem excitare idonea est multiplicem, atque adeò non nisi cortice tenus vnam, vt notat Theophilus Raynaudus tom. 14. Opusc. 3. cap. 3. num. 33. Et restrictio pure mentalis cum vtraque cõvenit quantum ad præsens institutum. Er ita eadem est ratio de locutione pure mentaliter re-

Digitized by Google

restricta, ac æquivoca, & amphibologica ex iusta causa. Et omnes huiusmodi locutiones ex iusta causa sunt licitæ: qua causa iusta non intervenient, sunt illicitæ. Locutio pure mẽtaliter restricta, æquivoca, vel amphiphologica, & iuramentum non sunt de genere eorum, quæ secundum se semper, & vbique sunt bona, licent, decent, & expediunt, sicut oratio eleemosyna, & alia id genus: sed de genere illorum, quæ, necessitate compellente, & interveniente causa iusta, licent, decent, & expediunt, vt supra habitum est num. 786.

788 Arguitur 4. locutio pure mentaliter restricta æquè pugnat cum humano commercio, ac mendacium, esto illa sit ex gravi causa, & omnia mala, quæ per se, & ex natura sua sequuntur ex mendacio, eodem modo sequuntur ex restrictione pure mentaliter restricta adhuc ex gravi causa. Sed mendacium ita est malum, vt nullo modo possit cohonestari. Ergo & locutio pure mentaliter restricta ex se adeò est mala, vt nullo modo, & nunquam cohonestari possit.

789 Respondeo ex dictis negando maiorem. Sed pro solutionis intellectu notandum est, quod mendacium secum involuit voluntatem expressam formalem, vel directam, aut saltem interpretativam, implicitam, & indirectam decipiendi proximum, ex num. 680. & 681. Vbi explicuimus quæ sit voluntas interpretativa, vel indirecta decipiendi proximum. Mentiens enim profert verba in talibus circunstantijs, vt loquens in his circunstantijs velit, & intendat in prudentum æstimatione generare in mente audientis, & illius ad quem destinat, & dirigit sua verba, notitiam, vel mentem contrariam, oppositam, & repugnantem notitiæ, quam mentiens habet in sua mente. Quare verba illa in prudentum æstimatione important voluntatem saltem interpretativam decipiendi audientem: præbentque isti proximã occasionem intellectualis ruinæ. Quia talis est error, vel deceptio. Et ex hac intentione directa, vel saltim indirecta scãdalizandi, vel decipiendi proximum oritur tota mendacij deformitas, malitia, turpitudo, vel fœditas. Quia opponitur directe, formaliter, & per se omni humano rationali convictui. Videndus est Lugo disp. 4. de fide, num. 8. Idcirco, diximus, num. 681. & 693. ex doctrina Angelici Præceptoris, mendacium natura sua, & intrinsecè esse scandalum activum.

790 Insuper notandum, est ex dictis dicto n. 693. tunc tantummodo eventum aliquem mo-

Digitized by Google

moraliter posse imputari alicui, quando simpliciter saltem indirectè, & interpretativè talis evētus intentus, vel volitus est ab eo: quatenus ipse poterat, & tenebatur impedire talem eventum hic, & nunc, & de facto nō impedivit. In moribus enim nulla ratio habetur illorum eventuum, quorum nulla est præcepti obligatio, vt nobis aliquomodo imputentur. Sed vbi abest huiusmodi obligatio impediendi tales eventus, isti perinde se habent nobiscum in moralibus, ac si nunquam contigissent. Vnde etiam quando intervenit huiusmodi obligatio impediendi eventum ex aliqua speciali lege, quæ præponderet libertati, quam vnusquisque habet vtendi iure suo: quicumque effectus, qui subinde sequitur, nullatenus ei moraliter imputatur ad culpam. Videndus est ingeniosissimus Doctor P. Gabriel Vazquez 1. 2. disput. 24. cap. 3. num. 13. Quod explicant Theologi exēplo satis vulgari in tractatu de scandalo. Fœmina præsciens aliquem in particulari propter ipsius aspectum esse lapsurum: si habeat causam admodum iustam, & gravem ad egrediendum è domo sua, vt sacrum audiat, vel vt aliquod Sacramentum recipiat: potest exire è domo: & nullatenus dicitur velle, aut intendere adhuc interpretativè, virtualiter, aut indirectè lapsum illius hominis. Quare nec est causa talis peccati, per se, & absolutè loquendo: sed solum potest dici, quod permittit ex causa admodum iusta, & gravi lapsum proximi. Sicut etiam Deus permittit peccata ex eadem causa admodum gravi, & iusta. Quod totum provenit ex eo quod talis fœmina non tenetur impedire lapsum sui proximi cum tam gravi proprio incommodo. Licet, si nullam gravem, atque iustam haberet necessitatem, aut causam exeundi è domo, teneretur non egredi ex charitate. Et si sine iusta causa è domo prodiret, lapsus ille moraliter ei imputaretur. Quia tenetur per aliquod breve tempus, si commodè potest, domi manere, & lapsum particularis personæ, quem eventurum præviderit ex suo aspectu, evitare. Quare vna, eademque actio, quę operanti imputatur ad culpam, si absque causa admodum iusta, & gravi fieret, ob causam hic, & nunc præponderantem, & desinit esse scandalum, & nulli subest morali malitiæ. Quia cū gravi præiudicio nostro, vel alieno non tenemur proximi lapsum vitare. Et iure naturalis, & inculpatæ defensionis, vt ita loquar, permittimus proximo, vt peccet, vt se decipiat. Hæc doctrina, vt dixi cum Angelico

Digitized by Google

Doctore, & omnibus Scholasticis n. 681. est certissima, & ab omnibus admittenda. Ex qua sponte tua fluit disparitas, & quidem clarissima inter mendacium, & restrictionem purè mentalem ex causa admodum iusta, & gravi habitam.

791 Qui enim ex eadem admodum iusta, & gravi causa vtitur restrictione purè mentali, & per illam occultat, aut dissimulat audita in confessione Sacramētali, vel quævis alia secreta, quæ palam, & sincerè manifestare no potest hic, & nunc sine gravi incomodo proprio, vel alieno, spirituali, vel temporali, in primis, vt supponimus in conclusione n. 763. stabilita nō, habet voluntatē expressam formalem, & directam decipiendi proximum. Aliunde neq; habet ipse voluntatē indirectam, virtualem, aut interpretativā decipiendi proximū. Quia propter causam admodū iustam, & gravem occultandi veritatē hic, & nunc, nullo præcepto, nulla lege præponderante iuri, quod habet; tenetur impedire proximi deceptionē, aut errorem. Et ob causam admodū iustam, & gravem suspēditur, & tollitur obligatio præcepti affirmativi præscribentis locutionē ingenua, & synceram. Quare ipse moraliter, & in prudentum æstimatione absolutè, & simpliciter nō censetur, velle adhuc interpretativè, vel indirectè proximi deceptionem, nec videtur esse huius auctor, vel causa. Quare ex n. 693. solum dicetur, quod ex causa admodum iusta, & gravi, & vtendo iure suo, illudque prosequendo, permittit intellectualem proximi ruinā, seu deceptionem, quam impedire hic & nunc non tenetur, licet absolutè impedire posset. Quod explicatur exemplis n. 790. allatis de Deo, & fœmina permittentibus peccatum. Si autem sine causa admodum iusta, & gravi vteretur tali restrictione purè mentali, communicādo proximo, in eiusque mente generando notitiam, quam in sua mente non habet, tunc haberet ex n. 757. & in infra voluntatem interpretativā virtualem, aut indirectam decipiendi proximū. Et vtens ita restrictione purè mentali sine causa admodū iusta, & gravi, culpabiliter, & imputabiliter decipit proximum, ex n. 760. Quia hic, & nunc tenetur citra gravē necessitatem vitare proximi deceptionem. Quare etiam tunc propriè falsē moraliter, & reductivè mentitur, & si assertionem suam iuramento confirmet, peierat. Et restrictio illa purè mētalis superaddita ad verificandam vocalem propositionem pro non adiecta habetur. Et hanc doctrinam tenent expressè noster Leander, Tomas Sanchez, & re-

Digitized by Google

reliqui Theologi, si ipsorum doctrina sine partium affectu introspiciatur. Vide supra à num. 760.

§. SEXTVS.

Potissimum Recentiorum argumentum aduersus eandem septimam conclusionem singillatim dissoluitur.

792 ARguitur 5. vocalis, & externa oratio, quam profert ille, qui vtitur restrictione pure mentali, inspecta secundum se, independenter, & præcisive à tali restrictione purè mentali est dissona, contraria, & difformis menti loquentis. Cum enim sciat in mente, dicit: *nescia*: cum fecerit, dicit: *non feci*. Sed talis vocalis, & externa oratio nequit evadere, vel effici conformis menti per restrictionem purè mentalem. Ergo semper remanet menti difformis. Ergo semper est mendacium, & iuramento confirmatum, evadet periurium. Probatur minor. Illa restrictio purè mentalis nequit complere, integrare, vel perficere significationem vocalis, & externæ orationis, efficiendo, vt plus, aut aliud significet, quam secundum se præcise considerata, & præcisive à tali restrictione purè mentali significaret. Ergo, si illa vocalis, & externa oratio, quam profert, qui vtitur restrictione purè mentali, secundum se præcise considerata est difformis menti loquentis, nequit evadere, vel effici menti conformis per illam restrictionem pure mentalem, aut locutionem merè internam, soli Deo, & loquenti hic, & nunc notam, & ab audiente omnino imperceptibilem. Probatur antecedens. Privatus homo non habet facultatem ad imponendã verbis novam, & voluntariã significationẽ, aut ad immutandã communẽ, & vulgarẽ illorũ significationẽ, nisi habendo aliquod signũ sensibile, & externum, cui insit propria, & vera significatio ex communi hominum institutione, vsu, praxi, vel consuetudine. Ergo.

793 Confirmatur 1. Quamvis mentalis, & interna oratio possit integrare, perficere, aut complere vocalem, & externam in ratione orationis, vtcũque significativæ Deo, aut ipsi loquenti: non vero in ratione locutionis cum alio homine: cũ huic nihil significare possit per locutionem merè internam, aut mentalẽ. Ergo, si oratio externa, & vocalis ex se non est conformis menti loquentis, quatenus est locutio cum alio homine, restrictio illa, vel locutio purè mentalis non potest efficere, vt sit cõformis menti loquẽtis,

Digitized by Google

quatenus est locutio cum alio, ad quē dirigitur locutio. Tunc vltra tota mendacij malitia in eo sita est, quod locutio, quatenus est directa ad alium hominem, sit difformis menti loquentis. Ergo. Probatur minor subsumpta. Tota mendacij malitia consistit in eo, quod is liceret, humanum, & politi cum commercium funditus corrueret: & homo homini non crederet: vt ex supra dictis ad nauseam vsque, & amplius constat. Sed ad evitandam eiusmodi malitiam, turpitudinem, vel fœditatem nihil refert, quod oratio externa, & vocalis vnam, & eamdem integret, perficiat, vel compleat orationem conformem menti loquentis, si externa, & vocalis ipsa oratio, in qua vnicè sita est humana exterior vnius hominis cum alio locutio, secundum se considerata non sit conformis menti loquentis. Ergo.

794 Confirmatur secundò. Mendacium est falsa vocis significatio animo fallendi saltem indirectè. Quare tota eius malitia consistit in eo, quod mentiens audientem fallat culpabiliter, seu imputabiliter, cum hic, & nunc impedire teneatur proximi deceptionem. Vide num. 680: Tunc vltra. Externa illa, & vocalis locutio: *Nescio, non feci, &c.* æquè decipit audientem quando coniungitur cum illa restrictione, vel locutione purè mentali, ac si consideretur secundum se, & præcisivè à tali restrictione purè mentali. Ergo talis locutio externa æquè aspergitur malitia, & turpitudine mendacij quando coniungitur cum restrictione purè mentali, ac quando reperitur sine illa. Sed si reperiatur sine tali restrictione purè mentali, aspergitur malitia mendacij. Ergo etiam aspergitur eadem malitia, etiam si coniungatur cum illa.

795 Confirmatur tertiò, & explicatur. Interrogas me vtrum veniam Roma? Ego nunquam fui Romæ. Quomodo potero respondere verum dicendo: *Venio*, subintelligendo, *è loco, in quo nunquam fui ad dicendum tibi?* Quomodo potest hæc restrictio purè mentalis omnino insensata, & adhuc implitè exterius non significata cohærere cum verbis exterius expressis, aut coalescere cum eis in vnam, & eamdē externā, & vocalem veram propositionem?

796 Confirmatur quartò. Quisquis loquitur animo fallēdi proximū, & vtitur restrictione mentali ex isto animo, revera mētitur tam cum causa iusta (permisso, quod possit) quā sine illa. Sed implicat, quod quis vtatur

Digitized by Google

tur restrictione purè mentali, & sine animo, saltem interpretativo fallendi proximum. Ergo & quin mentiatur. Probatur, & explicatur minor. Locutio vnius hominis cum alio ex terminis est ratio ex se destinata, & directa ad significandum alteri id præcisè, quod externa, & vocalis oratio ex communi institutione, & vsu significat. Mentalis enim, & interna locutio ad solum Deum, vel ad ipsum loquentem, non autem ad alium hominem viatorem, nec ad Angelum dirigi valet. Sed velle directè significare alteri homini id, quod præcisè significat externa, & vocalis oratio, est velle directè illum decipere; quandoquidem externa illa, & vocalis oratio secundum se præcisè sumpta est difformis, & contraria menti loquentis, & velle fallere loquendo, nihil aliud est, vel esse potest, quam velle significare illi aliquid difforme, & contrarium ei, quod sentit in mente. Ergo implicat, quod ille verè loquatur. Ergo implicat quod non mentiatur.

797 Confirmatur quintè, & explicatur argumentū quintum. Quando quis absolutè, & simpliciter negat, feciſſe homicidium, quod revera fecit, subintelligendo: *Heri ad dicendum tibi: ita vt tenear dicere, &c.* Verbalis illa externa negatio non cadit, neque appellat supra id, quod sola mente retinet; sed præcisè supra illud, quod verbis, & vocibus exterius exprimit. Sed hoc modo non expressit nisi factum absolutè, non vero hesternum factum. Ergo factum absolutè negat, quod procul dubio falsum est. Ergo mentitur. Licet enim addat in mente sua vocem istam *Heri: ad dicendum tibi, ita vt tenear*, vel aliam similem, eiusmodi vox interna non limitat, neque restringit vocalem, & externam illam orationem *Non feci*. Quia non est pars, modificatio, aut complementum talis externæ orationis. Neque negatio vocalis cadere valet supra factum ex vi illius modificatum, quantūvis id intendat loquens; sed præcisè afficit verba exterius dicta, quæ per se sunt perfecta, integra, completa, & totalia in ratione signi sensibilis, apti, & idonei ad loquendū cum alijs. Et per verba insensibilia, vel purè mentalia, vtpotè inidonea, & inepta ad huiusmodi finem, cōpleri, & perfici non possunt verba illa externa *Non feci*. Quia item ratione ex verbis partim scriptis, partim voce prolatis vna, eademque oratio externa, & vocalis coalescere, vel componi non potest. Quia scripta ex conceptu suo, & ex hominum institutione ordinantur ad agēdum cum hominibus *permanēter*. Voces vero illico transeunt,

Digitized by Google

& evaneſcunt, & id tantummodo manifeſtatur per ſcripturam legenti iſtã, quod poſt ipſam calamo exaratũ remanet. Ad hæc. Veritatis, ſeu veracitatis virtus non præcipit quod in humana converſatione conformemus mentem menti, ſed verba externa ad proximum directa menti noſtræ. Quæ conformitas inter verba ex vna parte, & mentem loquentis ex alia in caſu noſtro. *Neſcio: Non feci, &c.* defuit. Verba enim iſta negativa pronuntiantur abſolute, & ſine verbali, aut vocali addito. Mens autem abſque addito, & abſolutè non negat; ſed potius cum addito *Neſcio ad dicendum.* Deficit ergo conformitas, quam veritas præcipit in humana converſatione loquenti. Quia talia verba negativa non conformãtur conceptui affirmativo ſcientiæ, vel facti. Deinde nec conformantur conceptui negativo. Quia conceptus iſte negativus eſt reſtrictus, & limitatus, v. g. vt *dicam tibi: ita vt teneas, &c.* verba autem prout condiſtincta ab illo conceptu, ſunt omnino illimitata. Quare, omnibus expenſis, verba illa nulli interno conceptui conformantur.

798 Vltimo confirmatur. Omnia Scripturæ ſacræ teſtimonia ſupra à nobis adducta non probant, Chriſtum Dominum, Raphaelem, Scriptores ſacros, viros, & fœminas Sanctiſſimos vſos fuiſſe reſtrictione purè mentali, & omnino inſenſibili; ſed potius externa, & ſenſibili, quæ deprehendi, & colligi poterat ex aliqua externa circunſtãtia loci, temporis, perſonæ, officij, finis, figuræ Rethoricæ, vocabularij ſpecialis, &c. Ergo. Antecedens videri poterit apud Expoſitores; Conſequẽtia vero liquet.

799 En potiſſimum adverſariorum mucronem, quem pro virili noſtra acuimus. Ipſum cum Sapientiſſimo, & Reverendiſſimo P. Didaco de la Fuente Huertado retundere conabimur. Quod eiuſdem Reverendiſſimi P. & Theologi graviſſimi teſtimonijs, ſententijs, & ferè formaliſſimis verbis demonſtrabimus, ne noſtrum videatur eſſe commentum. Argumẽtum autem iſtud Achilleum ſic vrgere conati ſumus, ne videremur, aut potiſſimam contrariorum difficultatem diſſimulare, aut lectoribus fucum facere.

800 Igitur iam num. 780. tetigimus quomodo ex terminis partim vocalibus, partim mentalibus vna, eademque oratio in ſe vera, & menti conformis componi valeat: licet voces componentes ipſam falſæ, & mendaces ſint, ſi proferantur à loquente, abſque vllo addito tam interno, quam externo, & per modum orationis inte-

Digitized by Google

tegræ, perfectæ, & totalis. Per quam viam restrictio purè mẽtalis adhibita ex causa admodum iusta, & gravi, & sine vlla adhuc interpretativa intentione fallendi proximum liberatur à malitia mendacij, & occultamus secreta omnia etiam in Sacramẽtali confessione audita ab omnibus iniustis, inquis, imprudentibus, & importunis interrogatoribus. Per hãc viam defendit Magnus Gregorius Beatum Iob à mendacij calumnia sibi impacta. Et lib. 26. Moral. cap. 7. sic ait: *Quid obest, si à rectitudine veritatis humano iudicio verba nostra superficie tenus discrepant, quando in cordis cardine ei compaginata concordant? Humanæ aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant; Diuina vero iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Apud homines cor ex verbis: apud Deum vero verba pensantur ex corde.* Ex qua Magni Gregorij doctrina satis subtiliter intulit Angelicus Præceptor ad intentũ præsens 2. 2. q. 89. art. 7. ad 4. quoties diversa est intentio iurantis, & illius, cui iuratur, quamvis eadẽ vsurpent verba, secluso dolo, iuramentum obligare, non prout ab alio intelligitur, *sed secundum intentionem iurantis.*

801 Vnde quasi à priori sic possumus discurrere, & nostrum assumptum persuadere. Sola falsa quoad speciem verborum significatio absque intentione fallendi nõ sufficit ad malitiam mendacij, vt sæpè dictum est, & constat ex eius definitione communiter recepta, & num. 680. stabilita. Sed in nostro casu loquens non profert falsam verbi significationem cum intentione adhuc interpretativa fallendi. Quia si hoc facerèt, absdubio ex dictis mẽtiretur. Solum ergo profert cũ intentione proferendi quamdã partem sui conceptus, & occultandi aliam, quam absque magno præiudicio proprio, vel alieno, spirituali, vel temporali syncere manifestare nõ potest. Imò vrget necessitas, vel vtilitas occultandi illam veritatem, nec vlla vrgentior lex talem occultationem prohibet. Ergo re vera, qui ita loquitur, & restrictione purè mentali ex causa admodum iusta, & gravi vtitur, non mentitur coram Deo, qui eius intentionem novit, quamvis hominibus, quos talis intentio latet, aliud videatur. Non enim ideo quis mentitur, quia alij iudicant, ipsum mentiri. Sed, si rectè sapiant, solum mẽtiri censebunt, quando independenter à iudicio proprio ipsorum apud Deum inspectatorem cordis, & verba ex illo pẽsantem fit veritatis desertor.

802 Explicatur. In exemplo posito, qui iusta necessitate

Digitized by Google

compulsus respondet: *Non feci*, sub intelligendo *Heri*: homicidium, quod revera fecit hodie, non pronuntiat verba illa cum intentione negandi factum homicidium secundum se, & absolute, nec cum intentione affirmandi, se habere intra mentem iudicium absolutè negativum talis facti, aut persuadendi alteri, se illud habere, sed dumtaxat cum intentione occultandi veritatem facti, negando ipsum, non vtcumque, sed cum addito restringente, ac verificante negationem eius. Fecit enim absolutè, & non fecit peculiari aliquo modo. Quare habet in mente sua duplex iudicium affirmativum vnum, quo dicit: *Feci homicidium hodie*; aliud negativum, quo enuntiat: *Non feci homicidium heri ad dicendum tibi, &c.* Quæ duo iudicia, licet vnum eorum sit affirmativum, alterum vero negativum, revera contradictoria non sunt, sed simul verificantur, vt supra expensum est. Ergo revera non loquitur, prout oportet ad mendacium, cum intentione adhuc interpretativa fallendi. Probatur ista consequentia. Quia vox ista *Non feci* quatenus est ex se præcisè, indifferens est ad negandum cum addito, vel sine illo. Nec mendax censeri potest, aut debet, nisi evidenter constet, absque vllo addito fuisse prolatâ. Tunc vltra. Id nequit constare præcisè ex prolatione illius, vt cõstat ex proximè dictis. Deinde nec ex eo, quod additum illud, sit omnino, & invincibiliter occultum audienti. Quandoquidem quod est alijs occultum, adhuc invincibiliter, non est occultum ipsi loquenti, vt patet in illis mysticis, figurativis, & parabolicis sensibus, in quibus Christus Dominus, Raphael Angelus, Iacob, Iudith, & alij Sanctissimi viri, & fœminæ locuti sunt. Et hoc sat, superque est, vt loquens intendere possit loqui in isto sensu à se præconcepto, & non in alio, quem præseferunt verba, quemque audiens sperat. Ergo sive restrictio verificans sit publica, externa, & sensibilis, & saltem implicite subaudita ex aliqua externa circunstantia (vt plerumque contingit) sive sit omnino occulta, purè mentalis, & invincibiliter ignoranda ab audiente, semper aberit intentio tam directa, quam indirecta fallendi proximum. Ergo etiam aberit mendacium.

803 Insuper independenter à præsenti quæstione omnes concedere tenentur, posse ex terminis mentalibus, & vocalibus tamquam ex partibus se se mutuo afficientibus, ac iuvantibus vnam, & eamdem integrari orationem vocalem, & sensibilem, si loquens velit signa di-

ver-

Digitized by Google

versa componere, & illa inter se se miscere. Quod Interpretes omnes, præeunte Magno Gregorio supra relato, affirmant, sæpè contigisse Prophetis, & præsertim Ezechieli, qui librũ suum à coniunctione *Et*, quæ præcedentiũ continuativa est, incohavit. En Magni Gregorij verba: Verbum, quod foris protulit, illi verbo, quod intus audierat, coniunxit. Continuavit ergo verba, quæ protulit, visioni intimæ, & idcirco incipit dicens: *Et factum est*. Hactenus Gregorius.

804 Deinde Sacramenta inter signa sensibilia, & in horum genere collocantur, vt indubitatum est apud Theologos. Sacramentum enim est signum sensibile rei sacræ sanctificantis nos. Et nihilominus ex rebus sensibilibus, & insensibilibus adequatè componũtur perficiũtur, & integrantur. V.g. Eucharistia ex speciebus visibilibus, & Christi corpore, quod ibi nullo sensu percipi potest. Et quod plus est, invisibilia ipsa, vt corpus Christi in Sacramento Eucharistiæ, & character in Baptismo, & ordine dicuntur res, & Sacramentum simul: hoc est signum, & res significata, licet Christus sit ibi omnino invisibilis, & character sit quid spirituale, & merè internum. Similiter Sacrosanctum Missæ sacrificium est quoddam totum coalescens ex vocibus, & ex orationibus mentalibus: & ex vocalibus precibus quædam alta voce, quædam secretè pronuntiantur. Præterea in contractibus, aliisque dispositionibus vna, eademque oratio frequenter completur ex verbis expressè pronuntiatis, & etiam ex tacitis, quæ ex iuris dispositione, aut loquentium consuetudine supplentur. Hinc ortum duxerunt vulgares illæ iuris regulæ: *Tacita, ac expressa eadem est virtus: conditiones, quæ insunt tacitè, actum conditionalem non reddunt*. Tum denique eiusmodi compositio passim fieri solet ex verbis partim voce ab alijs perceptibili, partim imperceptibili intra os prolatis, vt si quis intelligibiliter dicat, se non fecisse homicidium, submisse interpolando adverbium *heri*. Et tamen quæ sic proferuntur, cum ab alio nequeant audiri, vt sic nihil ei significabunt; sed perinde se habebunt, ac si intra mentem consisterent, quoad effectum informandi illum de rota, & adæquata mente loquẽtis. Ergo extremorum natura minimè repugnat, quod ex dictis, & non dictis: ex terminis partim vocalibus, partim mentalibus, partim tacitis, partim expressis, tanquam ex partibus se se mutuo adiubantibus, afficientibus, ac suo modo perficientibus, vna, eademque oratio ex

Digitized by Google

ex ipsis mixta à loquente componatur, & quæ sit signum sensibile ad loquendum cum homine viatore iniusto, iniquo, & importuno interrogatore.

805 Quod explicatur. Homo essentialiter componitur ex duplici parte, quorū vna est spiritualis, & insensibilis, nimirum anima, altera vero est corporea, & sensibilis, licet ipse homo à parte deteriori sui denominetur corporeus, & sensibilis. Sacramenta etiam, vt supra habitum est, verè sunt, & appellantur signa sensibilia, quā vis altera pars sensu percipi non possit. Item Christus D. componitur ex humanitate, quæ est corporea, & sensibilis, & ex subsistentia Verbi Divini, tamquam ex termino. Ex quibus exemplis liquido constare videtur, non repugnare ex genere, aut ex natura sua, quod oratio qua vnus homo alterum viatorem alloquitur, componatur ex terminis partim mentalibus, partim vocalibus, tanquam ex partibus se mutuo afficientibus, ac perficientibus. Ex quo enim restrictio purè mentalis, & interna sit per se occulta, & consequenter inepta ad colloquendum cum hominibus viatoribus minus rectè infertur, quod etiā sit, & reddatur inepta ad integrandum, & componendum simul cum vocibus vnum signū, quo homo alloquitur hominē de ea parte obiecti, quam voces significant, & quod secum ipso, aut cum solo Deo loquatur de toto obiecto, quod habet in mente, quando iniustè, & iniquè interrogatur. Sicut enim orando sæpius nobiscum, aut cum Deo loquimur, purè mentaliter, aut purè vocaliter; sic ex vtroque loquendi modo vnam locutionem integrare, & componere valemus. Fit autem locutio interior, seu totalis, seu partialis formando intra se cōceptus bocabulorum significātium ad placitum in eo idiomate, quod quisque novit, sicut efformantur priusquam exterius propaletur quod intra cor agitamus, vt quilibet apud se experietur, & optimè explicat P. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 1. de oratione, cap. 3. n. 13. vbi conceptus mentales vocabulorum, dicit, vocari non vltimatos à Dialecticis. Pars ergo illa, quæ expromitur, falsa foret, si solitaria esset: si non coniungeretur, & veluti substerneretur, subijceretur, & supponeretur interno conceptui nō vltimato, & mente sola retento. Cum autem coniungatur cum tali conceptu non vltimato ex iusta, & gravi causa, & nulla vrgentior lex huiusmodi coniunctionem, nexum, vel continuationē terminorum mentalium, & vocalium prohibeat, locutio evadit con-

Digitized by Google

conformis menti, & intentioni loquentis, & declinatur mẽdacium.

806 Hanc eamdem doctrinam admittere tenenturRecentiores,quibuscũ disputamus; Sæpè namque invincibiliter occultantur audientibus causa loquendi, & circunstantiæ ipsæ restrictivæ loquendi:& in ordine, vel quoad effectum informandi ipsos audientes de tota, & adæquata mente loquentis, vel de sensu, in quo loquens profert verba, perinde se habent, ac si intra solam mentem consisterent, ac restrictiones purè mentales forent. Et ita absque dubio contigit in Isaac, quando dixit ei Iacob, se esse Esau suum primogenitum: in Tobia cum Ráphaele:in Iudith cum Holoferne, & eius militibus: in discipulis Christi Domini, & in Pharisæis, vt supra expensum est. Tunc enim humano iudicio eiusmodi locutiones mendacia videri possent, & fallaciæ (tectis scilicet personis loquentium, & mysterio nondũ prolato) sed revera,& corã Deo, qui occultam eorum intentionem noverat, mentemque, & causam loquendi in sensu adeo inopinabili, ac improprio, alienissimæ erant à mendacio, & à culpabili, & moraliter imputabili deceptione alterius.

807 Hinc differentia,quam Recentiores assignare contendunt inter suam,& nostram sententiam ductam ex eo,quod circunstantiæ restrictivæ tunc solum possint eluere labẽ mendacij, cum sunt sensu perceptibiles, & ideo aptæ ad componendum vnicum signum sensibile cum vocibus, quo restrictio ipsa indicerur,vel subaudiatur saltim indirectè, & implicitè, nec solida, nec vera est. Quod multipliciter persuadere possumus; Et primo sic. Possumus enim dicere, in nostra sententia iustam causam restringendi mentaliter locutionem nostram debere esse sensibilem, vt ea ratione exterius significetur saltem implicitè, verba generalia non proferri absolutè, ac sine addito, sicut sonare videntur, sed cum restrictione tacita. Ideo autem non dicitur sensibilis eiusmodi causa restringendi mentaliter locutionem nostram, quia significatio implicita additi verificantis, annexa causa, aut circunstantijs realibus, nisi occultetur audienti, potius nocebit, quam proderit ad redimendum nos ab extorsione exigentis responsionem vndique absolutam, & illimitatam,excludendo omnem restrictionem. Intelliget enim interrogator iniquus, illã absolutam responsionem detrectari,& nova ista suspicione cõfirmatus non desistet,sed incæptam vexationem gravabit. Si vero occultetur ipsi, & sub ea fidu-

Digitized by Google

ducia proferatur non erit vtilior, quam restrictio purè mentalis ad evitandum mendacium, aut ne loquenti imputetur moraliter proximi deceptio. Quia vitia ista non obijciuntur restrictioni internæ, quia interna est; sed quia occultatur.

808 Et cum Recentiores isti vniversim reijciunt restrictiones nostras purè mentales inquirendi sunt, quidnam illo adverbio *purè* significare contendant, & in quo differant istæ nostræ restrictiones *purè* mentales ex iusta causa à restrictionibus *purè* occultis etiam ex iusta causa, quas ipsi admittunt, & quas absolutè denegari non posse, esse licitas, absque errore in fide ex sacris litteris, Sanctis Patribus, Scholasticis, Interpretibus, Moralistis, Canonistis, Iurisconsultis, & Philosophis stabilire contendunt ijdem Recentiores, quibuscum disputamus, & quidem iure summo. Nam si ly *purè* eas mentales restrictiones denotet, quæ debitis circunstantijs destituuntur, & sine illis exercentur: noster Leãder, Thomas Sanchez, & reliqui omnes, quos pro nostra retulimus sententia, earum praxim damnant, & reprobant, & eas esse proprie, & rigorosè saltim moraliter, & reductive mẽdacia, & si iuramento firmentur, esse periuria, semper, & vbique affirmant. Si verò ly *purè* dumtaxat denotet illas restrictiones mentales, quæ hic, & nunc occulte adduntur, & si aliqua idonea causa, & circunstantijs vestiantur, nemo illarum praxim respuit.

809 Secundò. Quia differentia ista, & modus non sufficiunt ad exponenda testimonia Scripturæ sacræ prælegata, & alia similia, in quibus tota causa sic loquendi omnesque externæ circunstantiæ loci, tẽporis, personæ, &c. limitantes, & restringentes voces ipsas, easdemque verificantes omnibus erant occultæ, & nulli hominũ manifestatæ aliquo signo sensibili adhuc implicitè, aut indirectè sed ex sola Sancti Spiritus interna inspiratione, atque intentione pendentes, ad quam se in confuso referebant ijdem ipsi, qui ita loquebantur, cum sensum ab ipso intentum fortasse non intelligerent, vt ex Angelico Præceptore supra expẽsum est. Differentia ergo illa à contrarijs assignata, nec solida, nec vera est.

810 Tertiò. Quia circunstantiæ sensibiles excusantes à mendacio non consignificant, etiam implicitè, exercitium actuale loquendi cum restrictione, nec determinant in actu secundo verba explicita ad eum sensum, sed dumtaxat præbent iustam causam vtendi illa, si sit opus, & ita loquẽti placeat.

Si

Digitized by Google

Si enim verbum *nescio* v. g. à confessario prolatum, vel quovis alio, cui onus secreti incumbit, determinatè importaret significatione sensibili, illum non scire ad dicendum ea, quæ affirmat, se nescire: atque in istis circunstantijs idem esset dicere *nescio*, atque dicere *nescio, vt tibi dicam: ad tibi dicendum: ita, vt tenear dicere*: taliter, vt verba illa differrent solùmodo penès explicitum, & implicitum. Is profecto, qui tunc diceret *scio*, procul dubio mentiretur, & non tantum esset reus sigilli violati illicitè. Quia affirmando, se illud scire, implicitè denotaret ob circunstantias adiunctas, se scire ad dicendum alijs, quod est falsum, & contra mentem ipsius, qui rectè novit, se non scire illo modo rem, de qua est sermo. Et quidem si ille explicitè proferret, & affirmaret, se scire ad dicendum alijs, nemo dubitaret, eum mentiri. Perinde autem est quoad hunc effectum id ipsum proferre implicitè. Quia in veritate, aut falsitate semper sibi consonant, quæ solum differunt in significando penes explicitum, & implicitum.

811 Quarto persuadetur idipsum. Quia significatio illa implicita audientibus, atque interrogãtibus accommodanda esset, ne illam ignorantes decipiantur, & verba mendacium significent ipsis, qui solam explicitam significationẽ norunt, & implicitam, neque intelligunt, neque percipiunt. Quod si illis omnino nota esse potest, & adhuc mendacium vitatur, sicut & proximi deceptio, & iniquitas omnis, non apparet, quid conferre possit, vel quare desideretur, quod reipsa adsit, & dignosci possit ab alijs, sive prudentibus, sive imprudẽtibus, quibuscũ non loquimur, nec de tali locutione quidquã sciunt. Sat enim erit, quod restrictio à Deo cognoscatur pẽsanti verba nostra non prout foris sonant, sed secundum intentionem, qua proferuntur ex intimis, & cui non est minus patens insensibilis limitatio, quam sensibilis, vt supra expẽsum est ex Magno Gregorio. Quod vero insensibilis, ac purè mentalis à nullo possit intelligi, aut percipi, non obest, sed potius iubat, cum mentem nostram omnibus occultare teneamur, vel ius eam occultãdi habemus. Obesset autem quã maximè, si absque mendacio, vel fallacia illam omnino occultare non possemus, etiam prudẽtibus iniquè interrogantibus, vt in contraria sententia, & explicatione necessario contingit. Vide supra num. 774. Vbi diximus restrictiones purè mentales sæpè esse medium vnicum ad occultandum veritatem sine men-

Digitized by Google

mencio. Vide etiam num. 779.

812 Denique id ipsum persuadetur. Quia modus iste respondendi per restrictiones sensu perceptibiles, & quas dicunt esse aptas ad componendum vnum signum sensibile cū vocibus, quo sensibili signo causa, & restrictiones ipsæ saltim implicitè indicentur, erit omnino inutilis ad occultanda secreta in confessione audita, & quævis alia, tam à prudentibus circunstantiarum vim expendere valentibus, quam à rudioribus, & simplicioribus: & ad evitāda alia præiudicia propria, vel aliena, spiritualia, vel corporalia. Prudentes enim audientes ex ore Confessarij vocem *nesco* illico deprehēdent, & sibi persuadebunt, significationem sensibilem illius vocis in his circunstantijs non esse explicitam illam negativā omnis scientiæ, quam alioqui præ se ferre solet vox *nescio*; sed aliam magis implicitam, quā restrictio implicitè, & indirectè denotatur ex hominum impositione, & vsu. Et perinde est quoad prudentes in illis circunstantijs respondere *nescio*, ac dicere exprimendo restrictionē, *nescio vt homo: scientiæ communicabili, &c.* Et expliciti, & impliciti differentia non variat significationem, vt patet in definito, & definitione: *Homo, & animal rationale.* Quoad simpliciores, & rudiores idem cōtinget, sive per notitiam à prudentibus ad eos derivatam, sive per eam, quam naturaliter iam acquisierunt. Ex quibus liquido constat, differentiam à Recentioribus assignatam inter suas restrictiones sensibiles, & nostras purè mentales, nec veram, nec solidam esse ex eo, quod voces externæ non possint restringi ab addito retento in mente, quia non possunt cū eo vnum componere signum, quo vnus homo alium viatorē, & iniustum interrogatorē alloqui possit.

813 Ex dictis iam sponte sua fluit solutio quinti argumenti, & confirmationum. In forma, concessa maiori, nego minorem. Ad probationem nego antecedens. Ad cuius probationem respondeo, hominem privatum non habere facultatem ad imponendam verbis novam significationem. Quia significatio non competit vocibus à libera loquentium determinatione, sed ab impositione, & deputatione publica, vi cuius veluti impressa est vocibus vis excitativa audientis ad percipiendam rem illam, cui significandæ vox est imposita. Addo tamen ex communi vsu, & consuetudine, vt servetur humanū, & politicum commercium, posse hominem componere vnam, & eamdem orationem sensibi-

lem

Digitized by Google

lem ex signo sensibili, & insensibili interno, & externo. Cui orationi iam inest propria, & vera significatio ex communi hominum institutione, vsu, praxi, vel consuetudine. In qua significatione accipit loquens illa orationem cum addito: & sine vlla intentione fallendi ex n. 802. 804. & 805. & alibi: spectando, quod audiens expectare, & attendere debet, nimirū naturam prudentis collocutionis, quæ non fert, vt loquens, per eam sibi, aut alteri noceat irrationabiliter. Et non tam dicetur homo ille imponere novam, & voluntariam significationem, quam applicare terminum mentalem ex quo, & ex termino vocali vnum integratur signum sensibile, sicut ex anima rationali, & carne vnus resultat homo, qui est corporeus, & ex Deo, & ex homine resultat vnus Christus, vt dicitur in symbolo Athanasij. Paulo aliter. Qui per huiusmodi restrictionem purè mentalem applicatam termino vocali occultat veritatem, vtitur vocabulario pro talibus casibus necessario, & componit orationem ex terminis partim vocalibus, partim mentalibus, quorum naturis neutiquam repugnat facere illam compositionem. Nec id incredibile videri potest adversarijs. Si enim ad occultandam veritatem sine labe mendacij, & sine culpabili, & imputabili deceptione proximi virtutes omnes, artes, & officia, insuper & figuræ rethoricæ, hyronicæ, hyperbolicæ, parabolicæ, vrbanitas, gratulatio, & aliæ similes locutiones, & modi agendi cum proximis sua specialia, & propria habent vocabularia. Insuper rudes, & idiotæ, iuxta adversarios possunt mendacij labem, & activam proximi deceptionē excusare, si illud subintelligant in genere quod viri timorati, & docti norunt posse subintelligi, vt supra habitum est num. 783. necdum ex nostro Leandro, Suarez, Thoma Sanchez, & alijs, verumetiam ex Torrecilla. Quid mirum si quando non suppetunt voces æquivocæ, aut restrictiones, quas adversarij vocant sensibiles, vt sæpè contingere potest, & vrget lex, vel obligatio occultandi secreta, vtatur quis eiusmodi vocabulario, vel phrasi, in qua ex iusta causa vnum subticeat conceptum, & alterum exprimat absque labe mēdacij, vel culpabili deceptione proximi? Qui dumtaxat sistit in orationis externæ prolatione, & quasi verborum cortice, eam esse falsam iudicabit. Iuncta tamen verbis, vel terminis mente conceptis, & subintellectis, vera est in re, nec nisi apparenter, & in speciem falsa. Quare sensus huius quæstionis: *Vtrùm li-*

ceat

Digitized by Google

ceat aliquando ex iusta causa vti restrictione pure mentali? est: Liceat ne ita loqui, vt propositio, quæ exterius pronuntiatur, & potest ab alio percipi, integretur ex aliquo, quod sola mẽte subticetur: ita vt verba externa præcise, & solitarie accepta, alium essent effectura sensum, quam quem efficiunt iuncta conceptui non vltimato, qui retinetur in mente? Nos dicimus posse: & responsionem illã. *Nescio, &c.* in speciem esse cõpletam: reipsa tamen esse incompletam. Quia ex ipsa, & ex addito *Ad dicendum.* V. g. completur. Et est vera. Quare, concesso antecedenti, negatur consequentia.

814 Ad primam confirmationem, nego antecedens ex dictis à num. 800. Ad secundã, concessa maiori, nego minorẽ. Et adversarij ipsi tenentur solvere difficultatem saltem in restrictionibus, quas pro idiotis, & rudibus admittunt. Ad tertiam respondeo, quod, supposita iniusta, iniqua, & imprudenti interrogatione, possum cum illo addito, aut alio simili ex iusta causa respondere, proximi deceptionem permittendo. Sicut Sanctus Franciscus ferè in simili respondit. Cum enim interrogatus fuisset à iustitiæ ministris, an illac reus quidã transisset, manus introducens in vestis manicas, dixit sic: *Non transijt hac*, intelligendo de loco, in quo manus habebat. Quia iusta aderat causa veritatis occultandæ. Quem casum referunt noster Leander p. 7. tract. 1. disp. 45. q. 33. Navarro, Suarez, Sanchez, & alij. Et si illud additum à Divo Francisco cohærere potuit cum verbis exterius expressis, & cum eis coalescere in vnam, & eamdem orationem vocalem veram, cũ reus ille nunquam transierit, nec transire potuerit per vestis manicas. Quid mirum si potest quis in simili perplexitate constitutus verè dicere: *Venio Roma, aut è loco, in quo nunquam fui ad dicendum tibi, iniusto interrogatori, atque imprudenti?* Additum enim illud D. Francisci introducendi manus in vestis manicas, eius filijs frequentissimum, omnino invincibiliter occultabatur iustitiæ ministris, quibuscum loquebatur, & quoad effectum informandi audientes, & præsentes de tota, & adæquata mente Divi Francisci, & de sensu, in quo ipse loquebatur, perinde se habebat, ac si intra solam mentem consisteret, & restrictio purè mentalis foret. Vide supra num. 806.

815 Ad quartam confirmationem num. 796. concessa maiori, nego minorem. Ad huius probationem distinguo maiorem: locutio vnius hominis cum

Digitized by Google

cum alio,& cuid præcisè significat, quod externa, & vocalis oratio significat, accepta solitariè, vel cum addito,concedo. Id quod præcisè solitarie: subdistinguo,si sine addito vsurpetur,cõcedo.Si cũ addito, nego. Vide sup.n. 805.Et ratio adversariorũ solvenda est ab eisdẽ, vt patet ex dictis de S.Francisco.

816 Ad quintam confirmationem num. 797. nego maiorem ex dictis à num. 783. & 802. Dissonat namque veritati, & quidem plurimum, externas voces non posse restringi, aut limitari ab addito in sola mente retento, quia cum eo vnum signum sensibile componere, aut integrare non valet. Dissonat item eidem veritati dicere,quod cum quis negat,se feciſſe, quod licite manifestare nequit,& respondet: *Non feci*: eiusmodi negatio cadere non potest supra factum, vt restrictione purè mentali, & interna restrictum,limitatũ, & modificatũ. Cadit enim talis negatio supra totum prædicatũ mentalis,& internæ propositionis: *Nõ feci ad dicendũ tibi, ita vt tenear dicere*: iuxta intentionẽ loquẽtis, qui de ea sola loqui vult, & loqui tenetur,quãdo imprudẽter,& iniuste interrogatur,quãvis partẽ eius subticeat, & supprimat.Et hic est vnus casus ex multis,in quib⁹ taciti,& expressi eadẽ est ratio ex n. 804, & in quibus generalia verba tam negativa, quã affirmativa ad evitandũ grave absurdũ iusta interpretatione restringuntur, & reputãtur prolata cũ quadã limitatione, licet eorũ vniversalitas apparenter,vel quoad speciẽ excludere videatur talẽ limitationẽ.Sic promissiones, sic leges generalibus expressæ vocibus,v.g. *lex non iurandi omnino*, sine mẽdacio dictæ,aut scriptæ intelligũtur,& cũ exceptione tacita, dum per epicheiam postmodũ corrigãtur, & potius attenditur,& statur mẽti,& intentioni loquentis,verbaq́ proferentis, quã eorumdẽ verborũ cortici,illorumq́ sono, & mens limitata prævalet vocibus illimitatis. Vtque insistã exemplo proximè indicato lex illa vniversalis Matth. 5.v. 34. *Non iurare omnino*, inspecto solo verborũ cortice,& vi, positivè illimitata est. Nihilominus est proposita talis lex cum occulta restrictione nõ prohibẽdi omnino iuramẽtũ, sed solũ in certis casibus. Quado enim suis tribus comitibus associatur, licitũ, & honestũ est. Sic etiã in sentẽtia contraria negatio explicita sæpissimè afficit restrictionẽ merè implicitam, ac voce prolata, tacitã,& publica adeò submissè dictã, vt vox loquentis penitus nõ audiatur, sicut contigit Annæ 1. Reg. cap. 1. v. 13. Sic etiã scripta possunt restringi, aut

Digitized by Google

ampliari viva voce, quamvis scriptura sit permanens, & vox transiens. Si autē scripta vocibus restringi possunt, cur nō, & mente? Et ita contingit, cum scribuntur voces illæ purè mētaliter restrictæ, quibus Christus Dñs dixit, se nescire diem iudicij, & aliæ similes. Quod enim restrictio in tali casu legentibus sit occulta, obstare nō potest ex dictis, sicut nec obstat, quod quis scripserit verbis æquivocis, in communiter vsitata significatione falsis, veris autē in alia extraordinaria intenta ab ipso, quamvis illorū veritas vnicè pendeat ex interna, & per se occulta, atque transeūte voluntate ipsius, qui his vocibus vti voluit in eo sensu, & nō in alio. Sufficit enim ad excusandum mendaciū, quod voces scriptæ, aut prolatæ non discrepent à veritate in sensu illo intento ab auctore. Et ideo Sancti Patres dum explicant Scripturæ sacræ testimonia supra à nobis relata pro ista conclusione septima, semper confugiunt tanquā ad aram ad prudentem, iustam, & sanctam intentionē, tametsi audientibus sæpè invincibiliter occultam, vt veracia censeantur verba in illo sensu occulto, vel mystico, figurativo, vel parabolico, quę falsa sunt in sensu vulgari, & noto. Ad quam intentionem reduci debet ratio, & causa loquendi, quæ est præcipua inter circunstantias loquendi. Vnde peracutè docuit Sanctus Hilarius lib. 4. de Trinitate, & ex eodē instar regulæ proponitur in iure cap. intelligentia 6. de V.S. *Intelligētia auctorum ex causis est sumēda dicendi, quia non sermoni res, sed rei sermo est subiectus.*

817 Quod explicatur in locutionibus æquivocis, & limitatis per restrictiones nō purè mentales, à contrarijs admissas. Et omnia argumenta, quæ contra vsum nostrarū restrictionū purè mētaliū fiunt ab adversarijs, in eosdē cōtorquere possumus, & nihil est, quod facilius efficere valeamus. Vrgent ipsi, quod nostræ restrictiones non possunt vnū signū sensibile constituere cum vocibus externis. Quod ipsæ fidē audientiū impediunt, loquentiū auctoritatē de medio tollunt: quod proximum decipiunt, &c. Idem autē dicendum videtur in sententia contraria, quę nō potest nō admittere locutiones æquivocas, & restrictiones nō purè mētales ex iusta causa. Quando enim quis ita loquitur, loquitur verbis falsis in sensu vsitato, litterali, ac noto audientibus; sed veris in sensu mystico, vel figurato, vel alio dependente ex sola voluntate loquentis, ac sæpè sæpius invincibiliter prorsus ignoto cæteris omnibus, quos alloquitur. Iste loquēdi modus primo

Digitized by Google

mo aſpectu videtur mendax, & fallax: fidei audientiū impeditivus, loquētiū authoritatis deſtructivus, proximi deceptivus, includens in ſuo formaliſsimo conceptu voluntatē, ſemper intrinſecè turpem, humano commercio contrariā. Nihilominus tamen talis modus loquendi ex cauſa admodū iuſta, & gravi nō eſt prohibitus, & intrinſecè malus, ſed verax iuxta intentionē loquentis, & in divinis litteris frequenter vſitatus à Chriſto Dño, & Viris Sanctiſsimis, vt ex SS. Patribus Auguſtino, Gregorio, Thoma, & alijs demonſtratū eſt. Quin inde inferri valeat, quod quoties licèt occultare mentē propriam per locutionē æquivocā, aut nō purè mentaliter reſtrictā, etiam liceat mendacium. Qui enim vtitur verbis æquivocis in vna ſignificatione veris, & in alia falſis: non dicit vtrumque, ſed quod vult. Quid autē velit, occultū eſt, cū nullo externo ſigno diſcernatur; ſed ex voluntate purè interna ipſius loquentis vnicè dependeat. Sic interrogatus ego, an ſit in iſto noſtro Collegio Salmanticenſi innocens quidā abſconditus, à ſatellitibus quæſitus, vtque malefactor puniendus: poſſum reſpondere dicendo: *non eſt*, accipiendo ly *eſt*, pro *comedit*, vt aliquando inter Latinos vſurpatur. Quæ ſignificatio non eſt adeò vſitata. Cuius tamē vſus reverā, hic, & nunc reducendus eſt ad prudentē, & iuſtam intentionē meā, & vocis ambiguitatē, quæ duas habet ſignificationes, & modos ſignificandi, quorū vnus eſt verꝰ, & alter falſus. Verus, cū voces accipiuntur tanquā oratio partialis, & inadæquata; falſus verò, quādo accipiuntur tāquā oratio integra, perfecta, & cōpleta, & iuxta diversū modū menti meæ adæquatum, vel inadæquatū, quo ego loquens eis vti volo, nunc licitæ, nunc illicitæ cenſeri poſſunt, & debent. Licitæ, ſi adſit cauſa iuſta. Illicitæ, ſi deſit. Hinc penitus evaneſcit potiſsima adverſariorum obiectio. Dicunt ipſi, quod loquentis intentio, mentaliſque ipſius cōceptꝰ, quē effingit, omnino diverſus ab eo, quē verba promunt exterius, non poſſunt emaculare locutionē illam, quæ haud aliter vera eſſe poteſt, quā prout eſt, ſive prout promitur exterius, & dirigitur ad audiētem. Quia eſt ſignū quoddam, cuius tota vis, & ratio cōſiſtit in idoneitate, & aptitudine ad excitandū; quam idoneitatē non habet, niſi quatenus ab alio percipi poteſt atque adeò non niſi quatenus ab altero exteriꝰ profertur. Quia hoc tantūmodo eſt perceptibile ab eo, qui audit. Locutio autē purè mētaliter reſtricta & revera falſa nequit per nudā loquētis intentionē effici vera. Quandoquidē vocū vſur-

Digitized by Google

patio, & deputatio non est cuique libera. Evanescit, inquam.

818 Hinc constat, & quidē clarissimè, rationē prohibendi semper, & vbique mendaciū tāquā quid intrinsecè malū, proximi deceptivū, omnis humani commercij, mutuæque hominū confidētię destructivū, applicari non posse restrictionibus nostris purè mētalibus generalitate illa; sicut nec accommadari potest restrictionibus non purè mentalibus communiter receptis, & in Pontificia damnatione minimè cōprehēsis, locutionibusq; æquivocis ex causa admodum iusta, & gravi exercitis. Adaptari quidem poterit quoties restrictiones nostræ purè mētales exercētur sine iusta causa, cū intentione saltē virtuali proximū decipiendi. Et tunc eadem erit ratio, eademq; incommoda rationalis convictus æqualisque externorū signorū abusus ab intrinseco repugnans, & contrarius fini propter quem externa signa instituta sunt a natura, vt supra expensum est. Semper itē cōtravenietur negativo præceptō, non decipiendi proximū. Et idem etiā eveniet in restrictionibus non purè mentalibus. Et æquivocis locutionibus ab omnibus admissis. Verumenimverō est latissimū discrimen inter nostras restrictiones purè mētales, & mendaciū. Istud à volū tate saltē interpretativa fallendi nūquā, & nullibi potest separari. Quia culpa mentiētis est fallendi cupiditas, & nemo mētitur, nisi velit falsum dicere, tanquā sibi verū, atque fide dignū apud alios. Hinc peraccutè, & sub syllogistica forma Magnus Parens August. lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 36. inquit: Nemo mentiens, in eo quod mentitur, servat fidē: nam hoc vtiq; vult, vt cui mentitur, fidem sibi habeat, quam tamen ei mentiēdo nō servat. Omnis autē fidei violator iniquus est. Aut igitur iniquitas vtilis est aliquādo, quod fieri non potest, aut mendaciū semper inutile est. Hęc August. & quidē per opportunè. Verū tamen locutio purè mentaliter restricta, neque ex cōceptu suo formalissimo importat fallendi volūtatē adhuc interpretativā, nec cū ipsa inseparabiliter connectitur. Qui enim sic loquitur, no vult dicere falsū sibi notū, aut cōtradicere vlli iudicio vero ex illis, quæ retinet in mēte; sed potius vult dicere verū, licet inadæquatè tantummodo, supprimendo alterā partē suæ orationis, nō intentione adhuc interpretativa proximū fallendi; sed dumtaxat occultandi factū, cuius reticendi obligationem, aut idoneam causam habet, & occultari hic, & nunc non potest, nisi restrictio ipsa, causa loquendi, & circunstantiæ ipsæ pariter occultentur. Et idem

Digitized by Google con-

contingit in restrionibus non purè mentalibus, & æquivocis locutionibus si istæ inutiles reddendæ non sint ad propriũ finem.

819 Contra omnia dicta insurges primò. Finis, & intẽtio veritatis occultandæ, quam palam, & syncere non possumus licitè manifestare adhuc præcepto, vel minis compulsi, neutiquam tollit voluntatem proximum decipiendi. Alias enim neutiquam mentiretur, qui ad occultandum aliquod secretum, vel ne sua propria convinceretur cõfessione, pronuntiaret verba falsi significativa, quin vllum mentale, aut vocale adiungeret additũ. Sed hoc est falsum. Quia retenta tali voluntate, semper adest mendacium. Ergo licèt locutio purè mentaliter restringatur ex intentione occultandæ veritatis, imò ex obligatione eam occultandi, semper erit mendacium, vel fallacia, & repugnabit præcepto non decipiendi Divino, & naturali. Respõ deo concedendo, talem intentionem nõ tollere voluntatem decipiendi, sed sæpè sæpius cũ ea coniungi. Frequenter enim homines vtuntur mendacio ad sua secreta occultanda: & eligunt media ex se, & intrinsecè mala ad suam honestam implẽdam intentionem. In quo peccant. Quia non sunt facienda mala, vt inde veniant bona. Cõcedimus etiam, mendacium, aut fallaciam præcepto nõ decipiendi contrariam reperiri quoties retinetur voluntas illa saltem interpretativa decipiẽdi proximum. Negamus tamẽ, talem voluntatem adhuc interpretativam proximum decipiẽdi retineri ab eo, qui ex iusta causa exigit restrictiones purè metales ad occultandam veritatem, aut vtitur medio, quo partem aliquam sui conceptus exprimit, & eius restrictionem supprimit. Quia tunc nec mẽtitur, nec proximi deceptio ei moraliter imputatur, quia cum tam gravi præiudicio eam evitare non tenetur. Et quasi iure defensionis naturalis proximo permittit, vt seipsum decipiat, eligendo ex duobus modis significandi, quos habere possunt voces illæ: *Nescio*: *non feci*, & aliæ similes, quorum vnus est adæquatus menti loquentis, & alter inadæquatus, eum sensum, qui inadæquatus est, relicto alio, qui est adæquatus. Et idem contingit in restrictionibus non purè mentalibus, & æquivocis locutionibus ab omnibus receptis, quando ex iusta exercentur causa. Tunc enim voces æquivocæ plures habent sensus, & plura significant. Et vnum vult dicere loquens: & aliud intelligit audiens.

820 Insurges secundò.

Digitized by Google

Ad mendacium, vel fallaciam sufficit indirecta, & interpretativa voluntas, & intentio proximum decipiendi, sicut etiam ad contrahendã malitiã scandali, detractionis, furti, homicidij, &c. sufficit eadem voluntas indirecta, vel interpretativa, & non desideratur voluntas positiva, formalis, vel directa ruinæ spiritualis, vel mali proximi ex num. 790. & alibi. Tunc vltra. In eo, qui vtitur restrictione pure mentali, invenitur semper saltim interpretativa voluntas decipiendi proximum. Quandoquidem talis interpretativa voluntas proximum decipiendi est inseparabilis, indistincta, imò in præscindibilis à voluntate pronuntiandi voces ex propria sua impositione falsi significativas, fallaces, & mendosas. Ergo hæc sola voluntas ita loquendi semper secum importat voluntatẽ, quæ sufficit ad malitiam mendacij, vel fallaciæ, & ad violandum præceptum negativum non decipiendi proximum n. 684. stabilitum.

821 Confirmatur. Negari non posse, videtur, cum, qui sua dicta verificat per restrictionem purè mentalem, ex vna parte scienter loqui contra mẽtem audientis; ex altera vero præbere proximo proximam errandi occasionem, & vti verbis maximam mendacij, & fallaciæ speciẽ habentibus. Quãdoquidem similia verba nihil differunt ab illis, quibus vteretur mentiens. Ergo sive proprie, & rigorosè mentiatur, sive non mentiatur, semper illicite aget: negativum non decipiẽdi præceptum divinum, & naturale violabit, & peccabit.

822 Respondeo ex dictis concessa maiori, negando minorem, & eius probationem. Quoties enim adest iusta, & admodum gravis causa deludendi proximum nostra responsione, & permittendi eius deceptionem: voluntas pronuntiandi voces, vno modo falsi significativas; alio vero modo significativas veri non semper importat voluntatem adhuc interpretativam decipiendi proximũ, sed ab ea præscindi, distingui, & separari potest. Quod in genere licere, manifestè convincunt dicta, & facta Christi Domini, & Sanctorum, qui clarè, & evidenter prævidebant futurum, vt audientes deciperẽtur, errarent, & fallerentur. Quia occultum, & latentẽ illorum sensum, mysticum, aut figurativum, in quo solo verificabantur, nec ex vi verborum, nec ex alijs circunstantijs sibi notis, & externis humanitus coniectare poterant. Credo, & quod nec Torrecilla, nec Lumbier, nec Carmelita Discalceatus, & reliqui num. 723. & 724. con-

Digitized by Google

coniectassent, si ibi interfuissent. Quomodo ergo se gesserunt, & se gessissent Recentiores isti? Litteralem dumtaxat sensum, relicto mystico, fuerunt subsequuti; & citra culpam loquentium fuerunt decepti. Loquentes solum per accidens, & materialiter, aut permissive, non autem vere moraliter, aut imputative fuerunt causa erroris, atque deceptionis. Et idem contingit in restrictionibus nō pure mentalibus, & æquivocis locutionibus ex iusta causa exercitis.

823 Ad confirmationē respondeo ex dictis à n. 757. & 791; omnia illa evenire, quādo quis vtitur restrictione pure mentali sine causa admodum iusta, & gravi. Ideo quando non adest talis causa, abstinere tenemur ab huiusmodi restrictionibus purè mentalibus: imò & non purè mentalibus, insuper, & æquivocis locutionibus ex quocumque tandem præcepto oriatur huiusmodi obligatio, sive ex præcepto negativo non mētiendi; sive ex præcepto nō decipiendi proximū; sive ex præcepto affirmativo vtendi signis externis ea synceritate, & simplicitate, quam rationalis, & humanus exigit convictus. Verumenimvero nullo tali, vel simili præcepto tenemur loqui semper iuxta mentem alterius, aut abstinere ab his loquendi modis, ex quibus alij sumunt occasionem errandi ex malitia, aut ignorantia vincibili, vel invincibili: neque præcavere ea signa, quæ superficialiter inspecta, mendacij speciem præseferunt: creaturarum rationaliū societati nocent: mutuam hominum confidentiam tollunt; sed ex causa admodum gravi, & iusta hæc omnia licent: esse mala desinunt: seu malitiæ rationem exuunt. Quod patet in scandalo ex dictis num. 790. In illo enim, vna, eademque actio, quæ absque iusta causa operanti imputatur ad culpam, si eam eliciat ob causam admodum iustam, & gravem, desinit esse scandalum, & nullum est peccatum.

824 Ad vltimam confirmationem, num. 798. positam, nego antecedens ex dictis in probationibus nostræ conclusionis. Nec propterea negamus, quandoque sufficere ad occultandam veritatem illas restrictiones, quas Recentiores vocant nō purè mētales, & ex circunstantijs consignificantibus loci, temporis, &c. verbis implicite, aut indirectè subindicatas. Has enim libentissime admittimus, aut saltem nō negamus. Verumenimvero, sicut eas non negamus, sic nec ipsas exposcimus ad exponenda prædicta Scripturæ sacræ testimonia. Addimus restrictiones non-

Digitized by Google

purè mentales, necdum esse insufficientes ad exponenda prædicta testimonia, & alia similia: verumetiam esse omnino inutiles ad præintentum finem veritatis occultandæ, quæ non nisi per restrictiones purè mentales sæpè sæpius occultari potest. Quare eiusmodi restrictiones purè mentales ex causa admodum gravi, & iusta sunt frequenter medium necessarium ad humanum commercium conservandum citra omne mēdacium, vt supra est expensum.

825. Ex dictis inferes quantū excesserit Ioannes Barnesius, qui dixit, perinde esse: inquirere: an liceat occultare veritatem ex iusta causa media restrictione purè mentali: ac inquirere; an liceat mentiri? Inferes etiam quantum excesserit Thomas Hurtado in suis resolutionibus orthodoxo moralibus de vero Martyrio, tract. vlt. resol. 70. vbi dixit, sibi videri, quod fundetur in ista sentētia de vsu licito restrictionum purè mentalium ex causa valde iusta, & gravi error, & quidem crassissimus eorū, qui dixerunt, licere Chinensibus Christianis vti Gentilicis ceremonijs, & coram populo in templis, & fanis idolorum sacrificia, quæ ab idolatris fiunt: ipsa dirigendo ad Crucem, quæ in occulto fit, impune offere, & suffumigationes, adorationesque externas eisdem idolis dicare. Inferes, inquam. Opinio enim adeo recepta tam in praxi, quàm in scholis, qualis est ista de licito vsu restrictionum purè mentalium ex causa admodum iusta, & gravi non potuit esse fundamentum, aut occasio erroris adeò crassi. Sicut ergo omnes, vel ferè omnes hæreses desumptæ sunt ex aliquibus verbis Scripturæ sacræ, Summorum Pontificum, Conciliorum Generalium, & Sanctorum Patrum siniſtre, & pessime intellectis, & iuxta sensum ab Ecclesia, & Sanctis Patribus alienissimum, vt supra num. 384. dictum est. Similiter dicendum est de errore, vel hæresi Chinensium Christianorum, si qui fuerunt, qui in talem errorem lapsi sint. Quibus rebus, & apertissime expositis, & firmissime corroboratis, satis retudisse videor acutissimum adversariorum mucronem à num. 792. in nos contortum: sufficienterque respondisse principali ipsorum argumento.

(*)

****
****
****

§. SEP-

Digitized by Google

§. SEPTIMVS.

Salua condemnatione propositionum 26. & 27. per Innocentium XI. promulgata: adhuc occultari possunt ex causa valde iusta, & graui per restrictionem purè mentalem quælibet secreta.

826 PRopositiones 26. & 27. ab Innocentio XI. damnatas, sicut iacent, vt minimum tanquam scandalosas, & in praxi pernitiosas supra retulimus n. 721. & 722. Mox atque damnationes eiusmodi publicatæ sunt, summâ difficultatẽ, ac perplexitatẽ passi sunt viri doctissimi ad occultanda audita in cõfessione, & quævis alia secreta citra labẽ mendacij, & sarta, tectaque seruata condemnatione Pontificia. Ad tollendam eiusmodi perplexitatẽ Sapientissimi Recentiores duas, & quidem cõmunes, & per antiquas demõstrarunt vias. Prima earum est illa, quam referunt N. Leand. part. 7. tract. 1. disp. 45. à quæst. 1. Sanchez lib. 3. in præcepta Decalogi cap. 6. & alij. Estque tenoris sequentis. Quoties verba sunt significatione sua æquivoca, vel ambigua, pluresque sensus admittentia nullum est mendacium ea proferre in sensu, quem proferens ex illis vult, & concipit, & si audientes in alio sensu accipiant, dummodo causa admodum gravis, & iusta adsit. In quo eventu licet etiam assertionem æquivocam iuramento confirmare. Ratio est: Quia cum verba omnes illos admittant sensus, nihil contra mentem itur, aut germanum verborum sensum, illa in quo vis eorum vsurpando. Et ob iustam causam præponderantem æquivoce, vel ambigue loquẽdi, cessat obligatio præcepti affirmativi præcipientis planam, candidam, synceram, & apertam loquutionem. Alias in nulla necessitate eis vti liceret cõtra omnium Doctorum mentẽ, & Scripturæ sacræ, atque Sanctorum Patrum testimonia. Cũ necessitas efficere nequeat, quin mendacium, aut periurium sit, quod ea cessante, mendacium, aut periurium foret. Ad hæc. Qui ambigue, vel æquivoce loquitur, non profert verba, quæ vero careant sensu, & consequenter nec directè agit contra veritatem, proferẽdo mendacium: quin potius conformiter ad mentem loquitur iuxta illud Pauli Iurisconsulti L. 3. ff. de reb. dub. *In ambiguo sermone non vtrumque dicimus, sed dumtaxat, quod volumus.* De vocibus æquivocis N. Emman. à Conceptione in suo Curs. Philosoph. Trinit. tom. 1. num.

Digitized by Google

num 70. & à num. 906. Chrysippus sensit, omnia esse verba æquivoca, referente Theophilo Raynaudo tom. 14. opusc. 3. cap. 3. num. 33. in fin. Iuxta eumdem ibidem, licet æquivocatio, & amphibologia revera inter se differant, nihilominus confunduntur: & ambæ significant enuntiationem, verbo tenus simplicem, spectato tamen sensu, quem excitare idonea est, multiplicem, atque adeò non nisi cortice tenus vnã. Ambiguitatis vocum, sive æquivocationis origo fuit earumdem vocum inopia. Quia plures sunt res, vel negotia, quam verba. Ergo prima via, vel primus modus occultandi ex iusta, & gravi causa, audita in confessione Sacramentali, vel quævis alia secreta, ex quorum sincera manifestatione gravia sequerentur incommoda spiritualia, vel corporalia propria, vel aliena: salva condemnatione Pontificia.

827 Secunda via, vel modus occultandi eiusmodi secreta est per restrictiones non purè mentales, seu per restrictiones externas, & sensibiles num. 741. descriptas. Eiusmodi enim restrictiones non purè mentales ex iusta causa exercitas non esse in damnatione comprehẽsas est indubitatum apud omnes: sicut etiam est indubitatum, locutiones æquivocas, vel ambiguas ex iusta causa habitas non esse in eadem damnatione comprehensas. Quia ibi nullà fit mentio restrictionum non purè mentalium, aut æquivocarum locutionum. Quare certissimum est apud omnes ante, & post Innocentio XI. damnationem, nec dum confessarios, verumetiam legatos. Consiliarios, & quoslibet alios, qui ratione suæ obligationis veritatem occultare tenentur, eam occultantes ex iusta, & admodum gravi causa per restrictionem externam, aut per locutionem æquivocam: non mẽtiri, & licet iuramento sua dicta confirment, non peierare. Similiter dicendum est in tali condemnatione non prohiberi, neque declarari, vt illicitas phrases illas ironicas, hyperbolicas, parabolicas, politicas, vrbanas, congratulorias, & alias similes, quæ ratione alicuius figuræ rethoricæ, tropi, vsus, vel cõsuetudinis speciales suas subinduerunt iam significationes longe diversas à significatione rigida, & mere Grammaticali, & quam virtus veritatis, vel veracitatis in toto suo rigore, accepta expostulare videtur. Quare quæ in rigoroso sensu Grammaticali, & attenta proprietate veritatis, vel veracitatis, falsa forent in Morali vocabulario ironiæ, parabolarum, vrbanitatis, congratulationis, &

Digitized by Google

& aliarum virtutum, vel artium, vera censentur. In his omnibus convenimus cum Recentioribus. Vide supr. n. 741. & 813. Vltra prædictos ergo modos occultandi veritatem n. 826. & in hoc 827. expositos.

828 Dicimus, salva condemnatione prædictarum propositionum 26. & 27. adhuc licitum esse: vti ex causa admodum iusta, & gravi restrictione purè mentali etiam cum iuramento. Cui assertioni neutiquā obstat Pontificia condemnatio. Ita sentit Rev. P. Didacus de la Fuente Hurtado dissert. 16. n. 73. vbi inquirit: *Vtrùm supradictis obest condemnatio Pontificia?* Et respondet: *Si vel leviter obstare suspicarer, egomet ipsa comburerem, nullius iussione expectata.* Idipsum, & ego protestor. Reverendissimus P. Didacus de Valois, natione Hibernus, Societatis Iesu, ingenio, eruditione, comitate, prudentia, morumque suavitate admodum conspicuus, Rectorque meritissimus Regalis Collegij Salmantini Hibernorum eiusdem Societatis Iesu, & mihi semper colendissimus, & Religiosa familiaritate in amicitijs iunctus sententiam nostram vt probabilem tradidit in aureo morali opusculo de Sacramento Pœnitentiæ in appendice addita de sigillo cap. 4. & de ea semel, & iterum à me consultus, maturèque consideratis fundamentis Reverendissimi P. Didaci de la Fuente Hurtado hactenus stabilitis, eamdem nostram sententiam iam probabiliorem censet, quam contrariā. Et quidem iustissimè. Cuius auctoritas magni ponderis est.

829 Multipliciter ergo suadebimus, immo & persuadebimus, salva condemnatione Pontificia, adhuc quælibet secreta occultari posse per restrictionem purè mentalem ex causa admodum gravi, & iusta, & huic nostræ assertioni neutiquā obstare Pontificiam damnationem. Primo ergo persuadetur sic. Pontificis scopus in damnandis eiusmodi propositionibus non fuit damnare opiniones communi Doctorum calculo post diligens examen ab antiquo receptas tanquā probabiles, & in praxi securas; sed quasdam alias noviter adinvētas, aut noviter suscitatas, cum essent antiquatæ. Quod patet ex decreto Alexandri VII edito die 24. Septembris anno 1665. Cuius salubre opus continuavit Innocentius XI. vt ipse in suo testificatur decreto, in quo prædictas propositiones 26. & 27. sicut iacent, vt minimū tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas damnavit, & prohibuit. Ibi: *Partim noviter adinventas.* Verumenimvero quod in aliquo casu vrgentis necessitatis,

Digitized by Google

tatis, aut vexationis iniquæ, cui absque incommodo gravi proprio, vel alieno, spirituali, vel corporali, aliter occurri nequit, liceant eiusmodi restrictiones purè mentales etiam iuratæ, nō est opinio noviter inventa, nec noviter suscitata, sed valde antiqua, & nunquam antiquata; imò iugi continuatione defensa ab Auctoribus maximi nominis post diligens, & accuratū examen. Opinio ergo ista nostra, & assertio cum moderationibus, & limitationibus, quibus eam tradidimus, non subiacet Pontificiæ censuræ: & ista facta, tectaque conservata, vsus restrictionum purè mentalium ex iusta, & gravi causa adhuc licitus est. Consequentia tenet. Maior liquet ex decretis Summorum Pontificum Alexandri VII. & Innocentij XI. Minor vero probatur ex nostro Leandro p. 7. tract. 1. disp. 45. quæst. 19. vbi inquirit, an possit quis aliquando vti amphibologia, seu restrictione mentali absque mendacio? Et post relata fundamenta sententiæ contrariæ, & post citatos Auctores illius: sic ait: Sed æquè probabiliter, imò & probabilius respondeo dicendum, quod optimè posset quis vti aliquando sine vllo mēdacio mentali restrictione: sic ex Navarro docet Suarius lib. 3. de iuramento cap. 10. à num. 2. vbi num. 4. ita ait: Hæc sententia practicè securissima, & in rigore vera est: dummodo non ad libitum quis loquatur, & restrictionem concipiat proportionatam verbis, & materię, de qua tractatur, vel saltem quæ si voce exprimeretur, & cū alia parte orationis coniungeretur, congruum, & verum sensum efficeret, ex quo apta, & conveniens responsio resultaret. Sic ille ex Navarro in cap. *Humanæ aures*, q. 1. & in cap. *Inter verba*, concl. 6. corollario 65. à n. 398. & in manual. cap. 12. n. 9. & 19. & cap. 18. n. 61. & cap. 25. n. 43. Vnde non bene Prado (cap. 32. de iuramēto, q. 4.) §. 3. num. 27. refert Suarium, quasi dubitanter sententem hanc partē. Tenent item hanc ipsam sententiam Sanchez lib. 3. Decal. cap. 6. num. 15. vbi præter Navarrum, & Suarium citat etiam pro illa Angelum, Sylvestrum, Valentiam, Toletum, Rodrig. Lesium, Salonium, & Philiarchum. His addi possunt Filliucius, Reginaldus, Pesantius, Stephanus Emonerius, Diana, Bonacina, Trullench, Palaus, Fagundez, Acacius, March. de Velasco, Candidus, Sayrus, Layman, Maldetus. Hactenus N. Leander. Et quæst. 11. inquirit, an quoties licitum est vti restrictione mentali; toties licitum sit etiam iuramento vti? Et respondet quod sic cum Lesio, & alijs. Vide sup. num.

Digitized by Google

num.738. Quod autem noster Leander expressissimè loquatur de restrictionibus purè mentalibus, sicut & Thomas Sanchez, in dubium verti non potest, & ipsi adversarij peringenuè fatentur, præsertim vero Torrecilla dicta consult. 23. tract. 5. num. 78. vbi hæc habet: * *La* proposicion condenada solo hablava de las restricciones puramente mentales, como consta de su contexto: y en esse sentido la entendia Thomas Sanchez in præcept. Decal. cap. 6. num. 15. de quiē se tomò à la letra ::: Y lo mismo otros muchos, que casi con las mismas palabras assentavan dicha proposiciō, y la defendian, ò absoluta, ò probablemente. * Et Carmelita Discalceatus n. 725. relatus, idem facit.

830 Suadetur secundo eadem nostra assertio, & opinio ex eo quod grave habeat fundamentum acceptum ex sacris litteris, & auctoritate Patrum, præsertim Augustini, Gregorij, atque Divi Thomæ, quibus eam tribuunt plerique Auctores num præcedente, & n. 738. relati. Non est autem verisimile, opinionem tot testium omni exceptione maiorum auctoritate vallatam Pontificia censura iniustam esse. Nec credibile est, tot graves Auctores, qui illos in hoc sensu intellexerunt, eisdem attribuisse doctrinam scandalosam, & perniciosam in praxi, vel legisse, eos adeò oscitanter, vt ne probabiliter quidem eorum mentem assequuti fuerint. Tentarunt aliqui eorum verba exponere; sed plerisque alijs, qui rem postea examinarunt, minimè satisfecerunt. Nos etiam de novo addidimus alia non pauca, quæ fortasse videbuntur, non esse parvi momenti, si quæstio restringatur ad eos terminos, intra quos est disputata, & ponatur tanquam certum ex dictis à num. 757. restrictiones merè voluntarias, aut præponderante causa destitutas semper, & vbique esse illicitas, atque præceptis veracitatis, simplicitatis, & alijs oppositas; imò in rigore mendaces.

831 Tertio persuadetur. Opinio num. 730. relata, solas restrictiones non purè mentales admittens, & negans licitum vsum restrictionum purò mentalium: & opinio nostra affirmans talem licitum vsum restrictionum purè mentalium ex iusta causa, relata num. 738. nō differunt quoad praxim externam. Sed implicat, quod ex duabus opinionibus, quæ non differunt inter se quoad praxim externam, vna sit scandalosa, & perniciosa in praxi: altera verò non item. Ergo vel vtraque, vel neutra est damnata, & prohibita à Summo Pontifice. Atqui, vtram-

Digitized by Google

vtramque esse damnatam, ne vllo in casu ad praxim deducatur ex his in quibus conueniunt Doctores, neutiquam admitti potest. Potius ergo dicendum est, neutram esse damnatam, & apud omnes ratum esse debet, quod in quibusdam casibus talis praxis erit licita, imò honesta, perutilis, & perneccssaria: solumque erit notandus, imò relegandus abusus, & magna laxitas, quæ apud plures circa idoneitatem, vel sufficientiam causæ subrepsit iam, & casus particulares corrigendi, vel moderandi sunt iuxta principia à nobis supra stabilita, ne in re adeò lubrica laxentur habenæ his, qui odiosis eiusmodi cautionibus, & restrictionibus intemperanter indulgent, & existimant, se habere causam sufficientem, cum eam non habeant & non causam pro causa sæpè sæpius assignant. De qua causa agemus §. 11. Totus discursus videtur legitimus. Maiorem expressè tenet Reverendissimus P. Didacus de la Fuente Hurt. dissert. 16. num. 31. 32. 61. & 75. & dissert. 17. n. 22. & eam ex professo §. sequenti persuadere conabimur.

832 Quartò persuadetur nostra assertio ex dictis à num. 743. 745. & sequentibus. Ibi enim demonstravimus, ad seruandam sartã, tectamque damnationem Pontificiam, necessarium non esse, quod omnes, & singuli casus particulares in ea cõprehensi sint pariter damnati mendacij, atque periurij; sed vniversalem illam propositionem, quæ vt iacet, affirmabat, locutiones, addita mentis restrictione, esse veras, ac iuramento firmatas esse licitas, ex quocumque tandem fine, aut causa fierent, neque mendacij malitiam, neque periurij labẽ contrahere, vt n. 744 & 745. expendimus, sensum propositionis condemnatæ exponẽtes. Nos autem propositionem eiusmodi, vt iacet, neutiquam defendimus; sed potius eius contradictoriam, & falsificativam, vt certissimam, & indubitatam apud nostrum Leandrum, Thomam Sanchez, Lesium, & reliquos omnes pro virili defensavimus à num. 757. imò n. 758. addidimus, propositionem cõtradictoriam, & nostram quartam conclusionẽ dicto n. 757. stabilitam necdum esse receptam apud omnes: verumetiam ferè per se notam apparere. Insuper statuimus tanquam certissimum, omnes illos, qui ex intentione fallendi, aut directa voluntate decipiendi proximum, vel inducendi ad mẽdacium, abutuntur eiusmodi artificio loquendi, licet id faciant ex causa, revera mentiri, atque in rigore, si sua dicta iuramento confirment, peierare.

Digitized by Google

Vide supra à num. 680. & 751. Insuper ostendimus num. 750. sæpè dari obligationem syncerè loquendi. In quo eventu labes mendacij, aut periurij cõtrahitur, si media restrictione purè mentali veritas occultetur, quæ ex præcepto affirmativo fidei, Religionis, obedientiæ, iustitiæ, aut alterius virtutis syncerè, candidè, & integrè manifestanda erat. Insuper dicto num. 757. stabilitũ est, eiusmodi restrictiones purè mentales cum in vanum exercentur, sponte, recreationis causa, vel ex fine turpi, vel ex causa levi, semper esse mendacia, & si iuramento firmentur, esse periuria. Vide supra num. 743. Idcirco quemadmodum ad iuramenti honestatem, ac ne in periurium degeneret, necessarium est, quod associetur tribus illis comitibus, quos Divus Thomas, & noster Leander p. 7. tract. 1. disp. 7. cum omnibus Theologis assignant, nimirũ, veritate, iustitia, & iudicio, vt n. 816. & alibi dictum est. Quã similiter ad honestatem cuiuslibet restrictionis occultatæ his, quibus loquimur verbis sine restrictione falsis, tres alij comites, & valde similes necessario desiderantur, quorum nullum exigebat propositio ab Innocentio XI. damnata, vt constat ex num. 721. Preme ibi: *Sine quocumque alio fine.* Deinque propositio damnata, vt iacet, specialiter non exprimit restrictiones purè mentales, nec vtitur adverbio *isto purè*; sed de mentalibus generaliter loquitur, omnesque excusat à mendacio, & periurio, præscindendo ab eo, quod sint purè mentales, vel non sint purè mentales. Cum tamen ex num. 760. etiam aliæ quamplurimæ ex illis restrictionibus, quæ purè mentales non sunt, imo & locutiones æquivocæ iusta causa destitutæ, sint omnino inexcusabiles.

833 Ex quibus omnibus constat primo, vtum restrictionum purè mentalium quandoque esse licitum, quandoque non esse licitum. Interveniente enim idonea causa, v. g. gravi damno alioqui sequuturo, ad implexitatem eiusmodi locutionis adactus, & compulsus, vtens eiusmodi restrictionibus purè mentalibus, nihil præstat probo homine, & virtutis studioso indignum: & talis vsus omni culpa, & labe caret. Si autem eiusmodi restrictionibus purè mentalibus interdicat virtus aliqua distincta à veritate, & simplicitate, v. g. fides, Religio, obediencia, iustitia, &c. ex num. 750. illæ tanquam vitiosæ damnandæ, & improbandæ sunt. Et si silentibus eiusmodi virtutibus fide, Religione, obedientia superioribus debita tam

in

Digitized by Google

in iudicio, quam extra iudiciū, iustitia, &c. extrinsecis humanæ collocutioni: vrgeant veritas, & simplicitas ad candidè loquendū: & desit idonea causa, refugiendæ sunt tanquam mendacium continentes. Et idē contingit in restrictionibus nō purè mentalibns, & æquivocis locutionibus ex num. 760. & alibi.

834 Constat secundo, vsum restrictionum pure mentalium in familiari, & humano convictu non esse tam frequentem, & obvium, sicut Auctoribus sententiæ damnatæ in sensu in quo ipsa damnata est, (quicumque tandem illi sint) visum est. Comites enim necessarij, vt sit licitus talis vsus non ita passim simul concurrunt; sed adeò infrenquenter, vt iure summo dici debeat, restrictiones purè mentales regulariter loquendo non licere; sicut dicitur ex num. 816. regulariter iuramentum non licere. Et idem dicendum est de restrictionibus non purè mentalibus, & æquivocis locutionibus. Frequenter enim deest *simplicitas*, qua voluntas decipiendi secludatur. Vel deficit *iustitia*, ne occultetur quod cā didè manifestari debet ex præcepto affirmativo alicuius virtutis. Vel denique deficit discretionis iudicium, quo sine necessitate non fiat, nec ex causa levi, sed ex gravi. Quare facile est, quod vsus restrictionum purè mentalium cedat in malum eorum, qui eis convenienter non vtuntur, sed sine necessitate, aut cautela debita. Et imminet periculū eiusmodi abusus, & de facili homo in verbo delinquit secundum illud Iacobi cap. 3. v. 2. *Siquis in verbo non offendit: hic perfectus est vir*, vt in simili ait Angelicus Præceptor 2. 2. q. 89. art. 2. loquens de iuramento. Et rarius licebit, eiusmodi restrictiones purè mētales iuramēto confirmare. Nā, si sint mendaces, periurium erit rigorosè, ac propriè tale. Si autem locutiones sic purè mentaliter restrictæ sint veraces, quia nimirū subest iusta, idonea, & proportionata causa: adhuc frequenter contingit, vt iuramenti adiectione speciale committatur peccātū. Quia causa, quæ sufficit ad verum dicendum, sæpè insufficens est ad iurandum: & nova causa, & maior necessitas desiderantur ad iurandum: qua necessitate, vel causa proportionata deficiente, iurare erit peccatum contra Religionem. Quī enim sine necessitate gravi, & debita cautela: ex levi causa Deum in testē adducit, reverentiam, quā debebat, non habet ad ipsum Deum. Cum id non præsumeret de aliquo viro honesto, & gravi. Iuramētum quippe purè

ocio,

Digitized by Google

ocioſum, ſive ſine iuſta cauſa elicitũ opponitur Divinæ maieſtati, cuius auctoritas ſummo iure exigit, ne in vanum, & abſque vllo fructu, citra grauem neceſsitatem adducatur in teſtem, quamvis verum, & iuſtum ſit id, quod iuratur. Finis enim iuramenti eſt iuſtificare homines, & eorum controverſias finire iuxta illud ad Hebræos 6. v. 16. *Et omnis cõtroverſiæ eorum finis.* Origo etiã iuramenti eſt fides, qua homines credunt, Deum habere infallibilem veritatem, & vniverſalem omnium cognitionem, & proviſionem, & nec fallere, nec falli poſſe iuxta dicta à num. 696. vt videre eſt apud Angelicum Præceptorem loco citato. Quare ſic ſine neceſsitate iurare ſaltem erit contra Religionem, ſive periurium dicatur, ſive alio quovis nomine explicetur ex dictis à num. 751. Erit rigoroſum periurium abſolutè, ſi locutio purè mentaliter reſtricta elicita fuit ſine iuſta, & proportionata cauſa, fuitque rigoroſum mendaciũ. Vel reducetur ad periuriũ explicatum dicto n. 751. vel 753.

835 Conſtat tertio: in quibus, & quantum æquiparentur noſtræ reſtrictiones purè mentales: & non purè mentales aduerſariorum, & æquivocæ locutiones iuramento. Et in primis cauſa illa, quæ ſufficit, & requiritur ad iurandum honeſtè, & abſque vllo peccato ei, qui exploratam loquitur veritatem, ſufficit, & deſideratur, vt quis honeſtè, & abſque peccato veritatem occultet per reſtrictiones purè mentales: nõ purè mentales, & æquivocas locutiones. Vtrobique deſideratur cauſa iuſta, & gravis neceſsitas. Quia nec iuramentũ, nec reſtrictiones purè mentales, nõ purè mentales, & æquivocæ locutiones ſunt quid per ſe ſemper, & vbique bonum, ſicut ſunt oratio, aut eleemoſyna, ſed ſolum ſunt de illorum genere, quæ neceſsitate compellente, licent, decent, aut expediunt. In omnibus frequentia, & aſsiduitas præiudicialis cenſetur, & ſufficienti cauſa deſtituta. Et quoad iuramentũ attinet, conſtat ex cap. 23. Eccleſiaſt. v. 9. & infra ad hæc verba: *Iurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa. Nominatio vero Dei non ſit aſsidua in ore tuo.* Quem textum affert Angelicus Præceptor 2. 2. q. 89. art. 2. in corpore. Vtrobique traditur, pro re parvi momenti non eſſe interponẽda eiuſmodi media. Vtrobique conſulitur veritati, occultandæ nimirum, cum oportet, aut comprobandę, cũ decet, aut expedit. Vtrobique attenditur civili ſocietati, rationalique cõvictui, & eius procuratur bonum: ne videlicet ei deſint lici-

Digitized by Google

ta media occultandi, quæ occultanda sunt, & non licet, decet aut expedit syncerè manifestare, aut finiendi, & terminādi controversias, aut lites suas; cōfirmandique, aut roborandi credulitatem eorum, quæ dicuntur adiectione iuramenti. Vtrobique deniq; saltē leve committitur peccatum, cum sufficiens, & idonea causa deficit, & aliæ virtutes non obstant vsui purè mentalis restrictionis, non purè mentalis restrictionis: æquivocæ locutionis, aut interpositioni iuramenti. Et quemadmodū sæpè sæpius possumus, imò tenemur dicta nostra ex iusta, & gravi causa iuramento confirmare ad iustificandum nos, & ad finiendū controversias, quā similiter possumus, & debemus vti restrictionibus purè mentalibus, & quæ ex gravitate causæ, ob quam vsurpantur, aut ex aliqua alia circunstantia non reddantur sensibiles, & externæ, sed semper maneant purè mentales. Quas etiam possumus, imò tenebimur, iusta, & gravi interveniente causa, iuramento confirmare, salva Pōtificia damnatione. Quod patet ex pluribus Scripturæ sacræ testimonijs supra allatis. Et insuper constat ex eo quod quilibet potest, & tenetur occultare secreta præsertim in confessione audita per media ex se licita, & quæ sint magis proportionata, necessaria, & expedientia ad finem occultandi veritatem sine gravi damno proprio, vel alieno. Sed quandoque nullum potest esse medium licitū, quod magis proportionetur, necessarium, & expediens sit ad occultandam veritatem, quam vsus restrictionum purè mentalium, vt constat ex dictis. Ergo salva Pontificia condemnatione, possumus, imò aliquando tenebimur vti restrictione purè mentali ex gravi causa ad occultandam veritatem, & ad occultanda secreta quælibet, & præsertim audita in confessione. Summus enim Pontifex in sua damnatione derogare non potest iuri naturali, & Divino occultandi secreta ex iusta, & gravi causa per media ex se iusta, & licita, & aliquando vnicè necessaria, & requisita ad occultandam veritatē sine præiudicio proprio, vel alieno; quandoquidem haud frequenter per restrictiones non purè mentales à contrarijs admissas, aut per locutiones sine addito mentali æquivocas veritatem commode occultare non possumus. Et sicut iuxta Div. Thom. & omnes Theologos, licitum, & honestum est, iurare, quoties simul, & collective adsunt tres iuramenti comites, iustitia, iudicium, & veritas. Similiter licitum, & honestum est, vti ex iusta causa restrictione

Digitized by Google

ne purè mentali: Salva damnatione Pontificia, modo & sub limitationibus traditis. Vide supra num. 786 & 787.

836 Et nisi me meum fallat iudicium, Sapientissimus Torrecilla, & reliqui Recentiores num. 731. relati, vel inviti eiusmodi restrictiones purè mentales, vel eis æquivalentes concedunt. Asserunt enim cum nostro Leandro, Suarez, Thoma Sanchez, & alijs satis esse rudibus, idiotis, & simplibus, qui non satis perspiciunt, quid in quovis eventu in speciali, vel in singulari subintelligendum sit, si illud subintelligant in genere (& iuxta Torrecillam habitualiter) quod viri docti, atque timorati norunt, posse sub intelligi, & iuxta hoc locutiones suas ex sufficienti, & iusta causa restrictas concinnent. En verba Sapientissimi M. Torrecilla tract. 5. consult. 23. num. 188. * Advierto por vltimo de esta regla: que la restriccion, que deve tener el que jura, no es menester, que sea especifica, porque tal vez no occurre limitacion especial, maximè, respecto de los indoctos, sino que bastarà que sea general; esto es, entendiendolo, como saben los Doctores, que puede hazerse sin mentira. Assi lo tiene con Suarez, y Sanchez, Castro Palao. * Hæc ille. Rogo nunc. Quæ restrictio magis purè mentalis, magisque insensibilis admitti tur à nobis ex iusta causa ad verificanda verba, & ad occultandam veritatem citra labem mendacij, aut periurij, quam ista, quam admittunt Torrecilla, & cæteri Auctores pro prima sententia relati? Doctrina ista Recentiorum, & reliquorum etiam, qui stant pro prima sententia, neutiquam laxant habenas in re satis lubrica eis, qui odiosis hisce cautionibus intemperanter indulgent. Quia nimirum casus particulares, in quibus licet vti ex causa gravi eiusmodi addito generaliter sumpto, corrigendi, & moderandi sunt iuxta principia, quæ ipsi tradunt. Idem ergo dicendum de restrictionibus purè mentalibus à nostro Leandro, & Thoma Sanchez admissis. Salva ergo Pontificia condemnatione, adhuc licite vti possumus ex iusta causa restrictionibus purè mentalibus, & istas iuramento confirmare valemus citra labem mendacij, aut periurij. Opinio enim ista cum limitationibus, & moderationibus à Reverendissimo P. Didaco de la Fuente Hurtado, & Reverendissimo P. Didaco de Valois, quibus libentissimè subscribimus, traditis absdubio admodum probabilis est,

Digitized by Google

tam speculative, quàm practicè, non tenui, vel apparenti probabilitate; sed Theologica, vera, solida, & forti: & citra dubitationem omnem quilibet eam in praxi sequi poterit, quin Pontificiæ censuræ contraveniat, aut ab aliquo iure reprehēdi valeat. Vt enim prudentissime monuit eloquētissimus Melchior Cano lib. 11. de locis in fin. Qui vera probabilitate, revera tali tam ab intrinseco, quam ab extrinseco vtitur: falli nimirum aliquando poterit, reprehendi sine iniuria non poterit. Et prædictus Reverendissimus P. Didacus de la Fuente Hurtado loquens de sua, & nostra sententia cum prædictis moderationibus, & limitationibus, visis, seduloque perpensis Recentiorum expositionibus, dissertat. 14. num. 4. dicere audet: *Est prorsus incredibile, sententiam adeò receptam; tam in praxi, quam Scholis, damnatam fuisse in præsenti.* Sed de his hactenus.

(·?·)
(·!·)

****
****
*****

§. OCTAVVS.

Sententia Sapientissimi M. Martini de Torrecilla, & aliorum Recentiorum solas restrictiones non purè mentales admittentium, & purè mentales negantium, re vera quoad praxim, & præcipuum difficultatis caput nihil differt à sententia nostri Leandri, Thomæ Sanchez, & nostra, easdem restrictiones purè mentales ex iusta causa admittente.

837 ASSertionem istam tenent expressissime Reverendissimi Patres Didacus de la Fuēte Hurtado dissertat. 16. num. 31. 32. 61. & 75. & Richardus Arsdekin tom. 2. part. 3. tract. 1. de opinionum variarum probabilitate quæst. 1. & antequam gravissimos istos Theologos legissem, ipsa fuit mihi semper certissima. Eamdem assertionem, vt sibi certissimam iam pridem semper, & vbique tenuit, atque defensavit Reverendissimus P. Theophilus Raynaudus tom. 14. opusc. 3. cap. 9. n. 4. 5. & 6. & alibi, priusquam Summus Pontifex Innocētius XI prohibuisset, atq; dānasset propositiones 26. & 27. En ipsi⁹ verba: Quare existimo perspicuum, Auctores

Digitized by Google

tes prioris, & posterioris sententiæ (idest relatæ à nobis n. 730. & 738. & à nostro Leandro p. 7. tract. 1. disp. 45. q. 10.) reipsa consentire, quantumcũque priores se à posterioribus dissidere arbitrentur. Ita num. 4. Num. vero 5. reijciens discrimen quoddam à quibusdam assignatum, inquit: Hoc inter vtrosque Auctores dissidium, dicebam, vel inane esse, vel nõ versari circa modum propositum, & posito, quod admittatur, esse tamen adeò leve, vt negligi, ac pro nullo haberi merito possit ::: itaque videtur discrimen illud subintellectionum, duplici illi modo restrictè loquendi consentanearum; planè evanescere. Et quamvis solidum esset; tamen ad rem non faceret. Quia ex eo non tollitur licitus vsus (purè mentaliter) restrictarum locutionum, suppetente idonea causa: qui est cardo præsentis difficultatis, sed tantum determinatur, quis conceptus mente. premendus sit in alterutro prædictorum modorum, quibus contingit vsurpari locutionem restrictã. Quod ad rem præsentem non refert, videturque facile dandum ab Auctoribus prioris sententiæ (relatæ num. 730. & defensatæ à Torrecilla, Lumbier, Carmelita Discalceato, & cæteris Recentioribus) Præsertim cum moneant, satis esse rudibus, qui non satis perspiciunt, quid in quovis eventu subintelligendum sit, si illud subintelligant, quod viri docti, & timorati norunt, posse subintelligi, & iuxta hoc locutiones suas ex idonea causa restrictas concinnent. Qua monitione satis innuunt, tametsi ferè negligant, quæ cuique locutioni aptanda sit subintellectio in varijs evẽtibus, non refugere tamen, quo minus talis apponatur, in quam verba exterius prolata, vtcumque cadant. Hactenus ille. Vide sup. num. 836. & nemo, ni fallor, esto doctissimus, qui vtitur restrictionibus purè mentalibus; non purè mentalibus, & æquivocis locutionibus: non volet semper exercite proferre verba in sensu, in quo iuxta Doctores Catholicos, & Sapientes, verba externa verum sensum habere possunt. Prosequitur n. 6. dicens: Itaque maneat, vtrosque Auctores adductos, tametsi quoad speciem pugnantes sententias tueantur, putentque priores, se à posterioribus dissentire, tamen revera eodem recidere, & saltem quoad principale punctum, ipsaque difficultatis viscera, idem affirmare::: Auctores vtriusque sentẽtiæ revera conveniunt::: Primus modus à secundo non differt. Inter vtrosque Auctores non est sententiæ; sed probationum dissidium::: Omnes

Digitized by Google

tradunt, ſubindicationem, & implicitam expreſsionem ſubauditionis tacitæ ibi interuenire, & hanc ſufficere, vt excludatur mendacium::: Vrgebant priores Auctores (aduerſus poſteriores) externam ſignificationem vocum, qua ſe exprimit is, qui cum reſtrictione loquitur, eamque externam propoſitionis ſignificationem, aiebant, falsã eſſe, eo, quod verba, prout ſignificantia, diſſonent obiecto. Verum ipſimet diffiteri nõ poſſunt, quin verbis prout exterius prolatis deſit expreſſa ſignificatio additionis ſubintellectæ, in eventu, in quo ipſi admittunt, ſubintellectionem verbis attingi, & implicite ſubindicari, eo quod præſumitur, vel præſumi debeat ab audiente. Vnde ijdẽ vrgentur. Et ſicut illi (ideſt, AA. priores) dicunt, in caſibus ab illis admiſsis mendacium excludi, eo, quod cenſeatur expreſſum, quod iuſtè ſubintelligitur, quia auditor debuit hoc præſumere, idque virtualiter, ſiue implicite inſinuatur per verba prolata. Ita Auctores poſteriores &c. Hactenus ille. Et cap. 10 convincit, & mihi certiſsimè, vnam eſſe in hac parte quoad praxim omniũ Theologorum ſententiam. Quod ſacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum teſtimonijs confirmat in eodem cap. 10. 11. & 12. inſuper, & 19. & toto in illo opuſculo, præſertim vero cap. 20. à num. 3. ſupponit Leſium, Thomam Sanchez, & reliquos Auctores poſterioris ſententiæ ſemper, & indiſpenſabiliter exigere idoneam, & ſufficientẽ cauſam ad licitum vſum reſtrictionum purè mentalium, licèt in particulari aliquo eventu diſcrepent inter ſe Auctores, & quidam cenſeant iuſtam, ſufficientem, & idoneam cauſam illam, quam alij iudicant in ſufficientem, & inidoneã. De qua cauſa noſter Leander dicta p. 7. tract. 1. diſp. 45. q. 5. 6. 7. & 8. & nos infra num. 852. & ideo dicunt quidam Auctores, vſum reſtrictionum purè mentalium non eſſe licitum in quibuſdam caſibus particularibus, in quibus alij aiunt, eſſe licitum.

838 Quod Reuerendiſsimus P. Didacus de la Fuente Hurtado peraccute notavit diſſert. 16. num. 32. Poſtquã enim prædixerat num. 31. accedente idonea cauſa, quam circunſtãtiæ ipſæ præbent, eiſdem omnino vocibus, eodemque remedio vtendum eſſe in praxi iuxta vtramlibet ſententiam, ſic ait dicto num. 32. Nec obſtat, ſi in particulari aliquo eventu Auctores inter ſe diſcrepent, & quidam cenſeant, non licere in ipſo vſum amphibologiæ mentalis; alij vero id credant licitum. Quippè diſcrepantia iſta non ſumitur ex principijs com-

Digitized by Google

communibus semper, & in omni eventu talem praxim improbantibus; sed in circunstantijs peculiaribus casus, de quo controversia est, quas aliqui sufficientes reputant; alij vero insufficientes ad suam mentem licite occultandam. Quod ipsum in causa contingit, nam nonnulli circa sufficientiam eius opinantur nimis laxe::: Alij vero strictius; neque id tollit, vt posita idoneitate causæ, vel circunstantiarum, idipsum licere dicant, qui illud negant, ea sublata. Hactenus ille. Quod explicat Sapientissimus P. casu satis vulgari, & valde simili ei, quem affert noster P. Fr. Ioseph à Iesu Maria supra laudatus num. 723. in respons. Moralib. respons. 25. eruditissimeque ipse resolvit, de eo qui occultè mutuò accepit centum, & occultè solvit quinquaginta, de quo quæritur, an coram iudice a suo creditore interpellatus, vtrum centum mutuo acceperit, possit iurare, se centum nõ accepisse. Et idem quæritur de testibus ab illo debitore præsentaris, qui sciunt, talem debitorem in foro conscientiæ non debere totam illam quantitatem. De quo eodem casu noster Leander p. 7. tract. 1. disp. 45. q. 18. & 19. & latè Covarrub. lib. 1. variar. c. 2. n. 4. & 5. Addit prædictus Didacus de la Fuente Hurtado n. 33. Iam vero, si de speculatione sit sermo, & si AA. diversimode stabiliãt hanc praxim, & alijs subindè, ac alijs explicãdi modis eam excusent à mendacio; in his tamen, quæ maximè ad rem expectant, parum quidem discrepare valent. Nam affirmantes, licere ex causa idonea restrictionem tacitã, prolatamve imperceptibiliter (seu purè mentalem) non negant idoneitatem, atque sufficientiam causæ ex circunstantijs desumendam esse, imò semper istam causam ex circunstãtijs desumunt, secreti, negotij, officij, personæ, aut alijs id genus, vnde reliqui limitari existimant verba, quæ generaliter prolata, sumptaque præcisè, vt sonant, non denotant, nisi falsum. Qui vero negant, non ideò diffitentur limitationem, quæ sumitur ex ratione, causaque loquendi, eo ipso sumi ex circunstantijs, cum circunstantia *cur* sit vna ex præcipuis vnde colligi debet mens loquentis restricta, aut illimitata. Quippè intelligentia dictorum ex causis est sumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei sermo est subiectus. Hæc La Fuente Hurtado. Vide sup. n. 816. in fin. Et ipse Sapientissimus M. Torrecilla in familiari colloquio, cuius memini num. 728; peringenuè mihi fassus est, in personis doctis, & timoratis vnam, & eamdem esse praxim occul-

Digitized by Google

occultandi veritatem ex iusta, & idonea causa ante, & post Pontificiam damnationē. Quæ praxis ex Sapientibus, & doctis personis, absque dubio facillime derivabitur, imò derivata est ad rudes, & simplices, quibus etiam passim occurrere solet necessitas occultandi sua secreta, absque mendacio. De hac eadem praxi iterum redibit sermo §. 10. in crisi, sive iudicio super sententiam, & expositionem Reverendissimi M. Torrecilla. Interim dico, implicare, quod ex duabus opinionibus, quæ quoad praxim non differunt, vna præ alia damnetur tanquam scandalosa, & pernitiosa in praxi vt num. 831. dictum est.

§. NONVS.

Differentia, & discordia inter sententiam Reverendissimi M. Torrecilla, & aliorum Recentiorum, & inter sententiam nostri Leandri, Thomæ Sanchez, & nostram quoad speculationem non est quæstio de puro nomine, sed de re valdè necessaria.

839 COntrarium sentire videtur Reverendissimus P. Didacus de la Fuente Hurtado dis. 6. n. 3. vt §. præcedenti habitum est. Nostra autem assertio videtur expressa apud Thomam Sachez lib. 3. in Decal. cap. 6. num. 16. & apud Torrecillam num. 239. in 2. edit. vbi eumdem sequitur Thomas Sanchez, cuique reddit rationem num. 841. & 851. referendam. Torrecilla enim, & reliqui Recentiores, imò & veteres n. 731. relati censentes, in esse mendacium verbis ex sua significatione, aut communi vsu, aut aliqua externa circunstantia loci, temporis, officij, personæ, interrogantis, respondentis, vocabularij specialis, &c. non ambiguis, & nō æquivocis, quantumcumque aliquo addito mente concepto, verum sensum efficiant, dicunt subinde, illorum vsum in nullo evētu esse licitum; sed solum illorum verborum, quæ ex se, aut ex aliqua externa circunstantia loci, temporis, &c. sunt ambigua, & æquivoca, ita taliter vt vtrūque admittant sensum, tam interrogantis nimirum, & audiētis, quam loquentis. Videsis eumdem Thomam Sanchez num. 12. & Torrecillam consult. 23. n. 68. Ast noster Leander, Thomas Sanchez, & reliqui pro nostra sententia relati, & nos etiam, qui existimamus, in nullis verbis inesse mendacium, si ex addito mente retēto vera efficiantur, dicimus pariter, omnibus verbis licere vti cum dicta restrictione purè mens

Digitized by Google

mentali, aut amphibologia: quãdo causa iusta eius vsus sub est. Tunc enim ex verbis purè mentalibus, & vocalibus vnum sensibile integratur, & componitur signum eo modo, quo à num. 774. 811. & 811. varijs exemplis explicatum est. Quæstio ergo, & discordia quoad speculationem inter nos, & illos non est de puro nomine, sed de re valdè necessaria. Si eiusmodi restrictionibus purè mentalibus vti, esset formalissimè contra nõ mentiendi præceptum, vt contendunt adversarij, nunquam id posset licere. Sicut nunquam licet mentiri. Ast cum soli affirmativo veritatis explicandæ præcepto opponatur, potest ex causa iusta id licere. Licet enim sæpissimè, imò decet, & expedit, veritatẽ occultare. Quamvis nullo modo liceat, deceat, aut expediat vti restrictionibus purè mentalibus, aut non purè mentalibus, aut æquivocis locutionibus, etiamsi ex sua significatione æquivocæ, & ambiguæ sint, deficiente iusta causa. Et verba in eo sensu vsurpanda sunt, quem communiter audientes percipiunt, nisi causa admodũ gravis adsit occultandæ veritatis. Et si desit huiusmodi iusta causa, & verba vsurpentur ad significãdum aliquem alium sensum, aliquo addito mente cõcepto, licet non sint mendacia in rigore, & proprietate physica, materiali, & entitativa; propriè tamen, & verè sunt mendacia moraliter, in æstimatione prudentum, æquivalenter, & & reductive, & si iuramento confirmentur, similiter rigorosè, & propriè saltem reductivè sunt periuria. Et hoc nõ negãt, imò id satis indicant noster Leander, Thomas Sanchez, & reliqui Auctores nostræ sententiæ. Vide supra num. 761. & 762. Idcirco ijdem Auctores expressè affirmant, eiusmodi restrictiones purè mentales, & nòn purè mentales, & æquivocas locutiones iusta, & gravi causa destitutas saltem semper esse peccata omissionis contra affirmativum veritatis dicendæ præceptum. Et si aliquando dicunt, eiusmodi restrictiones propriè non esse mendacia, aut periuria, quando iuramento cõfirmantur, ideò ita loquuntur, quia de rigore, & proprietate physica loqui videntur, vt notat Didacus de la Fuente Hurtado dissert. 14. num. 50.

(.¿.)

(¿)

****
****
****

§. DE-

Digitized by Google

§. DECIMVS.

Crisis, sive iudicium nostrum super sententiam, & expositionem Sapientissimi M. P. Fr. Martini de Torrecilla circa propositiones 26. & 27. vbi Noster Leander, & Thomas Sanchez defenduntur.

840 DOctissimus, semperque mihi colendissimus Magister iste præ cunctis alijs in explicatione harum propositionum laxavit calamum consult. 23. à num. 64. vsque ad n. 270. Et explicata natura restrictionũ purè mẽtaliu, & non purè mentalium, num. 67. & 68. asserit num. 72. restrictiones purè mentales, & amphibologias esse à Summo Põtifice damnatas, & definitas, vt mendacia, & iuramento cõfirmatas esse periuria. Num. 73. inquit, istam suam conclusionẽ esse indubitabilem. Quia constat ex ipsa propositione damnata. Sed rogo, vnde constet? Propositio enim damnata, vt iacet, specialiter non exprimit restictiones purè mentales, nec vtitur adverbio isto *purè*; sed generaliter loquitur de mentalibus, vt num. 832. circa finem prænotavimus. Insuper expositio ista, & propositio Torrecillæ est indefinita, & vniversali equipollet, & omnes restrictiones purè mentales sufficienti etiam causa vestitas damnat. Quod Summus Pontifex, & damnata propositio non explicant. Quare potius supponit, quam probet suam conclusionem Sapientissimus iste Magister. Et quæ hactenus dicta sunt, satis dubiã eam relinquunt, ne quid amplius dicam. Nostra enim sententia absdubio probabilis est; & consequenter ipsius conclusio, cui ex diametro opponitur, non erit indubitata, sed ad summum probabilis. Vide supra à num. 828. Ipse M. Torrecilla num. 27. asserit, restrictiones sensibiles, externas, & non purè mentales non esse cõprehensas in damnatione Pontificia, & hanc tenere sententiã Lumberium, Filgueiram, & Hoces. Probat suam conclusionem [redacted] ex eo quod propositio damnata solum loquebatur de restrictionibus purè mentalibus, vt constat ex eius contextu, & in hoc sensu eam intelligebant Thomas Sanchez in præcept. Decal. lib. 3. cap. 6. num. 15. ex quo desumpta est ad litteram (iuxta eumdem Torrecillam) & alij multi, qui ferè eisdem verbis eamdem statuerunt propositionem, eamque defendebant, vel absolutè, vel probabiliter. De quorum numero est absdubio noster Leander p. 7. tract. 1. disp. 45. q. 10. vbi eumdem

Digitized by Google

dem Thomã Sanchez, & alios pro sua, & nostra refert sententia. Addit idem Torrecilla n. 79. istam suam assertionem, vel vel conclusionem manifestè inferri ex condemnatione propositionis 27. *Causa iusta vtendi, &c.* num. 722. relata. Sed venia tanti Magistri, fundamenta ista valde infirma, & imbecilia sunt tam ad statuendam istam assertionem, quam ad appingendam, & attribuendam propositionem damnatam in sensu, in quo à Pontifice damnata est, tot, tamque insignibus Theologis, quales fuerunt noster Leander, Thomas Sanchez, & cæteri pro nostra sententia memorati. Patetque ex proximè dictis. Summus enim Pontifex in sua damnatione nõ exprimit, omnes, & singulas restrictiones purè mentales esse mendacia, aut periuria. Sicut nec ipsa propositio damnata, vt iacet, specialiter exprimit restrictiones purè mentales, nec vtitur adverbio *purè*, vt num. 832. expensum est. Quare immeritò supponit potius quam probet Torrecilla duplicem suam conclusionem, reijcitque damnationem in Theologos valde insignes. Quod fortsitam sic fecit, quia legit Lumberiũ, Filgueiram, & Hoces idem sentientes, & supponentes potius quam probantes ex doctrina Eminentissimi Cardinalis de Lugo disp. 4. de fid. num. 62. Idem Torrecilla à num. 82. suam assertionem etiam probare contendit pluribus sacræ Scripturæ textibus, Sanctorum exemplis, ab inconvenienti, & à ratione. Sed irrito conatu.

841 A num. 115. quasdam statuit regulas generales circa suas restrictiones, seu amphibologias sensibiles, & non purè mentales. Ex quibus generalibus regulis promittit, se innumerabilia deducturum corollaria. Sapientissimus Thomas Sanchez dicto lib. 3. in præcept. Decal. cap. 6. num. 13 pro suis, nostri Leandri, & nostris restrictionibus purè mẽtalibus, non purè mentalibus, & æquivocis locutionibus id ipsissimũ tradidit ad hæc verba: *Rem hanc, quibusdam propositis regulis, atque ex ijs, deductis corollarijs, explicabo.* Inquit Torrecilla num. 116. Sit regula prima. Quoties verba sunt significatione sua ambigua, pluresque admittẽtia sensus, aut proprios, aut secundum aliquam legitimam interpretationem: talis amphibologia non erit purè mentalis, & consequenter nec damnata in dicta propositione. Et si audiens accipiat verba in alio sensu ab illo, in quo proferens ea vsurpat. Et ita poterit quis vti ex iusta causa tali restrictione. Thomas Sanchez id ipsis-

Digitized by Google

ipsissimum tradit loco proximè citato ad hæc verba: Prima regula sit. Quoties verba sunt significatione sua ambigua, pluresque sensus admittentia, nullum est mendacium ea proferre in sensu, quem proferens ex illis vult, & concipit, & si audientes, & is, cui iuratur, in alio sensu accipiant. Hæc Sanchez. Non me latet, addi à Thoma Sanchez sequentia verba: *Et si nulla iusta causa ducatur proferens.* Torrecilla autem addit: *Adsit causa justa.* Verum enimvero Thomas Sanchez loquitur de mendacio, & periurio acceptis in rigore, & proprietate physica, materiali, & entitativa, vt n. 761. 762. & 839. circa finem notatum est. Moraliter enim, & in æstimatione prudentum, rigorosè, & propriè inveniri mendacium, & periurium, quoties iusta abest causa, tanquam certissimum supponit Thomas Sanchez, sicut etiam noster Leander. Quæ suppositio est certissimæ apud omnes recepta, & ferè per se nota apparet, vt num. 757. & 758. statutum est ex Didaco de la Fuente Hurtado. Pro vsu enim licito, & honesto, necdum restrictionum purè mentalium, verùm etiam non purè mentalium, & locutionum æquivocarum semper, & vbique indissensabiliter desiderant, & requirunt causam iustam, gravem, & rationalem noster Leander, & Thomas Sanchez cum Angelico Magistro 2.2.q.109. art. 1. ad 3. art. 2. ad 4. & art. 3. ad 1. Imò noster Leander p. 7. tract. 1. disp. 45. q. 2. & Thomas Sanchez dicto lib. 3. cap. 6. n. 16. reiiciunt, & improbant necdum restrictiones purè mentales, verumetiam non purè mentales, & æquivocas locutiones, causa iusta destitutas, ipsissimis rationibus, quibus supra à num. 688. cum omnibus Theologis reiecimus, & improbavimus mendacia, & periuria. Quorum verba referemus n. 846. Ergo noster Leander, & Thomas Sanchez sentiunt, & quidem clarissime, dictas restrictiones pure mentales, non pure mentales, & locutiones æquivocas, causa iusta destitutas, rigorosè saltem moraliter esse mendacia, & periuria. Et nullum est discrimen inter Thomam Sanchez, & Torrecillam. Torrecilla ipse, num. 238. in Editione 2. respondens ad 3. obiectionem expressè negat, esse licitum vsum vocum æquivocarum, aut ambiguarum, esto sint ambiguæ ex se, aut ex sua significatione, nisi ex iusta causa. Quia talis vsus licet non foret mendacium contra præceptum negativum non mentiendi, foret tamen peccatum omissionis contra præceptum affirmativum dicendi veritatem syn-

Digitized by Google

ce-

certè, & candidè: contra civilem, & politicam hominum conversationem: & omnia dolis, fraudibus, & fallacijs paterent. Et refert pro se Valentiã, Lesium, Suarez, Bonacinam, Sanchez, Sayrum, Azor, & Palaum. Ad hæc. Ipse Torrecilla num. 117. peringenuè fatetur; regulam istam primam generaliter esse admissam à Doctoribus, vt videre est apud Matthæum de Moya tom. 1. select. tract. 2. disp. 1. quæst. 6. §. 2. Suarez de Relig. tom. 2. tract. 4. lib. 3. cap. 9. n. 5. Sanchez in Decal. lib. 3. cap. 6. n. 13. nostrũ Leandrum q. 3. loc. cit. & alios. Quam suam, & communem regulam illustrat Torrecilla à n. 118. exemplis ex nostro Leandro, & Thoma Sanchez desumptis.

842 Torrecilla num. 134. secundam statuit regulam, ex Thoma Sanchez desumptam, & eodem expresè relato in dicto lib. 3. cap. 6. num. 14. Cuius hæc sunt formalia verba: Secunda regula sit. Possunt quoque absque mendacio vsurpari, & si verba in sua significatione ambigua non sint, nec eum sensum habeant: si revera attentis circunstantijs loci, tẽporis, & personæ, ac modi interrogandi, verba eum sensum faciant, iuxta interrogantis intentionem, quem respondens concipit. Hæc Sanchez. Quam suam, communem, & eiusdem Thomę Sanchez regulam illustrat exemplis ex eodem Sanchez, & N. Leandro desumptis: & a num. 140. infert ex hac regula viginti tria corollaria, additque num. 186. ex his alia innumerabilia deduci posse, & omnia apud Thomam Sanchez dicto cap. 6. à num. 23. vsque ad num. 42. Videnda fore. Numero 188. advertit idẽ Torrecilla, rudibus, & simplicibus sufficere, si illud subintelligant, quod viri docti, & timorati sciunt, subintelligi posse. Et addit, advertentiam istam deservire duabus prædictis regulis, insuper, & tertiæ mox apponendæ. Quam advertentiam ex nostro Leandro, Suarez, & Thoma Sanchez, & ex eodem Torrecilla statuimus num. 813. & 836.

843 Num. 195. tertiam statuit regulam, & asserit, duplex dari vocabularium, vnum rigorosum veritatis, aliud proprium artis, officij, politicæ, vrbanitatis, Christianitatis, discretionis, prudẽtiæ, humilitatis, eutrapeliæ, poematis, metaphoræ, alegoriæ, hyperbolis, ænigmatis, ironiæ, mercaturæ, &c. Qua præmissa distinctione, inquit, amphibologiam, seu restrictionem non fore mendaciũ, nec comprehensam in damnatione Põtificia, si verba verum habeant sen-

Digitized by Google

ſenſum, attento proprio, & peculiari vocabulario artis, officij, &c. licet non habeant verum ſenſum, inſpecto rigoroſo vocabulario veritatis. Addit num. 196. regulam iſtam eſſe Sapientiſsimi Magiſtri Lumberij. Et poterat dicere, & quidem veriſsimè, eſſe omnium Doctorũ, præſertim vero Magni Parentis Auguſtini lib. 1. de mendacio, cap. 2. & Præceptoris Angelici pluribus in locis. Vide ſupra num. 813. & 827. vbi eiuſmodi vocabulariũ diſtinctum à rigoroſo veritatis vocabulario ſtabilitum eſt cum Theophilo Raynaudo tom. 14. opuſc 3. cap. 25 num. 5. & alibi. Iuxta quod vocabularium locuta eſt Iudith Holoferni, eiuſque militibus. Et nemo, qui attentè legerit ſecundã Thomæ Sanchez regulam, vniverſamque ipſius doctrinam, negabit eiuſmodi vocabularium rigoroſum veritatis, & propriũ officij, artis, &c. ab ipſo ſupponi. Sicut etiam à N. Leandro ſupponitur. Nec opus eſt quod exprimatur. Vide ſupra à num. 140. vſque ad 144. & à num. 569. vſque ad 577. Idem Torrecilla regulam iſtam tertiam communem quidem, & ab omnibus receptam illuſtrat exemplis ex eodem Thoma Sanchez, noſtro Leandro, & Scripturæ ſacræ Expoſitoribus.

844 Num. 209. tres præ-dictas regulas, præſertim vero duas priores reduci poſſe ad vnam ſolam, & forſitam illis faciliorem, & clariorem, affirmat Torrecilla. Et eſt tenoris ſequentis. Licet verba ex ſe nõ ſignificent ſenſum illum, quem proferens intendit; quia nec ex ſe ſunt ambigua, & æquivoca, nec ex hominum impoſitione illum habent ſenſum. Nihilominus, ſi talem admittant ſenſum ratione alicuius legis præceptivæ, aut permiſsivæ, verba illa non erunt mendoſa, nec reſtrictio, aut amphibologia mẽtalis erit purè mentalis, aut cõprehenſa in damnatione Pontificia. Addit, ſic ſentire virũ doctum ſuæ Seraphicæ Religionis à ſe de hac materia conſultum. Sed ni fallor, iam pridem Theophilus Raynaudus tom. 8. n. 14. opuſc. 3. cap. 11. regulam iſtam nos docuit. Ibi enim ait: Inſpiciendum eſt, an cum veritate, & debito hominum convictu, vſus ambiguarum locutionum, vel mente reſtrictarũ ita comparetur, & non modo cum iuſta, & proportionata cauſa de eſt, vitandæ ſint; ſed etiam quæcumque cauſa tandẽ obtendatur. Perindeque eſt, idoneam ſuppetere cauſam, ac nulla lege, ac virtute vſum talium locutionũ, aut reſtrictionum prohiberi. Hæc Raynaudus. Preme poſtrema iſta verba, & confer ea cum nova iſta re-

Digitized by Google

regula Reverendissimi P. Martini de Torrecilla. Per se notum videtur, iustam, idoneam, atque sufficientem causam vtẽdi restrictione mentali indispensabiliter adesse, quoties adest lex aliqua præceptiva, aut permissiva vtendi tali restrictione. Et ex adverso. Semper atque suppetit lex, aut præceptiva, aut permissiva vtendi restrictione, quam similiter infallibiliter suppetit causa iusta sufficiens, & idonea, atque proportionata vtendi restrictione. Crediderim tanquam certissimũ, perinde esse, suppetere causam iustam, ac adesse legem præceptivam, aut permissivam, ad occultandam veritatem. Addo: illam sine ista; aut ècontra nec inveniri, nec concipi posse. In quo noster Leander, Thomas Sanchez, & reliqui Theologi cum eodem Torrecilla, & cum reliquis primæ sententiæ Doctoribus omninò conveniunt. Est nihilominus latissimum discrimen inter vtrosque. Torrecilla dicit, restrictionem mentalem nunquam esse purè mentalem, & consequenter damnatam, aut in damnatione comprehensam quoties adest lex præceptiva, aut permisva, vel causa admodum iusta, gravis, idonea, sufficiens, & proportionata vtendi tali restrictione, vel occultandæ veritatis. Noster autem Leander, Thomas Sanchez, & cæteri Doctores, pro nostra sententia relati asserunt, optimè componi quod adsit lex præceptiva, vel permissiva, vel iusta, & sufficiens causa vtendi restrictione, & quod nihilominus eiusmodi restrictio maneat, & relinquatur intra terminos formalissimos restrictionis purè mentalis explicatæ n. 740. & quin sit mendax locutio. Et addunt, hanc non esse comprehensam in damnatione; sed omnino liberam, & immunem ab illa, salva semper sarta, & tecta eadem damnatione Pontificia. Insuper supponunt ex num. 802. eiusmodi restrictionem plerumque esse restrictionem non purè mentalem, sed externam, & num. 741. explicatam. Vtramque ergo admittimus. Noster Leander p. 7. tract. 1. disput. 45. in prioribus octo quæstionibus expresè agit de restrictione sensibili, & non purè mentali, & de locutione æquivoca. A quæst. vero 9. vsque ad 38. inclusivè agit de restrictione purè mentali. Similiter Thomas Sanchez dicto cap. 6. num. 14. expresè agit de restrictione non purè mentali, sed sensibili, & externa. Num. vero 15. tractat de restrictione purè mentali. De quo nequit dubitari.

845 Prosequitur idem Sapientissimus M. Torrecilla, & asserit, ex hac sua, & nova re-

Digitized by Google

regula legis præceptivæ, aut permissivæ sequi, quod semper, atque adest causa iusta, & honesta ad occultandam veritatem, possit quis vti amphibologia (cum iuramento, aut sine illo) & quod in tali casu dicta restrictio mentalis non erit purè mentalis; sed sensibilis, & externa ratione prædictarum legum, præceptivæ, aut permissivæ. En Hispana illius verba: * Desta regla se sigue, que siempre, que ay causa justa, y honesta para encubrir la verdad, se podrà vsar de la anfibologia: (con juramento, ò sin èl) y que en tal caso, dicha restriccion mental, no serà puramente mental, sino sensible, y externa por razon de las dichas leyes perceptiva, ò permissiva. Hactenus ibi, & poterit videri num. 220.

846 En ergo iuxta RR. P. M. Torrecillam quoties leges, præceptiva, aut permissiva, & iusta, & honesta causa interveniunt ad occultandam veritatem, restrictio, quæ adhibetur, non est purè mentalis, mendax, comprehensa in Pontificia damnatione, sed potius sensibilis, externa, & immunis ab eadem Pontificia damnatione. Leges eiusmodi, præceptiva, vel permissiva, & iusta, & honesta causa occultandæ veritatis extrahunt restrictionem mentalem à statu purè mentalis, omnino insensatæ, insensibilis, in damnatione Pontificia comprehensæ, labem mendacij, aut periurij continentis, & eorum veluti aspergine sordentis: illamque reddunt licitam, & honestam. Semper atque interveniunt leges, præceptiva, aut permissiva, & iusta, & honesta causa veritatis occultandæ: restrictio mentalis desinit esse purè mentalis, damnata, & mendacium, & evadit non purè mentalis, sensibilis, externa, libera à Pontificia censura, licita, & honesta. Quam doctrinam Torrecilla accepisse videtur ex P. Moya tom. 1. select. tract. 2. disp. 1. n. 16. ad hęc verba: Quoties ad mentem interrogantis respondere non tenetur, & aliunde expedit, (en leges, præceptivam, vel permissivam, & causam iustam, & honestam) veritatem occultare, ad hoc quisque ius habet (en iterum leges, præceptivã, vel permissivam, & causam iustam) licet sub iuramento extorqueatur, quam, cum tacendo occultare non possit, nec verba æquivoca sint, quivis prudens auditor sibi suadere debet ratione circunstantiarũ occurrentium, restrictionem mentalem verbis superadditã esse, & iuxta illam responsum mensurari. Vnde fit, verba esse menti conformia, cum illam implicitè saltem significent, quod

Digitized by Google

quod ad veritatem orationis vocalis sufficere constat ex communi Doctorum, vt vidimus. Hactenus Moya. Cuius rationem Torrecilla tertio ferè quoque verbo docet, repetit, inculcat.

847 Solum superest nobis probandum, an noster Leander, & Thomas Sanchez pro vsu licito restrictionum suarum, etiam iuramento confirmatarum, semper, & vbique indispensabiliter requirant eiusmodi leges, præceptivam, aut permissivam, & causam iustam, & honestam. Semel enim atque hoc probaverimus, inde per legitimam, & ineluctabilem consequentiam inferetur, in sententia Torrecillæ, & iuxta vltimam eius regulam, & ad quam tres priores reducuntur, & iuxta ipsius sequelam, num. 845. in fine stabilitam, omnes, & singulas restrictiones mentales, quas, vt licitas admittunt noster Leander, Sanchez (& alij, quibus subscribimus) esse non purè mentales: sensibiles, à Pontificia damnatione immunes: nullam mendacij, aut periurij labem continentes. Per necessariam deducetur illationem, nullam, nullam earum restrictionum mentalium, quas tanquam licitas concedunt N. Leander, & Thomas Sanchez, esse pure mentalem, insensibilem, Pontificiæ censuræ obnoxiam, mendacij, aut periurij aspergine sordentem. Nemo non videbit, N. Leandrum, & Thomam Sanchez, in principijs Torrecillæ, ipsissimas restrictiones mentales, quas Torrecilla, Lumbier, Hozes, Carmelita Discalceatus, & reliqui Recentiores tanquam licitas post Pontificiam condemnationem tuentur, semper, & vbique ante eamdem damnationem defensasse, Quid clarius, aut certius? Profecto nihil. Rem sine partium affectu contemplare: & illationem esse legitimam non poteris non videre. Ex qua aliam æque legitimam inferes consequentiam, nimirum, vel Torrecillam, Lumbier, Filguiram, Carmelitam Discalceatum, & alios Recentiores immerito, & non nisi calumniose attribuisse, & appegisse nostro Leandro, & Thomæ Sanchez propositionem damnatam in sensu, in quo ipsi Torrecilla, Lumbier, &c. exclamant, esse à Summo Pontifice damnatam: vel eorumdem Torrecillæ, Lumbier, &c. expositionem pariter esse à Summo Pontifice damnatam. Quandoquidem est ipsissima doctrina cum ea, quam tradiderunt N. Leander, & Sanchez. Et Torrecilla pro sua explicatione vtitur ipsissimis regulis, textibus, exemplis, corollarijs, & rationibus, quibus vtuntur

Digitized by Google

noſter Leander, & Sanchez: vt ipſos diligenter legenti evidenter cōſtabit. Et ex n. 831. & 838. in fin. implicat, quod ex duabus opinionibus reipſa in praxi indiſtinctis, vna præ alia in praxi ſit pernitioſa, ſcādaloſa, & quod damnetur, vt talis. En dilemma, quod eidem Reverendiſsimo P. Torrecillæ in ſuo Matritenſi Conventu, humillime, & debita cum reverentia in familiari colloquio, ab ipſo edoceri deſiderans propoſui, & cuius num. 728. memini. Quod ipſe Torrecilla non ita refert in ſuis conſultis moralibus pagina mihi 356. ſubconſul. 23. in 2. Editione anno 1686. me, ſuppreſſo nomine, relato, & ſupra meritum laudato. Nec ipſe ſatisfacit ibidem dilemmati; ſed illo in ſuo robore relicto, ad alia ſe divertit: vel vt melius dicam, iterum ſe convertit adverſus Thomam Sanchez, quaſi iſte non deſideraverit cauſam iuſtā, vel legem præceptivam, aut permiſsivam ad licitum vſum reſtrictionum purè mentalium: vt ſententiam damnatam in ſenſu damnato eidem attribuat Thomæ Sanchez. Damnata ſententia in ſenſu damnato quolibet fine erat contenta ex num. 741. eſto abeſſent leges præceptiva, aut permiſsiva, & cauſa iuſta. Ad excuſandam labem mendacij, aut periurij, necdum in rigore Phyſico, vel entitativo, verumetiam Moralj: illud mentale additum tantummodo deſiderabat: ex quocumque tandem fine illud adderetur: quolibet alio excluſo. Hoc damnat Innocentius XI. & quidem iuſtiſsime: vt à num. 743. diximus. A qua ſententia toto cœlo differt ſententia noſtri Leandri, Thomæ Sanchez, & aliorum, prout ab eiſdem limitatur, & explicatur tam per regulas, textus, exempla, & corollaria, quam per rationes, quibus vtuntur: ſicut etiam differt ſententia eiuſdem Torrecillæ, qui ipſiſsimis vtitur regulis, exemplis corollarijs, & rationibus. Quare vel vtraque, vel neutra ſententia manet obnoxia damnationi. Non vtraque. Ergo neutra. En redit iam noſtrum dilemma. Quo præmiſſo.

848 Vt promiſsis num. 847. ſtemus, audiamus noſtrum Leandrum. Ipſe part. 7. tract. 1. diſput. 45. quæſt. 2. inquirit: *An ſit licitum alicui abſque iuſta cauſa iurare cum æquivocatione alio ſenſu, quam intelligat audiens?* Et ita reſpondet: *Vt certum reſpondeo, minime eſſe licitum, ſed culpam, & peccatum committere.* Quam doctrinam repetit quæſt. 5. 112 & ſeqq. Audiamus etiam Thomam Sanchez lib. 3. in Decalog cap. 6. num. 16. vbi ſic ait:

Digitized by Google

ait: *Quarta regula sit. Nullo modo licet vti verbis ambiguis quibuscumque, etiam si ex sua significatione ambigua sint, id nulla iusta causa petenti, nisi in sensu vsurpentur, quem communiter audientes percipiunt. Ad id licebit ex iusta causa.* Et num. 18. ait: *Quoties adest iusta causa his vtendi æquivocationibus, animus vtentis non debet esse ad fallendum proximum, sed ad occultandam veritatem, quam non expedit revelare::: At si animus esset fallendi:::: re bene inspecta est mortale periurium. Quia cum intendat persuadere, ac fingat aliud, quam in mente tenet, est mendacium simile mendacio consistenti in facto, vt constat ex ratione 6. quam num. 15. adduxi ex mente D. Thomæ.* Vide supr. num. 681. Noster Leander, & Sanchez probant suam doctrinam ipsissimis rationibus, quibus à num. 688. demonstravimus, mendacium esse intrinsecè malum. Et à num. 757. restrictiones purè mentales, & non purè mentales, & æquivocas locutiones sufficienti, & iusta causa destitutas, esse illicitas, & saltem reductive mendacia, & periuria, quando iuramento confirmantur. Lesius (quem Thomas Hurtado ex num. 732. fecit primum huius sententiæ Auctorem) eandem expressè supponit doctrinam lib. 2. de iustit. cap. 42. num. 47. & 48. & causam iustam indispensabiliter semper requirit, ibi: *Quandocumque aliquis iniuste cogitur::: Habet iustam causam celandi mentem::: Si necessitas, vel vtilitas iuramentum exigat::: Si causa subsit::: Iustam causam subesse::: Si necessitas, vel notabilis causa postulet::: Nisi quando iuste possumus::: Si absque iusta causa fiat.* Quid in his immoror? Cedo mihi, vel vnum solum Auctorem Catholicum, qui ad licitum vsum restrictionum mentalium non exegerit causam iustam, sufficientem, & idoneam: seu proportionatam, & quod perinde est: leges, præceptivam, aut permissivam: pro vnica regula à Torrecilla assignatas. Quod iam pridem notavit Franciscus Verde in suis selectis positionibus quæst. 11. num. 529. Vide supra num. 835. 844. & alibi. Tunc vltra. In principijs Torrecillæ, semper atque adest lex præceptiva, aut permissiva, & iusta, atque proportionata causa ad occultandam veritatem, restrictio mentalis, qua occultatur veritas, non est purè mentalis, & damnata; sed potius non purè mentalis, & à damnatione immunis. Ergo restrictio mentalis, quam N. Leãder, & Thomas Sanchez admiserunt

ferunt ad occultandam veritatem: in principijs eiusdē Torrecillę nō est purè mentalis, sed à damnatione prorsus immunis. Quare Torrecilla, nisi secū ipso pugnans, damnationē attribuere nō potest N. Leandro, & Thomæ Sanchez. Si N. Leāder, Thomas Sanchez, & Torrecilla introspiciantur, quidquid asserit Torrecilla cum Carmelita Discalceato, & alijs Recentioribus in hac parte, est quædā invectiva valde immerenter contra N. Leandrū, & Sanchez pronuntiata, & in eosdem Recentiores iustissimè detorquenda. Hoc mihi certissimū in principijs M. Torrecilla. Quare in eiusdē principijs, vel vtraque, vel neutra sententia est damnata. Non vtraque. Ergo neutra. Revera dari possunt, & dantur restrictiones purè mentales licitæ, & in damnatione Pontificia neutiquam comprehensæ. Et istas admisserunt N. Leander, & Sanchez. Admisit, & S. Thomas. Et nihilominus propositio damnata iustissimè damnata est, vt iacet: & dignissima est, quæ vt talis expungatur à libris ex n. 831. & alibi. Vt tamen avulsa à textu Thomæ Sanchez, non est huius doctrina, & N. Leandri, nisi apparenter tantum. Ab eis enim limitatur, & explicatur optimè, si ipsi attentè, & sine partium affectu legantur. Et nihilominus Pontificia damnatio sarta, tectaque servatur quoad propositiones 26. & 27. imò & quoad 28. ex dicendis à n. 864. ad quā salvandā opus nō est, quod propositio 26. quoad omnes casus in illa recensitos sit damnata cū generalitate explicata à M. Torrecilla, Lumbier, & alijs, vt à n. 745. expensum est.

849 Et profecto si M. Torrecilla transcripsisset quartam Thomæ Sanchez regulā num. præcedēti relatā, quæ rem, causamque maximè continet, & valde conducit ad explicandā mentem eiusdē Sanchez, à cēsura supersedisset: & absdubio advertisset, suam explicationē innixam regulis, textibus, & rationibus Thomæ Sanchez, huiusque corollarijs, & exemplis illustratam: & à N. Leandro ex eodē Thoma Sanchez traditā, non potuisse esse immunē à Pōtificia censura, quin doctrina N. Leandri, & Sanchez pariter esset immunis ab eadē censura. Et quod eiusdem Torrecillæ, & aliorum Recentiorum doctrina, vel explicatio foret obnoxia Pontificiæ damnationi, si doctrina N. Leandri, & Sanchez, prout ab his explicata, esset obnoxia damnationi: Quia quoad praxim est ipsissima, vt sæpè dictū est. Et implicat omnino, ex duabus opinionibus, quæ quoad praxim revera non differunt, vnam præ alia esse

Digitized by Google

esse pernicioſam quoad eam-dem praxim, esse ſcandaloſam, &c. Beneverum est, quod vna, eademque propoſitio, prout pronuntiata, & explicata ab vno Auctore, est ſcandaloſa, pernicioſa, imò hæretica: & prout prolata, & expoſita ab alio Auctore, est Catholica, & de fide. Quod multis exemplis demonſtrare poſſemus. Vnum, vel aliud in medium proferemus. Apoſtolus ad Rom. 5. v. 1. & alibi inquit: *Iuſtificati ex fide, &c.* Lutherus, & Calvinus taliter explicant Paulum loc. cit. & alibi, vt dicant, ſolam fidem ſine ſpe, timore, dolore, charitate, aut alia forma formaliter ſanctificante, ſufficere ad iuſtificandum hominem: paulo aliter: ſolam fidem, à quavis alia forma præciſam eſſe formam formaliter iuſtificantem. Quæ propoſitio, vt à Luthero, Calvino, & eorum aſſeclis explicata, & intellecta, est hæretica. Nec vox illa *Sola* adiuncta huic *Fides* reperitur in Apoſtolo, aut in tota ſacra pagina. Quare Lutherus de hac re monitus, & non inveniens vocem illam *Sola* adiunctam alteri *Fides* in tota ſacra Scriptura, vſus est privata ſua auctoritate, & audacter poſuit illam in 3. cap. Epiſtolæ ad Rom. dicens: *Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas*, vt notat Becanus p. 2. tract. 4. cap. 2. q. 6. Catholici autem aliter explicamus Apoſtoli propoſitionem, quæ eſto in ſolis verbis, & nudis vocibus *Iuſtificati ergo ex fide* ſit eadem in Hæreticis, & in Catholicis quoad apparientiam, & ſit aliqua ſimilitudo in ſpeciem. Revera tamen ſenſus est toto cœlo diverſus. Hæc propoſitio *Filius eſt minor Patre*, prout explicata ab Arriano est hæretica: prout intellecta à Catholico: iuxta illud ſymboli: *Æqualis Patri ſecundũ Diuinitatem; minor Patre ſecũdum humanitatem*: est Catholica. Quæ doctrina certiſsima est. Cæterum nihil tale reſpondere poſſunt Torrecilla, Lumbier, Carmelita Diſcalceatus, & alij Recentiores, propoſitionem damnatam in ſenſu damnato N. Leandro, & Thomæ Sanchez adſcribentes. In quo ipſi quoddammodo exceſsiſſe, & Sedis Apoſtolicæ iudicium antevertiſſe, non vero ſecuti fuiſſe mihi videntur ex n. 727. in fine.

850 Ad hæc. Propoſitio 26. ſub formaliſsimis, & integris terminis non reperitur in N. Leandro, & Sanchez. Illa enim vt iacet habet verba iſta, *Aliam viam.* In Thoma Sanchez, *Aliam diem.* Et eſto ad præſens inſtitutum nihil referre videatur: quia vtrumque additum est ſola mente retentum: & propoſitio damnata, vt iacet,

Digitized by Google

asserit, quodcumque ex eis sufficere ad veritatem assertionis prolatæ, si exterius exprimeretur, & ad evitandum mendacium, & periurium. Nihilominus quoad effectum appingendi damnationem N. Leandro, & Thomæ Sanchez, plurimum refert. Et mihi est evidentissimo argumento, thesim damnatam, vt iacet, nō fuisse decerptam ex Sanchez, quando delata fuit ad Sedem Apostolicam. Alias enim delata fuisset cum illa voce *Aliam diem*. Desumpta ergo est ex alijs Auctoribus, libris, aut codicibus manuscriptis, aut thesibus impressis, in quibus reperiebatur cum illa voce *Aliam viam*, & sine limitationibus, & explicationibus, cum quibus reperitur in Sanchez, & N. Leandro. Decerpta est sine dubio ab aliquo Auctore, in quo invenitur, vt iacet, & cum explicationibus contrarijs, & alienissimis à sensu Catholico, & vt explicuimus n. 744. Quare iustissime est damnata, & vt iacet, & sine debitis explicationibus, & limitationibus per nos hactenus adhibitis, vbicumque fuerit, expungenda est à libris. Non tamen damnata est propter rationem, quā Lumbier, Torrecilla, Carmelita Discalceatus, & reliqui Recentiores assignant: totā damnationis causam ad hoc vnicū caput revocantes, quod propositio illa damnata aliquando ex iusta causa restrictiones purè mentales, tanquam licitas, & à mendacio, & periurio liberas admisserit: vt optimè notat R. P. Didacus de la Fuente Hurtado disser. 18. n. 27. referendus infra num. 864. Restrictiones enim purè mentales quandoq; licent, decent, & expediunt. Quandoque non licent, nec decent, nec expediunt Si iusta adsit causa licent, decent, & expediunt. Si desit iusta causa: non licent, nec decent, nec expediunt. Quod explicatur exemplo iuramenti, quod suis comitibus associatum licet, decet, & expedit. Aliter non licet. Etiam explicatur exemplo restrictionum non purè mentalium, & locutionum æquivocarum, quæ licent, quando iusta suppetit causa. Non licent, quādo non suppetit iusta causa: vt peringenue fatetur Torrecilla num. 238. Summus Pontifex non expressit illud adverbium *Purè*: nec quas restrictiones purè mentales damnavit. Vt teneamur parere damnationi, vt ista sarta, tectaque servetur, opus non est, quod omnes, & singulæ restrictiones purè mentales, iusta etiam, & sufficienti causa occultandæ veritatis, associatæ, & vestitæ: sint damnatæ. Vide supr. à num. 745. Similiter vt propositio damnata, in sensu damnato adscribatur N. Leandro,

Digitized by Google

dro, aut Thomæ Sanchez, non sufficit, quod quoad speciem propositio reperiatur in illis: si rectè explicetur: vt à nobis explicata est.

851 Et profecto sicut propositio 26. reperitur in Thoma Sanchez, excepto illo termino *Viam*. Quam similiter propositio 27. excepta voce ista *Sensibiles* reperiri videtur in Torrecilla, vel formaliter, vel saltem æquivalenter: translatis verbis Latinis ad Hispanum idioma. En illius verba n. 246. * Digo lo primero, que la causa justa, para vsar de estas anfibologias sensibles, es, y serà siempre que las dichas son necessarias, ò vtiles para la salud del cuerpo, honra, ò bienes temporales: ò para qualquier acto de virtud, de tal suerte, que la ocultacion de la verdad se juzgue entonces conveniente, y estudiosa, ò que prudencialmente parezca justa. * Hactenus ille. En in sola illa voce *Sensibles* discrepare videtur doctrina Torrecillæ à thesi damnata. Cum interea, prout ab ipso explicata, & illustrata regulis, textibus, rationibus, corollarijs, & exemplis à Thoma Sanchez & N. Leandro desumptis, toto cœlo differat in re: & iuxta eumdem Torrecillam num. 238. possint dari restrictiones non purè mentales, imò æquivocæ locutiones, quæ sint saltem moraliter, & reductivè mendacia, vel periuria, quando videlicet iusta causa deest: vt à num. 760. etiam dictum est: vtque sint sint licitæ, sufficienti causa vestiri debeant. Supra retulimus num. 845. quædam ipsius Hispana verba, quibus adiunge sequentia ex num. 112. ex communi doctrina Angeli, Caietani, Navarri, Suarez, Dianæ, & aliorū: * Es licito vsar de anfibologias en el juramento, siempre que ay causa justa en el que jura, como, quando es necessario, ò muy vtil para defender la salud del alma, ò del cuerpo, ò para defender la honra, fama, ò bienes temporales, ò para guardar el secreto, que se nos ha encomendado, ò de otra suerte obligatorio, quando la anfibologia es necessaria para el bien, ò favor nuestro: y finalmente siempre que la ocultacion de la verdad pertenece à qualquier acto de virtud, y se juzga conveniēte, virtuosa, y estudiosa. * Hactenus ille. Et nihilominus immerito quis appingeret, vel adscriberet eidem M. Torrecillæ propositiones damnatas in sensu à Summo Pontifice damnatas. Quia nimirum ipsius Torrecillæ mens ex antecedentibus, consequentibus, & adiunctis, benignissimè quam possit, colligenda est, vt in simili dictum est num. 727. & dicemus disp. 3. q. 32. estque regula certis,

Digitized by Google

tissima ad legitimè exponendam Scripturam sacram. Id ipsum ergo observare debuerunt idem Torrecilla, Lumbier, Filgueira, Carmelita Discalceatus, & cæteri Recentiores in exponendis N. Leandro, Thoma Sanchez, & alijs, de Theologia Morali benemeritissimis, quos à censura Pontificia potuerunt, & debuerunt vindicare, sicut passim alios quam plurimos vindicant. Quos in hac parte vindicandi quam plurimos alios Auctores à Pontificia censura, imitari voluimus, & debuimus in gratiam eiusdem N. Leandri, & Thomæ Sanchez, non quidem sola nostra imaginatione freti, & innixi; sed auctoritate & rationibus ex Reverendissimo P. Didaco de la Fuente Hurtado excerptis præmuniti, & clypeati: ne nostrum commentum, vel fictio videatur, quod à tam percelebri Theologo traditum est. Nec mirum quod nos tanti Doctoris sententijs, & verbis usi fuerimus ad vindicandos, & liberandos à Pontificia censura tam insignes Doctores, cum horum ipsorum rationibus, regulis, corollarijs, textibus, exemplis syllabatim traductis, & translatis alij usi fuerint ad eosdem Doctores condemnandos. Hactenus de crisi Reverendissimi P. Torrecillæ.

§. XI.

Causa iusta, sufficiens, & idonea pro licito vsu, & praxi restrictionum purè mentalium, & non purè mentalium, & æquivocarum locutionum assignatur, & propositio 27. specialiter exponitur.

852 SVpra num. 837. promisimus examinare quænam sit existimanda causa iusta, & sufficiens pro licita praxi. Ibidem diximus, magnam apud quosdam irrepsisse laxitatem circa idoneitatem, sufficientiam, & magnitudinem causæ pro vsu restrictionum mentalium. Frequenter enim non causam pro causa iusta, sufficienti, & idonea assignant, seque habere existimant, qui restrictionibus eiusmodi, & cautionibus odiosissimis intemperanter indulgent. Et cum alias sit res valde lubrica, summopere curandum est, ne laxentur habenæ. Et qui sine causa iusta, & sufficienti vtuntur eiusmodi restrictionibus purè mentalibus, imò & non purè mentalibus insuper, & æquivocis locutionibus, esto desit pravus finis, verè mentiuntur in æstimatione prudentum, & peccant ex dictis à n. 757. vsque ad 762. & quo minor, vel levior causa ad vtendum restrictio-

Digitized by Google

ctionibus à quibusdam requiritur, eo maiorem facultatem, vel licentiam ijdem sibi vsurpant vtendi eisdem restrictionibus in gravissimum rationalis convictus, & humanæ societatis præiudicium, æquivalens præiudicijs, damnis, & incommodis, quæ ex mendacio, & periurio per se nascuntur ex dictis à num. 684. Summus ergo Pontifex in damnatione propositionis 27. laxitatem, & excessum huiusmodi relegare, amandare, & proscribere voluit. Igitur N. Leander part. 7. tract. 1. disp. 45. q. 5. inquirit: Quænam sit causa iusta vtendi amphibologijs, & æquivocationibus in iuramento? Et respondet, quod causa iusta erit necessitas, aut vtilitas corporis, aut honoris, aut rerum familiarium, vel quilibet alius virtutis actus, ita vt veritatis occultatio censeatur tunc expediens, ac studiosa. Addit, etiam esse iustam causam, interrogationem iniustam factam illi, qui amphibologicè loquitur. Et quæst. 6. affirmat, iocum honestum etiam esse causam iustam vtendi amphibologia, vel æquivocatione, dummodo id fiat sine iuramento, licet Sotus affirmet, non esse culpam vti his amphibolgijs etiam cum iuramento in iocis, & in ridiculis. Quæst. 7. etiam asserit, causam iustam esse iurandi amphibologicè, quod quis importunè rogetur ab aliquo privato ad iurandum. Et quæst. 8. concludit, neminē posse vti amphibologijs: quando à nullo rogatus sine vtilitate, aut necessitate vlla sponte se offert ad iurandum. Vide eumdem N. Leandrum q. 11. in fin. Sapientissimi M. Torrecillæ mentem explicatam habes in hac parte num. 851. quæ eadē videtur cum sententia N. Leandri, quæ per omnia conformis est doctrinæ Thomæ Sanchez. Vide nunc quantum differat Torrecilla à N. Leandro, & Sanchez in expositione 27. propositionis.

853 Eximius Doctor P. Franciscus Suarez tom. 2. de Religione, lib. 3. de iuramento, cap. & num. 10. assignare volens causam iustam, sufficientem, & idoneam pro praxi licita restrictionum mentalium, & locutionum, quas ipse vocat mutilatas in verbis, & integratas ex conceptibus mentalibus (vt supra à nobis expositum est conclusione 7. per totum à n. 763.) & supponens, esse illicitum vti eiusmodi restrictionibus mentalibus, nisi ex iusta causa, & necessitate, & addens, regulariter esse grave peccatum, si iuramento confirmentur eiusmodi sermones mutilati, ita concludit: Solum ergo licet, cum aliquis iniustè, vel importunè cogitur ad aperiendū ali-

Digitized by Google

aliquid, & iurandum quod sibi non expedit revelare. Quando autem quis vel iustæ interrogationi respondet, vel ipse voluntariè se offert ad loquendum, simpliciter loqui debet, prout scit, alium accipere. Hactenus Eximius Doctor, qui sicut & noster Leander, Thomas Sanchez, Lesius, & Torrecilla, insuper & reliqui Recentiores doctrinam istam accepisse videntur ex doctissimo Navarro, & præcipuo eiusdem doctrinæ antesignano, in cap. *Humanæ aures*, q. 2. num. 10. dicente: Causa salutis animi, corporis, imò & rei familiaris, & cuiuscumque alterius actus virtutis potest quis vti verbis amphibologicis, ac duplicib⁹. Et in summa cap. 12. num. 8. videri poterit idem Navarro. Apud quē est iusta causa vtendi his restrictionibus, quoties quis interrogatur ab alio privato, importune neque rogatur, vt iuret.

854 P. Martinus Bresserus lib. 5. de conscient. cap. 9. n. 189. docet, tunc tantūmodo licere eiusmodi restrictiones, quæ omnino latent audientes: cum eas postulat moralis necessitas, seu causa, & incommodū, nō quodvis, sed grave, quale excusat ab observatione præceptorum positivorum: v. g. ieiunandi, vel audiendi sacrum. Theophilus Raynaudus tom. 14. opusc. 3. de restrict. cap. 5. n. 1. & tom. 18. de Missis. Evangel. ad Sinas p. 2. cap. 1. post med. videndus est.

855 Alij asserunt, tunc dari iustam causam vtendi eiusmodi restrictionibus purè mētalibus, & purè internis verificantibus verba, quæ alias essent falsa: quando hoc est necessarium ad vtendum iure nostro, aliquam veritatem occultando, quæ absque aliquo gravi incōmodo: proprio, vel alieno: spirituali, vel corporali, nec potest manifestari, nec per aliā viam, aut aliter occultari his, quos alloquimur, & à quibus ad respondendum iniuste, imprudēter, & irrationabiliter compellimur. Doctrina ista valde consona est his, quæ hactenus pro explicanda nostra sententia adduximus. In primis enim excluduntur à numero restrictionum licitarum omnes illæ, quas iustitia, fides, Religio, obedientia, & aliæ eiusmodi virtutes distinctæ à veritate, vel veracitate, speciali, & particulari prohibent iure. Idcirco asserimus, necessarium esse, vt quis suo vtatur iure. Nemo autem in similibus casibus (ideſt, quando per accidens fides, religio, iustitia, obedientia, & aliæ virtutes vrgent) habet ius occultandi veritatem sibi notam. Imò tunc tenetur in conscientia veritatem syncerè, integrè, & apertè propalare: rationabiliter, &

Digitized by Google

& vt humanus conuictus exigit, ad rationalem interrogationem respondendo. Excluduntur etiam restrictiones merè voluntariæ, ioculares, ridiculæ, vel otiosæ. Quia deficit iusta causa, & necessitas, aut per aliam synceriorem viam occurri, & prouideri poterit hic, & nunc malis ex manifestatione imminentibus ex dictis à num. 757. Excluduntur denique restrictiones omnes illæ purè mentales, quæ dumtaxat sunt necessariæ ad excusanda nullius, aut parui momenti incommoda. Idcirco dictum est, requiri notabile incommodum imminens, vel proueniens tam ex omnimoda taciturnitate, quam ex candida veritatis manifestatione. Notabile autem incommodum maius debet esse paruo, & non iam leue; sed mediocre, aut graue, habito respectu ad personas, materiam, & circunstantias negotij, de quo agitur. Quantum autem debeat esse eiusmodi incommodum, haud facile est determinare, certam regulam, & mensuram assignando. Pendet enim eius quantitas ex multiplici rerum, & circunstantiarum varietate. Et prudentis viri arbitrio relinqui debere videtur; non secus, ac quantitas necessitatis requisitæ ad licitè iurandum, & gravitas causæ necessariæ ad respondendum per restrictiones non purè mentales; sed ex circunstatijs externis sensibiles: ab omnibus admissas, & per verba reali, & vera æquivocatione æquivoca, in omnium sententia relinquenda est arbitrio viri prudentis; non vero cuiusli, bet ignorantis.

856 Hinc vsui esse poterit pro praxi licita restrictionum purè mentalium regula illa, quam Innocentius III. provsu licito iuramenti præscripsit nobis in regula speciali, & propria, quam concessit Ordini nostro Cœlesti SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, quæ reperitur tom. 1. Cherub. constitut. 1. eiusdem Innocentij III. & lib. 1. Decretal. eiusdem Innocentij III. in edit. Rom. pag. 233. Cap. ergo 26. nostræ regulæ sic habetur: *Iuramenta non faciant: nisi magna necessitate: cum licentia Ministri, vel iussi ab aliquo vices Apostolicas gerente, & hoc pro honesta, & iusta causa.* Quæ verba sic exponit N. Leander in eius exposit. *Nisi magna necessitate*, quia aliud est ad iuramentum spontanea voluntate accedere, aliud necessitate. Primum quidem prohibetur, vt constat ex multis testimonijs, & ex 2. præcepto Decal. Secũdum vero minimè, sed conceditur, estque licitum, & honestum, præcipuè in sex sequentibus. 1. pro pace, vel amoris con-

Digitized by Google

coniunctione. 2. pro infamiæ expurgatione. 3. pro fide, & fidelitate. 4. pro obedientia, vel reverentia. 5. pro veritate inquirenda, sive in testibus, sive alijs. 6. pro damno dato, vel dando; iuxta illa Glossæ carmina:

Pax, & fama, fides, reverentia, cautio damni,
Defectus veri, sibi poscunt, magna caveri.

Et hoc pro honesta, & iusta causa. Circa quæ idem N. Leander ait: Quales sunt omnes assignatæ, vt sic inveniantur in iuramento tres illi comites, quos Hieronymus, & Divus Thomas assignant, veritas scilicet, iudicium, & iustitia. Hæc N. Leander, qui videri poterit p. 7. tract. 1. disp. 7. vt num. 832. prænotavimus.

857 Num. 835. restrictiones nostras purè mentales in multis æquiparavimus iuramentis, & præsertim quoad necessitatem causæ, huius magnitudinem, sufficientiam, & idoneitatem: licet aliquod detur discrimen inter iuramentum, & inter restrictiones purè mentales, vt num 834. prænonuimus. Quia causa, quæ sufficit ad verum dicendum, sæpè insufficiens est ad iurandum, & nova causa, maiorque necessitas desideratur ad iurandum. Et vti restrictione purè mentali, absque necessitate, vel causa gravi erit violatio veritatis, vel veracitatis; confirmare vero iuramento restrictionem purè mentalem, absque necessitate, & sufficienti causa erit violatio necdum veritatis, verumetiam religionis. Religio autem licet non sit virtus Theologica, in rigore, & proprietate Theologica, sed distincta à fide, spe, & charitate, nihilominus est valde affinis eisdem Theologicis virtutibus, & primum obtinet locum post eas, estque præstantior, atque excellentior veritate, vel veracitate, vt constat ex Divo Thoma 2. 2. q 81. art. 3. 4. & 5. Quare qui absque necessitate vtitur restrictione purè mentali, peccat contra veracitatem. Qui vero restrictionē purè mentalem iuramento cōfirmat, religionem, & primum Decalogi præceptum violat, & Divino cultui, reverentiæ, & religioni se se directè opponit. Quare gravius peccat.

858 Ex dictis constat, posse nos existimare, & quidem prudenter, habere sufficientē, & idoneam causam ad restrictiones purè mentales, quando hic & nunc nobis constat, gravius esse præiudicium quod nobis imminet ex non vsu restrictionis purè mentalis necessariæ ad evitandum illud, quam malum alteri imminens ex eo, quod nos non ad mentem irrationalem interrogantis, sed con-

Digitized by Google

conformiter ad rationem naturalem respondeamus, reducti ad illud extremum, vt vel mẽtiri cogamur, vel factum syncerè manifestando: nobis, vel alijs graviter noceamus. Sine mendacio ergo ab huiusmodi perplexitate liberamur. Mentiri nunquam licet. Vti autem non omnimoda synceritate, sed minori, qua mens nostra partim prodatur, partim occultetur, absque intentione adhuc interpretativa fallendi proximum, aliquando licet, decet, & expedit. Neque id nocet rationali convictui, & humano commercio. Imò prorsus noceret, quod in simili perplexitate, & angustijs nullum nobis iniuriam ininstè patiẽtibus suppeteret medium licitum, quo ab iniusta interrogantis vexatione nos tueri possemus. Si iniustè interrogans decipiatur nostra responsione, sibi imputet, qui est prima causa deceptionis suæ, & nobis iniuste præclusit viam silentij, & alias minus incommodas, quibus eidem satisfacere possemus. Hinc confessarij, legati, consiliarij, & similes personæ, quæ tenentur occultare veritatem quando interrogantur iniustè, licitè poterunt vti restrictione purè mentali, quia habebunt iustam, & honestam sic respondendi causam præponderantem bono candidè loquendi, & incommodo deceptionis proximi. Raroque eisdem personis proderit tentare alia media candidiora v. g. nihil respondere, vel non clarè, sed æquivocis, aut obscuris verbis. Quia hoc magnam generabit secreti suspicionem. Quod est per se grave incommodum, & curiositatem interrogantis augebit, ne desistat à vi, vel metu iniustè illatis, quousque, sublatis ambagibus, responsionem absolutè negativam, aut affirmativam factam, sibi interrogatus reddat. Et præsertim in iudicio ambages, sive tergiversationes eiusmodi solent esse necdum inutiles, & infructuosæ, verumetiam valde periculosæ. tam reis, quam testibus contra iuris ordinem, & iniustè interrogatis, vt optimè notat Thomas Sanchez dicto cap. 6. num. 17. Ex quibus constat, quæ sit causa iusta ad licitum vsum restrictionum purè mentalium, & non purè mentalium, & æquivocarum locutionum. Inde vero.

859 Sponte sua fluit verissima, & legitima expositio propositionis 27. num. 722. stabilitæ, & à Summo Pontificè damnatæ. Ne autem in materia amphibologiæ amphibologia ipsa hallucinemur, aut æquivocatione laboremus, præmittendus est sensus propositionis 26. ab Auctoribus illius (quicumque tandem fuerint) intẽ-

Digitized by Google

tentus, & num. 744. assignatus: nimirum: *Quisquis sola pura mentali restrictione sua dicta verificat, quamvis iuramento vtatur, nunquam mentitur, nec peierat.* Propositio igitur 27. specialiter, & determinate loqui videtur de restrictionibus purè mentalibus iuramento confirmatis. Pronomen enim istud *His*: quo vtitur in principio: appellare videtur super illas restrictiones, quarum fit mentio in propositione 26. immediatè antecedenti. Sed in ista fit mentio de restrictionibus pure mentalibus iuramento confirmatis: vt constat ex illa particula *Intelligendo intra se.* Quibus particulis nihil aliud significari videtur quam additum sola mente retentum, & orationis verificativum. Ergo. Beneverum est, restrictiones non purè mentales, & æquivocas locutiones sufficienti, & iusta causa destitutas etiam esse falsas, & æquivalenter mendacia, & periuria ex num. 760. 841. 851. & alibi, adhuc in sententia Torrecillæ. Cæterum de his non fit saltem expressa mentio in propositione 26. De solis ergo restrictionibus purè mentalibus fit mentio: nō quidem de omnibus: vt contendunt Lumbier, Filgueira, Torrecilla, Carmelita Discalceatus, & alij Recentiores: sed de solis sufficienti, idonea, & iusta causa destitutis. Ad istas ergo dumtaxat refertur pro. nomen illud *His*: in propositione 27. expressum. Et cuiuscumque tādem sit propositio damnata in sensu damnato, ea invenitur formaliter, aut æquivalenter in Portel, Diana, Conrado, Navarro, Sanchez lib. 3 in Decal. cap. 6. num. 19. & alijs. Et vt iacet, & inexplicata.

860 Iustissimè damnata, & proscripta est tanquam scandalosa, & pernicios in praxi. Primò, quia non requirit maiorem causam ad licitum vsum restrictionum purè mentalium, quàm desideratur ad veritatem vtiliter, & studiosè occultandā. Quod patet ex illis finalibus verbis: *Ita, vt veritatis occultatio censeatur tunc expediens, ac studiosa.* Ista enim verba postrema explicant reliqua præcedētia. Quo quid magis scandalosum, aut perniciosum esse potest quoad regulam morum? Veritatis enim occultationem, licet expedientem, atque studiosam, sæpè consequi valemus per alia media, quæ sunt magis syncera, candida, & simpliciora: v.g. silendo: maximè quando à nullo interrogamur: quando sponte nos ad loquendum ingerimus. Imò & quando interrogamur, si divertendo conversationem, vel respondendo: *Quid ad te?* Vel alio simili modo possit quis suum occultare sc-

Digitized by Google

secretum, & istud non manifestare: absque gravi præiudicio teneatur medium istud restrictionum purè mentalium excusare. Quia licet sit licitum, interveniente iusta causa: est nihilominus medium quoddam peculiare, & extraordinarium. Habet quamdam mali speciem: à qua, quantum possumus, abstinere debemus: ne proximum scandalicemus, eique intellectualis ruinæ occasionem præbeamus iuxta dicta num. 790. & 791.

861 Secundò iustissimè etiam damnata est illa propositio 27. propter verba illa: *Quoties id est necessarium, vel vtile.* Ista enim verba sunt disiunctiva. Et inde legitimè infertur, solam vtilitatem à necessitate seiunctam sufficere ad licitum vsum restrictionum purè mentalium, etiam iuramento confirmatarum. Quod perversivum est civilis conversationis: valdè dissonum, absonum, & præiudiciale humano commercio: reciprocè hominum fidei, charitati, amicitiæ, synceritati, &c. Quia praxim earumdem restrictionum purè mentalium, etiã iuramẽto confirmatarum, facit frequentissimam: cum earum vtilitas absque necessitate frequenter detur ad honorẽ, aliosque fines in ea thesi expressos. Quod autem restrictiones eiusmodi purè mentales iuramento confirmatæ adeò frequenter non debeant vsurpari in humano victu, sed ad instar pharmaci, vel medicamenti difficilis, amari, & dolorosi nocentis, quoties absque necessitate adhibetur: omnes timorati, & virtuosi sentiunt. Ideò num. 761. diximus, restrictiones purè mẽtales, mere voluntarias semper esse illicitas, & mendacia saltem æquivalẽter. Quia æquivalent rigorosis mendacijs quoad voluntatem decipiendi, in qua principaliter consistit formalis, & moralis malitia mendacij iuxta D. Thomam quodlib. 6. art. 17. Restrictiones autem mere voluntariæ reputantur in prudentum existimatione omnes illæ, quæ absque necessitate propter solam amantur vtilitatem. Quare licet restrictiones istæ purè mentales appareant vtiles ad salutem, vel honorem, aut rem familiarem tuendam, vel ad aliquem virtutis actum, non ideo licet nobis vti eis: & multo minus eas iuramento confirmare. Quia finis ille per aliam synceriorem viã, & sine illa calliditate, quæ semper est odiosa: iuxta illud Ecclesiastici, cap. 37. v. 23. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est*: obtineri commode potest.

862 Et profecto, quando finis non est studiosus, virtuosus, ac honestus, sed potius otiosus, aut superfluus: vt sæpè con-

tin-

Digitized by Google

tingit in iocis, ac recreationibus minime neceſſarijs: nihil proderit, quod quis ad hunc finem obtinendum exiſtimet, reſtrictionem purè mentalem ſibi eſſe neceſſariam. Quia ipſe culpa ſua in talem connijcit neceſsitatem, & præſtat ab ea intentione ſuperſedere, quam illam obtinere per hoc mediũ, ex ſe odioſum, aut odibile. Si autem finis ſit otioſus, & alia ſuppetant media, quæ ſint minus callida, & aſtuta, magiſque ſyncera: huius electio præ alijs merè voluntaria erit, & conſequenter illicita, & turpis, eritque obnoxia eiſdem incommodis, quibus aliæ eiuſdem generis. Vnde, vt reſtrictio purè mentalis, vel occulta ſit licita, opus eſt, vt minimum, quod ſit neceſſaria, aut certè longè vtilior ad defenſionem honoris, ſalutis corporalis, rei familiaris, vel ſimilium bonorum, non quamcumque; ſed aliunde iuſtam, & inculpatæ tutelæ regulis commenſuratam. Ex quo etiam iuſtiſsimè damnata manet propoſitio. Quia in hoc, vt iacet, & vt inexplicata, plurimum peccat. Quia loquitur abſolutè de defenſione honoris, ſalutis corporalis, & rei familiaris, quin diſtinguat defenſionem iuſtam, & debitam ab iniuſta, & indebita defenſione, & vexatione, & omnes confundit. Cum tamen alia longè ſit ratio de vexatione iuſta, ac iniuſta.

865 Tertio iuſtiſsimè etiam damnata eſt propoſitio 27. Quia ipſa, vt iacet, neutiquã diſtinguit inter fines parvi, aut maioris momenti. Et intellecta in generalitate, quam eius verba præſeferunt, aperit viam, vt quilibet exiſtimet, ſibi licere vti reſtrictionibus purè mentalibus etiam iuramento firmatis ad excuſandam quamlibet etiam levem reprehenſionem, pœnam, aut erubeſcentiam; imò & ad evitandam tenuiſsimam iacturam ſalutis corporalis, honoris, famæ, rei familiaris: inſuper & ad augenda hæc bona, & ad capiendum lucrum aliàs iuſtum, licet tenuiſsimum per huiuſmodi media. Talis enim reſtrictio conducès, & neceſſaria videri poſſet alicui ad eiuſmodi fines, ſicut & mendacium. Sola autem vtilitas ſeiuncta à neceſsitate, imò nec quælibet neceſsitas, iuſta cauſa cenſeri debet pro explodendis levibus incommodis, vel pro acquirendis parvis commodis. Sed ſemper eiuſmodi cauſa debet eſſe admodum gravis, & præponderans bono retentæ ſimplicitatis, ac candoris: inſtitutionis ſignorum, & convictui humano, debito ex præcepto affirmativo præſervandi proximum ab errore, aut ex negativo eum non decipiendi, prout di-

Digitized by Google

distincto à præcepto non mentiendi. Et eiusmodi restrictionibus purè mentalibus, præsertim iuramento confirmatis ex quocumque fine exercitis virtus veracitatis, & Religionis semper offenditur, & illa falsitas, vel fallacia, quæ ibi intervenit, saltim reductivè erit mendacium, aut periurium. Et incommoda tenuia, & levia nunquam præponderant bono simplicitatis, neque sufficiunt ad vtendum verbis reali æquivocatione æquivocis ex num. 760. & consequenter, nec ad vtendum (licite) restrictionibus non purè mentalibus, vt notat Torrecilla num. 245: Sed semper requiritur causa admodum gravis, & iusta. In quo omnes conveniunt, ipso rationis naturalis lumine ducti. Et maior necessitas requiritur ad restrictiones non purè mentales, quam ad locutiones ex hominum impositione æquivocas: & maior denique ad restrictiones purè mentales. Quia maius periculum alios seducendi latet in his, & maior etiam mali species, quam in restrictionibus non purè mentalibus. Sicut etiam in his maius est periculum fallendi proximum, maiorque mali species, quam in vocibus realiter æquivocis. Idque circò plus caveri debent, vel cum solæ sunt, ordine prædicto, & longè amplius, cum credibiliores fiunt adiectione iuramenti. Vtendum est eis cum illa moderatione, cum qua prudens medicus vti debet pharmaco amaro, amariori, & amarissimo ad sanandum ægrotum. Si enim pharmacum, vel medicamentum minus amarum, & dolorosum sufficit, non debet applicare amarius: nec amarissimum, nisi quando per aliud nequit ægrotus sanari. Triplex medium, seu pharmacum assignavimus à num. 826. ad occultandã veritatem, quam propalare non tenemur. Vtere illo cum prædicta moderatione, & cum vera necessitate, sicut pharmaco vti soles. Ideo Thomas Sanchez dicto lib. 3. cap. 6. num. 17. advertit prudentissime: quod nec in iudicio, quando quis non legitime interrogatur, fas est his amphibologijs, seu restrictionibus purè mentalibus, vti absque necessitate. Quando scilicet, facile, & absque criminis suspicione, interrogatus posset se alia via tueri. Vt non respondendo, vel appellando ab iniqua interrogatione: ex n. 861.

(*?*)

****
*****

Digitized by Google

§. XII.

Exponitur propositio 28. ab Innocentio XI. damnata, & proscripta.

864 IPsa est tenoris sequentis: Qui mediante cõmendatione, vel munere ad Magisterium, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare iuramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum. Quæ propositio connexa videtur cum duabus præcedentibus 26. & 27. Imò Lumbier num. 1856. Torrecilla num. 285. & Martinus Brezmez Diez de Prado, seu Carmelita Discalceatus in Theatro Moral. prop. 28. dicunt, propositionem istam esse sequelam, & quasi exemplum quarum præcedentium, & in eodem sensu intelligendam esse. Et totam causam condemnandi eam tanquam scandalosam, & in praxi perniciosam, ad hoc vnicũ revocant caput, quod ipsa admiserit restrictiones purè mentales, cum istæ in vniversũ sint propscriptæ, damnatæ, & fulguritæ, & declaratæ tanquam mendacia, & si iuramento firmentur, tanquã periuria. Ita quidem dicunt: sed non rectè: vt optimè notavit R. P. Didacus de la Fuente Hurt. dissert. 18. n. 27. Quia si hoc ita esset, adhuc quando reus contra iuris ordinem interrogatur, forent illicitæ, sicut & mendacium semper est illicitũ. Quod nequit dici. Quãdo enim reus contra iuris ordinem interrogatur & vexationem suam evitare non potest nec per verba æquivoca, nec per restrictiones sensibiles: restrictione purè mentali, vt medio licito vti potest. Vera ergo, & germana ratio, ob quam propositio ista damnata est, tanquam scandalosa, pernicioſa in praxi, & est talis, non est, quod restrictiones pure mentales ex iusta causa aliquando admiserit. Ad hæc. Vt sæpè dictum est, opinio nostra asserens, licitum esse ex iusta causa vsum restrictionum purè mentalium, & opinio negans, esse licitum talem vsum, quoad praxim non differunt inter se. Vide supr. num. 848. Et vtraque opinio permittit in praxi, quod eisdem verbis affirmativis, vel negativis, & eodem modo respondendi vtamur. Quare Azor, & Pisani, qui negativam apertissime tenent sententiam, & restrictiones vniversim negare videntur, dum ex aliqua externa circunstantia loci, temporis, & officij, &c. deprehendi non

Digitized by Google

non potest, quonam sensu quis loquatur: ex communi Theologorum sententia pronũtiant, quemcumque reum contra iuris ordinem interrogatũ de aliquo delicto revera per ipsum patrato, licite posse simpliciter absolute respondere *Non feci*, & nihil aliud adijcere orationi externæ.

865 Ratio est. Quam quã enim iudex, vel quilibet alius contra iuris ordinẽ, iniuste, imprudẽter, & irrationabiliter interrogans ignoret, an respondens adijciat restrictionẽ intra mentem suam, sicut oportet ad non mentiendum: & eiusmodi restrictio sit occulta imò occultissima eidem interroganti quoad exercitium: cæterum ipse interrogans non ignorat ex circunstantijs hic, & nunc occurrentibus, interrogatũ licite adhiberere posse talẽ restrictionem, & ei sufficere, quod subaudiat illud, quod viri docti, & timorati norunt congrue subaudiri posse citra labem mendacij, aut periurij. Quandoquidẽ ipse iudex (& quilibet alius) scit, se contra iuris ordinẽ, iniuste, & inique cogere ad respondendum iuxta mentem suam. Et sibi imputare debet quod præcepto prorsus invalido ad responsionem constringat reum, vel interrogatum. Vnde reus ita respondens nullatenus tenetur ad restitutionem accusatoribus, vel iudici, si propterea aliquam contraxerint infamiam. Quia reus non egit iniuste: cum suum prosequutus fuerit ius ex iusta causa. Est expressissima doctrina D. Thomæ (cuius verba referemus n. 867.) & M. Bañez 2. 2. q. 69. art. 2. in 3. p. art. ad hæc verba: Probabilissima sententia est, quod reus interrogatus contra ordinẽ iuris potest respondere sine mendacio, & sine periurio: Non feci: Non occidi. Hanc sententiã tenet expressè Adrianus in 4. in quæst. de sigillo cõfessionis, & putat, esse communẽ, & fortasis illo tẽpore erat. Videtur etiã, esse sententiã Cajetani. Hæc Bañez. Et Ledesma in summ. p. 2. tract. 8. de iustit. commut. cap. 24. dub. 2. concl. 4. & 5. inquit, esse communẽ Thomistarũ: & illustris. Tapia in catena Morali, p. 1. lib. 5. q. 12. art. 3. n. 2. addit, esse communiorẽ, & in praxi moraliter certam. Insuper & Laurentius Maria Pisani in præsenti n. 1. vers. *Sed contra*. Ex quibus omnibus constat, & quidem clarissime, Lumberium, Torrecillã, & Carmelitam Discalceatũ immerito revocasse totalẽ causam damnationis propositionis 28. imò, & 26. & 27. ad solas restrictiones purè mentales: quas ex iusta causa ipsi reducunt ad praxim, citra labem mendacij, aut periurij.

Digitized by Google

Quid ? Præceptor Angelicus, & veteres Theologi eaſdem reduxerunt ad praxim: quando oportuit: & quod caput eſt: Chriſtus Dominus Scriptores ſacri, & SS. Patres, vt à num. 764. oſtenſum eſt. Quapropter ſuperſedere debuit prædictus Piſani ab illis exclamationibus, in quas num. 4. in præſenti contra Cardinalem de Lugo, Tamburinum, & alios (neſcio an cauſa ſuggillãdi eoſdem, & alios) prorrupit: *O ſæcula! ò mores! trepidarunt Sancti Patres ad mendacij aſpectum; integris linteis deglutire non erubeſcunt periuria moderni! ò Diuina lex, vbi obſeruantiam inuenies, ſi in his, quæ ſunt primæ tabulæ, & negatiua præcepta, tot reperiuntur effugia!* Superſedere (inquam) debuit. Quia graviſsimi Theologi Thomiſtæ, & peranticui eamdem noſtram tenuere ſententiam, & eamdem in praxi retinent Recentiores, & ipſe Piſani.

866 Sed redeat iam oratio ad id, vnde digreſſa eſt. Dicimus ergo, propoſitionem 28. iuſtiſsime eſſe damnatam, vt iacet, vt minimum ſcandaloſam, & in praxi perniciosam. Addimus cum R. P. Didaco de la Fuente Hurtado diſſert. 18. num. 3. eam indiſtincte, generatim, & inexplicite traditam eſſe pluſquam ſcandaloſam, & valde perniciosam: Quia indefinite tradit, eos, qui munere, ſubordinatione, aut commendatione promoti ſunt ad Magiſtratum, Canonicatum, Beneficium, Cathedram, togam, publicum officium, &c. vbi ſimilia vigent ſtatuta, & iuramenta exiguntur, non teneri ad reſpondendum, habito reſpectu ad mentem exigentis; ſed reſtrictione purè mentali, vel non purè mentali, ſuum crimen, vel defectum poſſe occultare. Ex quo quilibet intelliget, poſſe etiam ſic licite ſuum occultare delictum, licet iudex, vel ſuperior legitime interroget, & præceſſerit infamia ſubornationis, vel favoris, vt ſemiplena probatio, ſive indicia, quæ æquivaleant ſemiplenæ probationi. Et eſto promovendus, vel promotus ſit omnino inhabilis, & indignus. Inde etiam quivis intelliget, nullum dari caſum, in quo reus teneatur ſuum crimen candide fateri, eſto legitime interrogetur à Iudice. Quod nullus ſyncerus, & verus Catholicus hactenus expreſsè affirmare auſus eſt. Inſuper quivis inde intelliget, ſe nunquam teneri ad præceptum ſuperioris ſyncere, & palam manifeſtare occulta delicta: neque ſuperiorem legitime, & iuridice inquirere poſſe de occultis impedimentis in favorem ani-

Digitized by Google

animæ, vel publici boni v.g. de occultis delictis ad ordines, matrimonium, beneficiaque inhabilitantibus. Quo quid pernicioſius? In hac percelebri Vniverſitate Salmanticenſi, & in alijs, in quibus olim Scholaſtici gaudebant iure ſuffragandi in Cathedrarum collatione: ſpeciali ſtatuto erant inhabiles ad obtinendas Cathedras, qui eoſdem Scholaſticos muneribus corrumpebant: & Scholaſtici ipſi muneribus corrupti, vel ſubornati, iure ſuffragandi erant privati. Qui ad togam perinſignis Collegij Sancti Ildephonſi Academiæ Cõplutenſis per litteras commendatitias ad aliquem ex electoribus datas admittitur, pro illa vice inhabilis efficitur ex ſpeciali ſtatuto: vt inquit P. Vazquez 1. 2. tom. 2. diſput. 168. à n. 51. Licet Monteſinos tom. 2. in 1. 2. diſput. 24. quæſt. 2. à num. 29. aſſerat, id non eſſe in vſu.

867 Attendendum igitur eſt ad interrogationem, & ſedulo conſiderandum, an legitime, & iuridice poſtuletur iuramentum? Si enim iuridice poſtuletur: promotus, vel promovendus, nec per reſtrictionem purè mentalem, nec per ſenſibilem, nec per reſponſionem reali æquivocatione æquivocam occultare poterit licite veritatem. Quia nullam habet cauſam iuſtam ad non obediẽdum præcepto legitimi ſuperioris, claram, & ſynceram reſponſionem menti ſuæ conformem exigentis. Et qui contrarium fecerit, contra ſtatutũ peccabit, inſuper & peierabit: vt optimè notat Leſius lib. 2. de iuſtit. cap. 42. n. 48. Si autem promotus, aut promovendus cauſam habuerit iuſtam ad occultandum delictum, vel defectum ſuum: ſi iuridicè nõ fuerit interrogatus: veritatem licite occultare poterit per locutionem æquivocam, aut reſtrictionem non purè mentalem: vel per purè mentalem, ſi aliter nequeat diſſimulare veritatem: iuxta ſuperius dicta. Itaque vel adeſt, vel non adeſt iuſta, & rationabilis cauſa occultandi veritam? Si non adeſt: valde ſcandaloſum, & diſſonum ſimplicitati Chriſtianæ eſt, dicere, in caſu propoſitionis 28. & in alijs ſimilibus, ſubditum iuridice, & legitime interrogatum, abſque mẽdacij, & periurij macula reſpondere poſſe: *Non habito reſpectu ad mentem exigentis iuramentum*; Quia hoc perinde eſt, dicere abſolute, & ſine vlla exceptione: neminem vnquam de occulto delicto iuridice interrogari: quemlibet, licet iuridice interrogatum, poſſe licite occultare veritatem, quam ſyncere, palam, & candide ma-

nifestare sub iuramento promiserat: sive eam occultet taciturnitate, sive restrictione purè mentali, sive quavis alia tergiversatione. Ideo quamvis restrictio verbalis occulta, qua quis submisse,& imperceptibiliter profert additum, quo cõpletur veritas eorum, quæ audiuntur, non sit in genere saltem expresse damnata:& Carmelita Discalceatus supra propos. 26. num. 21. doceat, hoc absque vllo scrupulo esse tenẽdum: nihilominus in præsenti casu damnata censeri debet,& eius vsus prohibitus ex n. 760. Quia sic se gerens revera non obedit præcepto iusto legitimi superioris: ob bonum publicũ, & ne officia dentur indignis: relictis dignis: synceram, & perceptibilem confessionem exigentis. Nec respondet, habito respectu ad mentem eiusdem superioris: sed promissionem iuratam violat:& dissimulando veritatem, quam ingenue fateri promisit, & tenebatur:graviter peccat. Nec in hoc est vllum discrimen inter crimen occultum, & non occultum, seu publicum, si interrogatio est legitima, & iuridica: & statutum viget. Est expressa doctrina D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 1. *Ex debito tenetur accusatus iudici veritatem exponere, quam ob eo secundum formam exigit.* Si autem adsit causa iusta, & rationabilis occultandi veritatem: vel iniuste interrogetur de crimine, vel defectu occulto: quia statutum non est in vsu, vel quia interrogatio eiusmodi solum est formula quædam communis, & ordinaria: & vt aiunt Lumbier, & Torrecilla *De Tabl.* tunc stare debemus Præceptoris Angelici doctrinæ loc. citat. ad ad hæc verba:Si vero iudex exquirat, quod non potest secundum ordinem iuris, non tenetur ei accusatus respondere,sed potest, vel per appellationem, vel aliter licite subterfugere. Hæc D. Thom. cui subscribunt N Leand. part. 7. tract. 1. disput. 45. quæst. 30. & reliqui Theologi, imò & Canonistæ, & Iurisperiti. Quorum omniũ sententiam in Scholis, & in praxi à cunctis receptam,fuisse à Summo Pontifice damnatam, est incredibile. Illud Lumberij, & Torrecillæ *De Tabl.* displicet RR. P. M. Francisco de la Lastra in præsenti. Sed de his hactenus.

(*)

****
****
****

Digitized by Google

§. XIII.

Qualis debeat esse subintellectio, vel restrictio, vt sit licitus restrictionis mentalis vsus, explicatur.

868 QVidam ex his, qui nostram sequuntur sententiam, dummodo iusta suppetat causa, parū soliciti esse videntur, quæ subintellectio fiat. Dummodo propositio externa, & quod subintelligitur, apte cohæreant, & vt sic efficiant sensum verum, à loquente intentum, nihil præterea quærere videntur. Vide Theophylum Raynaudum, cuius verba retulimus num. 857. Thomas Sanchez lib. 3. in Decal. cap. 6. num. 15. ad tertium sic ait: Negandum est, os non consonare menti. Quippe mens non intendit dicere, quod verba exterius sonant, sed ea in sensu verè mente concepto proferre. Est tamen intelligenda hæc sententia (vt bene Suarez eo libro 3. cap. 10. num. 4.) dummodo restrictio concepta mente sit proportionata verbis, ita vt illis adiuncta verum, ac congruum sensum efficiat, quo apta responsio resultaret. Quare bene ait Vazquez 1. 2. q. 103. art. 4. disp. 82. cap. 4. n. 29. non æquivocationem huiusmodi, vsurpare verba in significatione alia. Vt si quis dicat, non comedi, volens significare, se non dormisse. Quia non est in cuiusvis arbitrio significationem vocibus imponere Hactenus Sanchez Quam doctrinam supra retulimus ex N. Leandro num. 829. Hanc eamdem doctrinam tradit Torrecilla num. 190. & 194. vbi asserit, restrictionem mentalem non debere esse disparatam, seu improportionatam; sed aptam, & proportionatam. Quia si est disparata, & improportionata, nullus homo prudens eam inferre, aut coniectare poterit ex circunstantijs extrinsecis. Addit, rem hanc esse clariorem, quam quæ egeat probatione.

869 Verumenimvero haud semel demonstratum esse videtur à num. 765. non oportere, quod restrictio verificans locutionem ex circunstantijs extrinsecis coniectari, aut deprehendi queat. Alias enim sæpè inutilis redderetur ad finem, cui deservire potest. Et sæpè tota causa loquendi, omnes circunstantiæ loci, temporis, personæ, &c. restringentes ipsas voces, hasque verificantes erunt occultissimæ, sicut & sensus ex num. 809. & alibi Thomas Sanchez dicto num. 15. expressè ait, quod quando quis per restrictionem purè mentalem ex iusta causa occultat veritatem, locutio illa composita ex addi-

Digitized by Google

to mentali, & ex voce externa significat quamdam veritatem disparatam, seu extraordinariã. Et ipsius verba: Tantum non diceret vnam veritatem determinatam, quam audientes concipiunt, ac verba illa ex se significant, sed aliam veritatem disparatam:::: Mendacium est, intendere; verbis negare eam ipsam veritatem, quam quis mente concipit. Id autem non fit in proposito casu: sed sola quædam disparata veritas alia significatur, saltem inadæquatè per illa verba, & si amphibologia sit extraordinaria. Eam enim esse ordinariam, vel extraordinariam, per accidens se habet ad mendacij rationem, quæ consistit in dicēdo aliquid contra mentem. Hęc ille. Quod confirmat, & probat testimonijs illis, quorũ meminimus à num. 763. Quam Thomæ Sanchez doctrinam sic intelligo. Restrictio mente concepta est apta, & proportionata ad faciendum congruum sensum à loquente intentum. Asti cum sit adeò occulta respectu audientis, vt hic, & nunc ab illo deprehendi nequeat ex aliqua extrinseca circunstantia: respectu eiusdem audientis est adeò extraordinaria, vt se habeat veluti disparata. In re, & coram Deo restrictio est proportionata. Quoad audientem videtur improportionata. Vide supr. num. 800. & §16. vbi retulimus verba S. Hilarij, Gregorij, & D. Thomæ. Quam doctrinam, vel inviti admittunt Torrecilla, & reliqui Recentiores, dum aiunt cum N. Leandro, Suarez, & Thoma Sanchez, pro idiotis, rudibus, & simplicibus sufficere restrictionem genericam illam, quam viri docti norunt, posse subintelligi, & non requiri, quod sit individua, aut specifica. Docti enim poterunt frui privilegio rudium, quia nõ debent esse deterioris conditionis: & ad instar idiotarum vti restrictionibus citra periculum mendacij. Et consequenter nemo debet esse nimis solicitus in hac parte. Cardenas in præsenti ait, quod interrogatus, an potio chocolatica sibi oblata sit bona? potest absolute respondere, quod sit bona, & optima, licet fuerit amarissima, & pessima: subintelligendo iuxta illud Genes. 1. v. 31. *Cuncta, quæ fecit Deus, sunt valde bona.* Vel ita: *Ad mortificandum gustum, & carnem est optima, & valde bona.* Vterque sensus est verus. Sed interroganti, & potionem offerenti valde occultus hic, & nunc: & longe alienus ab eo, in quo ille intelligit. Lumbier, & Torrecilla num. 113. & 199. salvant veritatem illius responsionis ratione circunstantiarũ, & vocabularij vrbanitatis, politicæ, &c. cuius vocabularij me-

mi-

Digitized by Google

minimus num 813. Vide etiam num. 836. 837. 842. & alibi. Quoad rem tamen, & quoad praxim omnes eisdem vtuntur verbis: & nemo proximum decipere vult: sed solum suo vti iure: & veritatem per medium licitū dissimulare. Verum hæc hactenus.

§. XIV.

Specificantur plures casus, in quibus licitum est occultare veritatem ex iusta causa per locutionem æquiuocam, & restrictionem necdum sensibilem, verumetiam purè mentalem: salua damnatione Pontificia.

870. MOlestè semper tuli, res quam grauissimas, perutiles, & perneccessarias ad rectè instituendos homines in suis operationibus, minus accurata diligentia expendi, quam earum amplitudo requirit. Id, quod absdubio accideret in ea, quæ est nunc in manibus: si prætermitteremus casus particulares, in quibus ex iusta, & idonea causa veritatem occultare licite valemus, & quandoque tenemur. Ex dictis ergo à num. 763. & 826: vno è tribus modis, vel medijs veritatem ex iusta causa dissimulare valemus, permittendo, interrogantem, vel audientem falli, & decipi: casus specificabimus ex N. Leandro, Thoma Sanchez, & Torrecilla, qui quoad praxim inter se non differunt; sed potius consentiunt, & Torrecilla num. 186. peringenuè fatetur, se ex Thoma Sanchez lib. 3. cap. 6. à num. 23. vsque ad num. 42. & alijs supra citatis (de quorum numero est N. Leander, & cuius ipse meminit n. 99.) desumpsisse viginti tria exempla, mox referenda: licet post Pontificiam damnationem scripserit. Imo ipsissima argumenta, quæ Thomas Sanchez contra suam doctrinam obiecit, & soluit: quæque nos supra retulimus à num. 782. vsque ad num. 825. & pro nostra virili diluimus, Torrecilla ipse affert, & diluit à num. 221. Et licet semper insistat in eo, quod Summus Pontifex damnauit, declaraueritque tanquam mendacia, vel periuria omnes, & singulas restrictiones purè mentales, & iuramento confirmatas, ex iusta causa exercitas: irrito tamen conatu. Supponit quidem id, sed nō probat ex num. 840. Præterquamquod in hoc sibi manifestè contradicit. Producemus, ergo in medium specimina, exempla, & casus, in quibus licitum est vti ex iusta causa restrictione pure mentali, etiam iurata, si per restrictionem sensibilem, aut æquivo-

Digitized by Google

vocam locutionem, aut aliam viam veritas, quæ hic, & nunc occultari debet, occultari non valet. N. Leandrum, Thomam Sanchez, & Torrecillam locis citatis referemus.

871 Veniens è loco, qui falsò putetur pestè infectus, & interrogatus, an ex tali loco veniat, potest cum iuramento respondere; se ex eo non venire, addendo tacitè, vel mente, hodie, vel vbi sit pestis, &c. Quia verè iurat attendendo ad præcipuam intentionem custodum interrogantiũ N. Leand. q 13, Sanch. num. 35. Torrec. num. 129. Veniens tamẽ è loco verè pestilenti rogatus à custodibus vrbis, veritatem, etiam si sit Clericus, vel Religiosus iurare tenetur. Quia iuramentum non postulatur absolutè, sed ex suppositione, quod vrbem ingredi velit.

872 Religiosus, vel Clericus, aut quilibet à gabellis probabiliter exemptus, si interrogetur, an portet talem rem, potest iurare, se non portare, intelligendo, ita vt gabellã debeat. N. Leandr. q. 15. Sanch. num. 32. Torrec. n. 127.

873 Habens iustam, vel probabilem causam occultandi fisco, vel creditoribus aliqua bona, potest vi restrictione mentali, iurando, se non occultasse. N. Leandr. quæst. 16. Sãchez num. 31, Torrecil. n. 149. Idem possunt iurare id scientes, dummodo ipsis constet, licitè eum abscondere. Ijdem Auctores.

874 Debitor pauper propter paupertatem excusatus à debito tunc solvendo, & pressus à creditore, vt statim *solvat*, à iudice interrogatus iurare potest, pecunias non accepisse. N. Leandr. 17. Sanch. num 32. Torrecill. num. 130. Quia verè respondet ad debitam iudicis mentem.

875 Qui nummos mutuo acceptos solvit, potest in iudicio negare, se illos accepisse. N. Leand. quæst. 18. Sanch. 32. Torrec. num. 126. Quia solum interrogatur de mutuo, quod debet.

876 Interrogatus, an debeat centum ex mutuo, cum verè solum debeat quinquaginta, potest iurare, se non accepisse mutuo centum. N Leand. quæst. 19. Sanch num. 32. Torrecill. num. 151. Idem dicito de illo, qui interrogatur, an debeat centum, cum solum debeat quinquaginta, vel defundo, an sit suus, cum tamen sola pars sit sua. N. Leand. quæst. 20. Sanch. num. 33. Torrecill. num 152.

877 Creditor exigens debitum virtute instrumenti, cuius pars est soluta, iurare potest, totam summam deberi, si alio titulo debeatur tota, & alia

Digitized by Google

alia via recuperari non possit. N. Leand. quæst. 21. Sanch. num. 36. Torrecill. num. 122. Vbi addit, creditorem carentem scriptura, & testibus, quibus probare, & exigere possit debitum, nec potentem per aliam viam exigere, vti posse alia scriptura, cuius debitum solutum est: dummodo nulli præiudicium resultet.

878 Petenti mutuum potest, qui rogatur iurare non habere pecunias, si mutuare non tenetur: intelligendo, vt mutuo det. N. Leand. quæst. 22. Sanch. num. 43. Torre 146. Qui sensus verus est: si adsit iusta causa non mutuandi. Vt quia iurans indiget illis pecunijs ad alium vsum, aut credit fore, vt accipiens sit tardus, & difficilis in solvendo, aut ignorat, qualiter se habiturus sit circa solutionem, &c. Quia iuxta petentis intentionem respondet, quæ est, an habeat pecunias, quas commode mutuo dare possit. Hæc Sanch. num. 43. N. Leander, & Torrecilla.

879 Scholasticus interrogatus à iudice, an fuerit cum oppositoribus ad Cathedram locutus, vel ingressus illorum domum, potest respondere quod non. Quia non fecit sub ornationis causa. N. Leand. quæst. 4. Sanchez num. 31. Torrecill num. 130. Quia hæc debet esse mens interrogantis.

880 Adultera potest cum iuramento negare marito adulterium cum restrictione, vt dicam, vel de alio die intelligēdo. N. Leand. quæst. 25. Sanch. n. 41. Torecill. n. 143.

881 Qui cogitur iurare, se aliquam ducturum in sponsam, potest apponere restrionem: si debuero. N. Leand. q. 26 Sanch. num. 39. & 40. casum istum in terminis non reperi apud Torrecillam: ei tamen affinem reperies in eodē num. 124. vbi asserit, Petrum, qui promisit, vel contraxit matrimonium, sine intentione promittendi, aut contrahendi, interrogatum à iudice: posse sub iuramento negare absolutè, & simpliter. Quia potest legitimum sensum habere: nimirum: *Non promisi promissione, quæ me obliget.* Et refert Eximium Doctorem Suarez.

882 Mercatores, & emptores possunt cum æquivocatione iurare tanti emisse, quando aliter iustum pretium obtinere non possunt. N Leand. q. 27. & 28. Lessius lib. 2. de iustit. cap. 42. num. 47. Torrecill n. 147. & 215.

883 Furtum cum æquivocatione negare potest, qui illud in recompensationem accepit N. Leand quæst. 29. Sanchez num. 32. Torrecill n. 172. 173. 174. & 175. Quia causam habet iustam iurandi cum tali

Digitized by Google

tali æquivocatione, cum verum sit nihil debere. Et idem dicendum de illo, qui nummos mutuo accepit, quos postea solvit, si ab eo iterum postulentur in iudicio, in quo probare non potest, se illos solvisse: interrogatus à iudice potest absolute negare, se illos mutuo accepisse: subintelligendo *ad illos iterum solvendos.*

884 Rogatus de delicto, quod ex opinione probabili nō tenetur manifestare, potest iure iurando negare, subintelligendo, in carcere, vel ad dicendū, &c. N Leand. quæst. 30. Sanch. num. 23. 24. & 25. Torrecill. num. 155. 156. & 157. Quare reus, testis, vel complex illegitime, & contra iuris ordinem interrogatus potest respondere, & iurare, se non fecisse, vidisse, audivisse, sciviſse, &c. tali hora, vel anno, vel vt tibi dicam. Et idem dicendum in casu, in quo aliquod grave nocumentū ex manifestatione proveniat.

885 Qui detexit socios criminum, cum non deberet, potest, & debet dicere se mentitum fuisse, & iuramento amphibologico se retractare, si speret, sic se reparaturum damnum. N. Leand. q. 31. Sanch. Et qui iurant, subintelligent, se mentitos fuisse mendacio practico, quale dicitur quodcumque opus rationi dissonum. Similiter qui verum crimen iniuste detexit, potest, imò tenetur dicere, se mentitum fuisse, vel alia æquivocatione vtēdo, dictū retractare. N. Leand. & Sanch. loc. citat. Casum istū expresse non reperio apud Torrecillam, sed colligitur ex eius principijs, regulis, corollarijs, & exemplis.

886 Temerè interrogatus, an sit confessus hoc peccatum, potest cum restrictione negare: intelligendo, vt teneatur explicare. N. Leand. quæst. 32. Sanch. num. 44. Torrecill. num. 143.

887 Confessarius interrogatus ab iniquo iudice sub iuramento, an tale peccatum in confessione audierit: potest iurare se illud nescire: non vidisse, non audisse etiam in confessione. N. Leand. quæst. 32. Sanch. num. 44. Torrecill. n. 140. 180. & alibi. Quia non tenetur respondere ad formalem interrogantis mentem, & ad eam, quam de facto habet, sed ad eam, quam habere debebat iuxta rectam rationem ex dictis n. 746. & alibi.

888 Interrogatus de transitu delinquentis, potest negare transisse hac, intelligendo per locum, quem pede, aut manu tangit, imitando S. Franciscum. N. Leand. quæst. 33. Sanchez num. 42. Torrecil. n. 99. 120. & alibi.

Digitized by Google Re-

889 Religiosus, cuius professio fuit invalida, & nunquam ratificata, potest, elapso quinquenio, iurare, se non reclamasse per ignorantiam. N. Leand. q. 34.

890 Qui occidit aliquem, ob sui defensionem, potest iurare, se nō occidisse. N. Leand. quæst. 35. Sanchez num. 29. & 30. Torrecil. num. 153. qui addit, idem dicendum esse de illo, qui occidit hominem, invincibiliter existimans, esse feram. Quia quando à iudice interrogatur, interrogatur de homicidio criminoso, & culpabili, & ita verè respondet ad debitam iudicis mentem.

891 Rogatus iuridice de aliqua circunstantia vera, & indicio alicuius delicti à se non commissi, potest eam negare, intelligendo intra se, quatenus est indicium illius delicti. V. g. si reperto cadavere, quis interrogetur, an gladius ibi repertus sit suus, vel tali hora transierit. Quia ad veram iudicis mentem verè respondet. Noster Leander quæst. 30. Sanch. n. 30. Torrecil. n. 154.

892 Quando taxa alicuius rei est iniusta, pluris vendens, aut defraudans in mensura, ita vt satisfaciat pro pretij iniustitia, & reddat merces correspondentes pretio dato, rogatus à iudice, an pluris vendiderit, vel defecerit in pondere, aut mensura, potest id negare. Quia absque delicto id fecit. Ad quod sufficit, opinionem esse probabilem, eam taxam non obligare. N. Leand. quæst. 30. Sanchez num. 29. Torrecil. num. 172. Quoties enim factum exterius contra legem excusatur à culpa, præsertim mortali, ratione alicuius circunstantiæ, potest rogatus iuridice de illo facto, id negare intelligendo de facto criminoso. Et intentio iudicis interrogantis semper præsumitur, quod sit recta, & iuxta regulas iuris.

893 Testis non iuridicè interrogatus, potest iurare, se nescire, non meminisse, non audisse, non vidisse, &c. intelligendo intra mentem, ita vt tenear dicere. N. Leand. q. 30. Sanch. num. 25. Torrecilla n. 155. Quia cum iudex, non vt tyrannus, sed vt persona publica roget, de ijs solum, quæ eius iudicio subsunt, censetur interrogare, attentis circunstantijs personæ interrogantis, & iudicij. Ac proinde responsio simpliciter facta est vera iuxta debitam interrogantis mentem.

894 Licet testis iuridice interrogetur, si ob aliquam causam non tenetur testimonium ferre, vt quia notabile damnum ipsi sequetur: potest vti æquivocatione. Noster Leāder

Digitized by Google

q.

q. 30. & alibi, Sanchez n. 24. Torrec. num. 166.

895 Rogatus in familiari colloquio de re, quam occultare expedit, potest negare se scire intelligendo ita, vt expediat dicere. N. Leand. Sanchez num. 25. Torrecilla num. 199.

896 Reus non legitime interrogatus potest respondere, se non fecisse, intelligendo, vt tibi dicam: vel aliam diem, vel alium, qui eo nomine appelletur, vel antequam nasceretur. N. Leander q. 30. Sanchez n. 29. Torrecil. num. 155. propter dicta num. 893. licet etiam quando interrogans non est legitimus iudex interrogati, aut quando eius iurisdictio est suspensa per excommunicationē, aut appellationem, aut reus extractus est ab Ecclesia. N. Leander q. 30. Sanchez num. 27. Torrec. n. 156. & 157.

897 Si iudex non exhibeat reo processum, & testium testimonia eidem non legat, vnde constet, delictū esse probatum, potest reus negare. Torrec. n. 158.

898 Quando delictum est secretum, vel occultum, potest reus respondere amphibologicè. Quia reus non tenetur manifestare delictum suum occultum, esto sub pœna excommunicationis per formale præceptum, & sub obedientia, & iuramēto iudex præcipiat. Quia iuridice non interrogatur. Torrecilla num. 159.

899 Licet delictum non sit occultum, quia nimirū præcessit semiplena probatio, vel infamia: & reus legitime, & à legitimo iudice interrogatur; si tamen reus timeat pœnam capitalem, vel aliam ex grauioribus, qualis est pœna triremium, carceris perpetui, mutilationis, confiscationis omnimodæ, vel aliam magni, & notabilis dedecoris: & prudenter sperat, se liberandum à pœna eiusmodi: potest negare delictum. Torrecilla à num. 160. Didacus de la Fuente Hurtado differt. 18. à num. 43. vbi plures, & grauissimos refert Theologos. Quia nulli iudici est facultas concessa obligandi in conscientia reos in hoc casu ad candidam, & apertam delicti confessionem. Quia talis facultas potius foret in destructionem, quam in ædificationem. Et ad nihil aliud deseruire posset, quam ad implicandas conscientias laqueis inextricabilibus, & humanæ conditioni impervijs. Vix enim reperietur vnus è millibus malefactoribus, qui cum alias non esset occidendus, aut aliam gravem pœnam subiturus, cōtra se vellet testificari, & ex solo peccati metu se certæ morti obijcere. Et causa evitandæ mor-

Digitized by Google

mortis quam plurima permittuntur, quæ alioqui forent illicita, & iuri alterius contraria sunt: v.g. ex alienis sustentari: occidere aggressorem vitæ iniustum cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et confirmatur totum hoc: Quia alias reus suo testimonio positive concurreret ad mortem, quam subiturus foret, sicut positivè concurrunt testes qui contra illum testificantur. Aliud est dicendum, quando agitur de effugienda pœna alia leviori, aut absolutè levi. Quia tunc tenetur veritatem candide manifestare iuxta dicta §. 12.

900 Si per iniuriam extorqueatur promissio iurata alicuius pecuniæ dandæ; licet iuranti vti verbis mentaliter restrictis, vel alia amphibologia, vel dicere *Vro*, sublata I. Sotus lib. 8. de iustit. quæst. 1. art. 7. in fin. Sanchez num. 37. Torrecilla num. 145.

901 Fœmina sciens, irritum esse matrimonium, potest iurare, se cohabitaturam cum viro, intelligendo, si liceat. Sanchez num. 40.

902 Iudices, Canonici, & quilibet alij rogati de actis in congregatione, an locuti sint, possunt negare, quando non de his, quæ secreto servari oportet, egerunt. Sanch. n. 34. Torrec. n. 168.

903 Confessarius, Consiliarius, Legatus, Inquisitor, Medicus, Chirurgus, & quilibet alius, qui ex aliqua lege naturali, Divina, vel humana tenetur servare secretum: potest occultare veritatem ex iusta causa: media æquivocatione reali, vel restrictione non purè mentali, aut etiam purè mentali, quando per aliam viã commode occultare nõ potest, etiam iurando: & esto interrogetur, & respondeat excludendo omnem æquivocationem, restrictionem, &c. & sufficit ei scire in genere, se posse absque mendacio veritatem occultare: eo modo, quo scit vir doctus, & timoratus. N. Leander quæst. 37. & 38. Sanchez num. 45. & 46. Torrecilla à num. 99. Alios plures casus specificare possem. Sed ex assignatis facile deducentur. Et alia nos vocant scitu digniſsima. Hæc est doctrina N. Leandri, Thomæ Sanchez, Torrecillæ, Lumberij, & aliorum Recentiorum à num. 731. relatorum, quoad praxim. Et redeo ad dilemma sæpè repetitum. Ergo vel doctrina N. Leandri, & Thomæ Sanchez, prout ab eis explicata non est damnata tanquam scandalosa, & pernicioſa in praxi: vel doctrina Torrecillæ, & aliorum Recentiorum pariter est damnata. Quia est ipſiſsima quoad praxim. Ergo vel vtraque, vel neutra est damnata. Non vtra-

que

Digitized by Google

que. Ergo neutra. Nihilominus tamen non eluditur Pontificia damnatio: vt supra demonstratum est. Satta tectaque manet ex dictis à num. 745. censura Pontificia. Eidem humillime parere, & obedire tenemur: quantumvis restrictiones purè mentales ex iusta causa aliquãdo licitas esse, teneamus.

904 Torrecilla num. 241. hanc sibi proponit obiectionẽ. Tot sunt verba ex se, aut ratione circunstantiarum extrinsecarum, vocabulariorum, aut legum æquivoca: medijs quibus restrictiones, quæ alias essent purè mentales, fiant externæ, & sensibiles: vt pene elusa, & frustrata remansisse videatur propositio 26. quandoquidem effectus, & damna ex eis sequenda sunt æque vniversalia, ac effectus, & damna ex restrictionibus purè mentalibus derivãda. Ergo, &c. Cui obiectioni triplicem adhibet solutionem. Prima est. Summus Pontifex damnavit propositionem 26. non tantum propter effectus, & damna, quæ ex restrictione sequebantur, quantum propter medium assumptum, quod est mendacium: & quod intrinsecè est malum. Cumque mendacium reperiatur in restrictione purè mentali, non autem in restrictione sensibili, & externa: sequitur restrictiones purè mentales ex nullo fine posse cohonestari, licet sensibiles cohonestari queant: & consequẽter damnationem restrictionũ purè mentalium elusam nõ remanere: licet restrictiones sensibiles non sint comprehensæ in damnatione. Hæc Torrecilla. Sed vnde probat, in omni restrictione purè mentali mendacium reperiri? Contrarium nos probavimus, imò (ni fallor) persuasimus, & demonstravimus à n. 764. manifestis Scripturæ sacræ testimonijs, quorum sensus ex nulla externa circunstantia humanitus poterat deprehendi. Torrecilla cum plura afferat, & solvat argumenta, quibus nostrum demonstratur assumptum, eorũm potissimum à ratione petitum, & à n. 780. stabilitum ne leviter quidem tetigit. Quod valde miror propter dicta n. 799. Vnde, vel vbi probavit Torrecilla, ex terminis vocalibus, & mentalibus nõ posse constrvi, & componi vnã orationem in se verissimam? Vide supra à num. 803. Secunda Torrecillæ responsio est, in restrictionibus purè mentalibus audiens non habet, vnde dedoceatur errorem, inquem lapsus est propter restrictionem; habet tamen in non purè mentalibus, vnde dedocetur. Tertia eiusdem responsio recidens in primam, & secundam est. Restrictio purè mentalis est scandalum activum; ipsa active de-

ci,

Digitized by Google

cipit. Restrictio non purè mentalis est scendalum purè passivum, & non decipit active. Sed omnes istę solutiones, vel disparitates manent pręoccupatæ ex dictis à n. 780. Quæ dicta sunt in tota ista q. 75 à n. 718. forsitam longius, quā instituta causa postulabat, dicta sunt; sed brevius certè quam res tantas posse à me dici, existimaram. Fateor, magna mihi orationis lōgitudo fuit; sed vtilitate resarcietur. Et levioris culpæ arbitratus fuit in explicanda tetrica, & salebrosa quæstione tam multa fusè, quàm nihil omnino, aut pauca dicere. Nec in rigore sermonis *Parergon* appellari potest, quod tractavimus. Scriptura enim sacra ex n. 718. intermista est verbis amphibologicis, æquivocis, & purè mētaliter restrictis. De Septuagessima ergo quinta quæstione hactenus.

QVÆSTIO LXXVI.

Vtrùm in Vulgata nostra Editione reperiantur antimoniæ, seu textus contradictorie oppositi?

905 REspondeo negative. Ita omnes SS. PP. Scholastici, & Interpretes. Quod patet ex dictis à num. 654. & à n. 696. Et probatur. Tota Scriptura sacra est verum Verbum Dei ex num. 9. Ergo si in illa reperiretur aliqua vera, & rigorosa, contradictio, seu antimonia, Deus sibimet ipsi contradiceret. Quod repugnat. Verum enim vero opponi non potest. Et tam impossibile est in vulgata nostra Editione Latina dari veram antimoniam, aut textus contradictorie oppositos, quam Deum fallere, aut falli. Ideo ait S. Epiphanius contra Audianos: *Nihil est discors in Diuina Scriptura, nec opposita dictio aduersus dictionem reperitur.* Magnus Parens Augustinus quatuor scripsit libros de consensu Evangelistarum, in quibus plures concordat textus, qui inter se in speciem pugnare videbantur. Et tom. 1. operū ipsius in tertio indice sect. 12. referuntur 366. loci Scripturæ sacræ, quorum quilibet alteri alicui contradicere videbatur. Si tamen introspiciantur, inter se optime cohærent. Solum apparenter opponuntur. Et sunt antimoniæ, seu antilogiæ apparentes: sicut à num. 655. de antimonijs chronologicis dictum est.

(?)

****
*****

Digitized by Google

QVÆSTIO LXXVII.

An pro corrigendo aliquo textu Vulgatæ nostræ Latinæ, vel pro ipsius intelligentia recurrendum sit ad textum Hebraicum, vel Græcum?

906 REspondeo negative ex communi Doctorum sententia. Vide Melchiorem Cano lib. 2. de loc. cap. 13. Antonium à Matre Dei, prælud. 2. à num. 106. & alios. Probatur primo. Si ad quem Hebraicum, vel Græcum textum ita nunc recurrendum foret, maximè ad illum, qui fuit originalis, vel fons, in quo Scriptura sacra originaliter concinebatur. Non ad istum. Ergo ad nullum. Probatur minor. Nullus nunc extat liber originalis ex Hebraicis, aut Græcis Codicibus. Sin aliter cedo aliquem. Ergo ad nullum Hebraicum, aut Græcum textum, qui fuit primus, & originalis, nunc recurrere valemus. Ergo.

907 Probatur secundò. Quia nec ad alios libros, aut codices, Hebraicis, aut Græcis typis excussos recurrere debemus, vt Vulgatam nostram Editionem Latinam corrigamus, aut eam intelligamus. Quod multis, & eloquentissime, vt de more habet, convincit Melchior Cano. Merito quippe dubitare possumus, imò prudenter debemus, an suis originalibus per omnia, & in omnibus sint conformes? An sint depravati? Ergo non est necessarium recurrere ad Hebraicum, aut Græcum textum pro corrigenda Editione Vulgata Latina: sed hæc retinenda est in omnibus, quæ ad fidem, & mores spectant. Et si quæ quæstio ad fidem, & mores spectans, inter Catholicos exoriatur, non per codices Hebreos, aut Græcos, sed per eamdem Latinam Editionem definienda est, & hæc absque vlla appellatione ab omnibus sequenda iuxta Concil. Trident.

QVÆSTIO LXXVIII.

Quæ sit vtilitas linguarum Hebraicæ, & Græcæ, si non sit necessarium recurrere ad fontes Hebræos, & Græcos?

908 REspondeo ex communi sententia, esse multiplicem. Prima vtilitas est, vt has linguas edocti, cum infidelibus disputare possimus, præsertim in Concilijs Generalibus. Secunda, vt eosdem infideles in fide instruamus. Tertia, vt

Digitized by Google

vt aliquas dictiones explicemus, quæ magnam vim, aut emphasim habent, aut aliquam innatã proprietatem in idiomate Hebreo, & Græco, quam Latinus nequit exprimere. Quarta ad cognoscenda idiomata, phrases, & proverbia linguarum Hebraicæ, & Græcæ. Insuper peritia linguarum Hebraicæ, & Græcæ vtilissima est, vt aliqui textus, qui vel apertius ab Interprete verti poterant, vel qui sine earumdem linguarum noticia difficile explicantur, plenius, & facilius exponantur. Insuper ad excusandos errores, qui ex amphibologijs Latini sermonis per accidens oriri poterant iuxta dicta num. 718. Denique ad percipienda quędam vocabula Hebraica, vel Græca, quæ in nostra Vulgata Editione Latina remanserunt, vel propter sanctiorem antiquitatis servandam authoritatem, vel quia in linguam alienam transferri commode non potuerunt.

909 En quam multiplex vtilitas reperitur in peritia linguarum Hebraicæ, & Græcæ, & etiam Syriacæ, & Chaldaicæ, licet Vulgata nostra Latina Editio non sit corrigenda per exemplaria Hebræa, aut Græca; sed potius ex adverso, ista per illam sine emendanda, & in suam puritatem reducenda! Ob has causas, atque vtilitates, & quia Hebræi accipiũt atque venerantur, vt Canonicam, Hebraicam Veteris Testamenti Scripturam, & Hæretici plerique Græcam Novi Testamenti, pro his impugnandis, & convincendis ex his, quæ ipsi vltro concedunt, in Concil. Vienensi sub Clemente V. decretum est, quod in Vniversitatibus Salmantina nostra omnium Celeberrima, Parisiensi, Oxoniensi, & Bononiensi erigerentur Cathedræ speciales pro edocendis linguis Hebraica, Græca, Chaldaica, & Arabica. Quod patet ex Clementina 1. titul. de Mag. Vide Cano lib. 2. de loc. cap. 15. Antonium à Matre Dei prælud. 1. n. 55. 57. 91. 95 & à num. 106.

QVÆSTIO LXXIX.

Qualis, quantaque sit auctoritas eorum trium, quæ ante Bibliorum nostrorum textum correctum inveniuntur?

910 VVlgatæ nostræ Editionis Latinæ correctæ textum in Biblijs tria præcedunt, præfatio videlicet ad Lectorem, Sacrosancti Concilij Tridentini decretum num. 182. relatum, & Clementis VIII. sanctio.

Digitized by Google

Præfationis auctoritas est inferior auctoritate decreti Tridentini. Quia huius auctoritas est tanta, quanta esse solet, & debet in Ecclesia Catholica cuiuslibet Concilij Generalis a Summo Pontifice approbati, illius autem præfationis auctoritas est alicuius particularis Doctoris, vel qualis mox explicabitur. Inferior etiam est, quam auctoritas Pontificiæ sanctionis. Quia forsitam habet pro auctore Emin. Card Bellarminum, & aliquos insignium Academiarum Theologos, qui iussu Clementis VIII. præfuerunt emendationi nostræ Vulgatæ Editionis Latinæ. Hinc ergo constat qualis, quantaque sit eorum trium auctoritas, & quod non sit æqualis. Vide Antonium à Matre Dei, prælud. 1. num. 197. & prælud. 2. num. 105.

QVÆSTIO LXXX.

Qualis, quantaque sit auctoritas eorum, quæ post nostram Vulgatam Latinam Editionem correctam in Biblijs ponuntur.

911 TRia sunt huius generis, oratio Manassæ Regis Iudæ, duo libri, qui sub libri tertij, & quarti Esdræ nomine circumferuntur, & D. Hieronymi Præfationes. Oratio Manassæ, & libri tertius, & quartus Esdræ extra seriem librorum Canonicorum, quos Sacrosanct. Tridentin. Concilium suscepit, & pro Canonicis suscipiendos decrevit, so positi sunt, ne prorsus interirent. Quia à nonnullis SS. PP. interdum citantur, & in quibusdam Biblijs Latinis, tam manuscriptis, quàm impressis reperiuntur, & iuxta dicta num. 241. inter libros Apochryphos anumerari possunt. Div. Hieronymi Præfationes habent auctoritatem tanto Doctori debitam.

QVÆSTIO VLTIMA.

De Biblijs Complutensibus, Regijs, & alijs quorumdam Tetraplis, Hexaplis, Octaplis, & Pentaplis?

912 BIblia Tetrapla dicuntur, in quorum singulis paginis quatuor distinctæ reperiuntur columnæ, & in singulis totidem quatuor versiones. Pentapla, in quibus quinque. Hexapla, in quibus sex. Octapla, in quibus octo. Decupla, in quibus decem ponuntur columnæ, & totidem versiones in singulis paginis. Emin. Cardinal. Ximenius à Cisneros, Com-

Digitized by Google

Complutensia Biblia imprimi curavit, vocatis viris in linguarum peritia doctissimis,& quæsitis vbique terrarum vetustissimis exemplaribus. Pentateuchus est Hexaplus. Quia continet suis columnis versiones, Hebraicam, Chaldaicam, & Græcam Septuaginta Interpretum. Agiographi verò, & Prophetici libri sunt Tetrapli. Quia duplici tantum lingua, Hebraica nimirum, & Græca cum duabus Latinis versionibus, quæ eis correspondent constant. Novum Testamentum reperitur cum textu Græco, & Latina Editione à Div. Hieronymo correcta. In fine Complutensium Bibliorum reperitur copiosum dictionarium nominum Hebraicorum, Græcorum, & Chaldaicorum.

913 Biblia Regia dicũtur, quæ edita sunt iussu Catholici Hispaniarum Regis Philippi Secundi, opera Benedicti Ariæ Montani Hispalensis, Theologi Doctissimi, & qui decem linguas sciebat. Vetus Testamentum in eis est Hexaplum. Quia in prima columna est Hebraica veritas, lingua, & litteris Hebraicis scripta. Cui correspondet Hieronymiana translatio. Ibidem est Græcus contextus Septuaginta Interpretũ cum versione Latina; & Paraphrasi Caldaica. Novum Testamentum in hac Regia Editione est Pentaplum. Quia Syriace, Græce, & Hebraice scriptum est, & Syriaco textui correspondet Latina interpretatio Guidonis Fabrici, Græco vero Hieronymiana. Biblia ista Regia continẽtur quinque tomis, quibus additus est apparatus sacrorum Bibliorum tribus tomis distributus. Et ita sunt Biblia ista Regia octo tomis distributa anno 1573.

914 Iustinianus Episcopus Neviensis edidit in lucem vtrumque Testamentum quinque linguis, Hebraica nimirum, Chaldaica, Græca, Latina, & Arabica. In singulis paginis octo distinxit columnas in quibus omnes prædictæ linguæ, proprijs characteribus expressæ, totidem lineis sibi correspondent, vnoque cernuntur intuitu. Prodierunt etiam Biblia Commeliana Tetrapla, Hebraice, Græce, & Latine conscripta, anno 1599. & denique in lucem edita sunt Biblia Latina Tetrapla Fortunati Fanensis anno 1609. De quibus omnibus fusius agit P. Fr. Antonius à Matre Dei Prælud. 2. à num. 112. & hæc sufficiant pro prima disputat.

(*)

****
****
****

Digitized by Google

DISPVTATIO SECVNDA.

De sensibus Sacræ Scripturæ.

915 BREVIORES erimus in Disputatione præsenti, quam in præcedenti.

QVÆSTIO I.

Quid sit Scripturæ sacræ sensus?

916 PRætermissa multiplici acceptione huius nominis *sensus* videda apud Fr. Antonium à Matre Dei Prælud. 3. num. 1. & 2. accipitur in præsentiarum pro veritate, vel sententia, quam indicant, & significant verba sacra. Quo prænonito. Resp. dicendum: quod sensus Scripturæ sacræ nihil aliud est, quã veritas, sive sententia, quam verba sacra, litteris conscripta, ex intentione Spiritus Sancti proximè & immediatè, vel mediatè & remotè significant. Ita communiter Sancti PP. Scholastici, & Interpretes. Circa quam definitionem duo breviter animadvertenda sunt. Primum est, quod per illa verba: *Ex intentione Spiritus Sancti*: solum intelligitur veritas, aut sententia illa, quam Spiritus Sãctus principalis ipsius Auctor significare intendit, non autem ea, quam Lectores ex Scripturæ sacræ verbis ad libitum eliciunt. Secundum est, quod particulæ illæ *Immediatè, & proximè*, vel *mediatè, & remotè*, quãdam specialem Scripturæ sacræ, præ cunctis alijs Scripturis, & locutionibus, denotant excellentiam. In ipsa enim nec dum voces ipsæ *proximè*, & *immediatè*, significant veritatem à Spiritu Sancto intentam (quod commune est omnibus Scripturis) sed insuper *mediatè*, & *remotè*: medijs nimirum rebus prius per voces significatis, ipsa Scriptura, aliquid aliud ex intentione Spiritus Sancti significat. Div. Thom. 1. p. q. 1 art. 10. quodlibet. 7. art. 16. Abulens. in Matth. cap. 13. quæst. 28. Salmeron Prolog. 7. pag. 90. Vazquez 1 part quæst. 1. art. 10. disput. 15. cap. 3.

(12)

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit sensus sacræ Scripturæ?

917 REsp. dicendum esse duplicem. Ita communiter SS. PP. Scholastici, & Interpretes. Primus sensus est litteralis, sive historicus. Secundus est spiritualis, aut mysticus. Vterque haud obscure significatur per illum librum qui Apocalyps. cap. 5. v. 1. intus, & foris scriptus, & septem sigillis signatus describitur.

QVÆSTIO III.

Quis sit litterarius sacræ Scripturæ sensus?

918 REsp. dicendum, litterarium, seu litteralem Scripturæ sacræ sensum esse illum, qui per voces, sive propriè, sive impropriè, & topicè in contextu sacro acceptas, significatur immediatè ex intentione Spiritus Sancti. Ita communiter SS. PP. Hieronymus epist. 150. ad Ediviam, quæst. 9. Augustinus lib. de vtilitate cred. cap. 3. Div. Thom. 1. part. quæst. 1. art. 10. quodlib. 7. quæst. 6. art. 14. & 15. Salmeron Prolog. 7. Abulens. plurib. in loc. & communiter Scholastici, & Interpretes, præsertim Bellarminus lib. & cap 3. Antonius à Matre Dei, Prælud. 5 num. 21. Ratio est; quia in omni sermone, & profanarum etiam Scripturarum oratione dicitur esse ille sensus, quem voces indicant, & significant, vel secundum primam impositionem proprie acceptam, vel secundum methaphoricam, & impropriam, seu topicam. De vtraque significatione, seu suppositione noster Emmanuel in suo Curso Philosoph. Trinit. tom. 1. n. 91.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm conveniens fuerit, quod sensus litteralis Scripturæ sacræ non semper fuerit proprius, & rigorosus, sed sæpè improprius, & metaphoricus?

919 REsp. affirmativè. Ita Div. Thom. 1. part. quæst. 1. art. 9. & in primo dist. 34. quæst. 3. art. 1. in corp. & communiter SS. PP. Scholast. & Interpret. Probatur primò. Metaphoræ sunt frequentes in sacra Scriptura communiterque deducuntur ex similitudinibus corporearum rerum, ex quibus similitudinibus est connaturale homini assurgere ad cognitionem rerum spiritualium. Imò homines rustici, & rudes, vix,

vix, ne vix quidem inviſibiles, & incorporeas res ſine his metaphoris percipere poſſunt. Conveniens igitur fuit, litteralem Scripturæ ſacræ ſenſum non ſemper fuiſſe proprium; ſed ſæpe improprium, figuratum, & metaphoricum.

920 Probatur 2. Quia aliquando non ſuppetunt Scripturæ ſacræ propria vocabula ad ſignificandas res, de quibus tractatur. Vel ſi ſuppetunt, & non deſunt propriæ voces, nihilominus quæda ſunt in ſacra Scriptura, quę decentius explicantur per figuras, & tropos, ſive metaphoras, quam explicarentur per vocabula propria. Quod in Scripturis prophanis etiam eſt frequentiſsimum. Ergo.

921 Probatur 3. Fidelium ingenia vtiliſsime exercentur in explicādis metaphoris, aliiſque figuris, & parabolis: eruendo ex illis ad ſui ædificationem plures ſpirituales ſenſus, aut ſignificationes. Et aliunde ineffabilia noſtræ fidei myſteria SS. Trinit. Incarnationis, Euchariſtiæ, &c. ſub his figuris, & ſimilitudinibus occultata non exponuntur infideliū irriſioni iuxta illud Matth. cap. 7. v. 6. *Nolite dare ſanctum canibus, &c.* Ergo.

922 Arguitur 1. Deum dedecere videtur, quod in Scripturis ſacris vtatur Rethorum figuris, metaphoris, floſculis, Poetarumque ornamentis, & ſimilitudinibus, quæ ſolum poſſunt deſervire vel delectationi, vel veritatis occultationi, vel fidelium deceptioni. Ergo non eſt conveniens dari in Scriptura ſacra improprium, ac metaphoricum ſenſum. Et ſolum eſt illic admittendus ſenſus proprius, & rigoroſus.

923 Reſp. cum Div. Auguſtino lib. contra mendacium cap. 10. lib. 3. de doctrina Chriſt. cap. 5. & ſequentib. & lib. de Civit. Dei cap. 14. dicendum, quod Poetæ, & Rethores Ethnici vſi ſunt floſculis, metaphoris, figuris, & ſimilitudinibus propter ſolam delectationem. Idque circo reprehenſione digni fuerunt. Aſt Deus vtitur in ſacra Scriptura eiſdem figuris, ſimilitudinibus, vel metaphoris propter plures vtilitates ſupra explicatas; imò ex neceſsitate, vt inquit Divus Thom. Quia teſte Dionyſio cap. 1. de Cœleſti Hierarch. *Impoſsibile eſt, nobis aliter lucere diuinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminū circumvelatum.* Quapropter non dedecet Deum, & Scripturæ ſacræ maieſtatem, & gravitatem vſus talium figurarum, & ſimilitudinum. Imò vſus huiuſmodi figurarum eſt neceſſarius, vt facilius percipiamus divinas, & ſalutares veritates, ad quem finē præcipue deſtinatur Scriptus

Digitized by Google

tura sacra: Veritatis occultatio etiam conducit ad nostram humiliationem, vtque ferventius postulemus à Deo veram Scripturæ sacræ intelligentiã, & ad infidelium confusionem. Nec metaphoræ sunt causa deceptionis, aut erroris ex n. 719, in simili de restrictionibus.

924 Arguitur 2. Absurdissimum videtur, quod res divinæ, spirituales, & altissimæ significentur similitudinibus, ac metaphoris rerum corporearũ etiam vilium, v.g. serpentis, lupi, leonis, agni, vitis, sinapis. Ergo non datur in Scriptura sacra sensus improprius, aut metaphoricus. Probatur antecedens. Si res divinæ ita significarentur metaphoris, aut similitudinibus, daretur occasio ad suspicandum, res spirituales esse corporeas, aut non multum distare à corporeis. Ergo.

925 Respondeo negando antecedens. Ad cuius probationem, nego etiam antecedens. Quod nullo modo probatur ab hæreticis Antropomorphitis, Abysinis, & Lutheranis, qui contendunt, vnicũ tantum sensum litteralem, & istum proprium in Scripturis sacris reperiri.

926 Sed replicabis. Per metaphoras intellectus noster intelligit res aliter, ac sunt in se. Ergo absurdum est, quod in sacra Scriptura detur sensus metaphoricus. Resp. distinguendo antecedens: intelligit res aliter, ac sunt in se, ex parte modi cognoscendi, concedo. Ex parte rei cognitæ, nego antecedens, & consequentiam. Quando Angelum cognoscimus per speciem iuvenis, illum aliter, ac est in se cognoscimus, quia per speciem iuvenis illum percipimus. Absque eo tamen, quod iudicemus, revera iuvenem esse Angelum, & quin imperfectus noster cognoscendi modus transeat ad rem cognitam. Idem ergo cõtingit in præsenti, quando per metaphoram, aut figuram corpoream rem aliquam incorpoream, aut spiritualem nobis Deus in Scripturis sacris proponit cognoscendam. Illa enim vox metaphorica immediatè primo, & proximè significat rem, ad quam significandam translata est: sed semper significat cum quoddam respectu ad eam rem, à qua transfertur, & à qua ducit similitudinem. Qua propter metaphoris omnibus inest aliqua similitudo, vel comparatio. Quod patet in illo Apocalyp. 5. *Vicit leo de tribu Iuda.* Et in illo Ioann. 15. *Ego sum Vitis vera, & Vos palmites.*

(?)

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO V.

Vtrùm omnis sensus metaphori cus improprie tantum sit litteralis?

927 REspondeo negative. Licet enim metaphoricum sensum appellavetimus impropriũ sensum; non ideo in se est improprius litteralis sensus, vel impropriè tantum participat rationem sensus litteralis, sive generis. Appellatur autem sensus improprius respectu vocis, quæ transfertur à propria significatione ad aliam non propriam. Vnde etiam loquutiones Scripturæ sacræ per figuras, & metaphoras factæ dicuntur figuratæ, & impropriæ, licet alias, & respectu sui sint loquutiones propriæ, & quomodocumque res se habeat, huiusmodi loquutiones ab omni mendacio, & errore sunt omnino immunes ex num. 827. insuper & ex dictis à num. 763.

QVÆSTIO VI.

Quoruplex sit sensus litteralis proprius?

928 REspondeo, sensum litteralem propriũ à quibusdam subdividi in Historicũ, Ætiologicum, & Analogicum. Historicus dicitur, qui simpliciter narrat, quid factum, vel dictum sit, v. g. Genes. 1. *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Ætiologicus, qui reddit rationem dicti, vel facti, v. g. Matth. 1. v. 21. dicitur: *Vocabis nomen eius Iesum*: reddendo rationẽ, dicendo: *Ipse enim saluum faciet populum suum.* Analogicus denique, qui significat vtriusque Testamenti convenientiã, v. g. Matth. 2. v. 17. Sanctorum Innocentium mors refertur, & convenientia cum dictis in Veteri Testamento statim ostenditur, cum dicitur: *Tunc adimpletum est, quod dictum est per Hieremiam.*

929 Hic notandum est, litterarium sensum frequenter vocari historicum. Non quia sensus litterarius in sola reperiatur historia, sed quia ipse sensus litterarius maximè elucescit in ipsa historia, & ita ab eadem historia nomen *Historia* ad totam transfertur Scripturam, & vniversa littera quandoque vocatur historia.

930 Hanc sensus litterarij proprij subdivisionem nõ videtur admittere Antonius à Matre Dei Prælud. 3. num. 13. vt specialem eiusdẽ sensus litteralis proprij. Eo quod inveniatur huiusmodi subdivisio in sensu litterali metaphorico. Quod probat ex Div. Thom. 1. p.

Digitized by Google

1 p. quæst. 1. art. 10. ad 2. Propter eamdem rationem non admitttit, vt specialem aliam subdiuisionem eiusdem sensus litralis proprij in Tropologicum, Allegoricum, & Anagogicum. Quia in istos etiam subdiuiditur sensus spiritualis, aut mysticus, vt infra dicemus.

931 Quapropter asserit ipse num. 33. sensum litteralem proprium melius subdividi posse in litteralem proprium sine aliqua figura, & in litteralem proprium cum tali figura. Deinde a num. 34. agit fusissime de figuris, schematibus, & Tropis Scripturæ Sacræ, v. g. de Anaphora, seu Epinaphora, Epistrophe, Simploce, Epanalepsi, Anadiplosi, Epizeusi, Climaci, Epanode, Polyptoton, Augesi, Synonimia, Sinatrismo, Zeumate, Hypoceusi, Sillepsi, Eclipsi, Aposiopesi, Paronomasia, Paromeo, Homæoteleuton, Homæoptoton, Isocolon, Antitheti, Metatheti, seu Antimetatheti, vel Antimetabole, Paradiastole, Pleonasmo, Polysindeton, Asyndeton, Erotemate, Antiphora, Æthiologia, Aporia, Epitimia, Apostrophe, Syncheresi, Paromologia, Crama, Parrhisia, Hypotiposi, Æthopæia, seu Mimesi, Prosopæia, Idolopaia, Onomatopeia, Somatopeia, Parasiopesi, Parechasi, seu Echasi, Parentheti, Emphasi, Prolepsi, seu Anticipatione, Anacephaleosi, seu Recapitulatione, Hypomene, & Synæceosi. De quibus viginti figuris, seu Schematibus agere ex instituto pertinet ad Rethores, & ad eloquentiæ Magistros, licet peringenuè fateamur cum SS. PP. Scholasticis, & Interpretibus, Scripturam sacram plenam esse omnibus hisce eloquentiæ ornamentis, vt Lectoris animus, nec dum inveniat in Scripturis sacris doctrinam ad morum instructionem, sed etiam animi recreationem. Vide Ameyugo libro 5. Rethoric. de his, & de sequentibus.

QVÆSTIO VII.

Quotuplex sit metaphoricus litteralis sensus Scripturæ sacræ?

932 REspondeo dicendum, tot esse litterales sensus metaphoricos, quot sunt Rethorum Tropi. Ita D. August. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 29. & communiter SS. PP. Scholastici, & Interpret. Sicut enim Scriptura sacra ex proximè dictis ornata est, & exornata omnibus figuris Rethoricis: ita & Tropis, seu metaphoris, quæ sunt plures, nimirum Catachresis, Synecdoche, Antonomasia, Epitheton, Metonymia, Metalepsis,

Digitized by Google

lepsis, Allegoria, Homæosis, Periphrasis, Hyperbaton, & Hyperbole, Ironia, sive Irrisio, Antiphrasis, Sarcasmos, Ænigma, Symbolum, Paræmia, Charientismus, seu Liptote, Epitasis, Astismus, Homæosis, Icon, Paradigma, Parabola, Apologus, Pariphrasis, Hypocalismos, Paraphrasis, Synchysis, Isterologia, Anastrophe, Parenthesis, Temesis, Enallage, Hypallage.

QVÆSTIO VIII.

An Rethores, Philosophi, & Poetæ Ethnici figuras, Tropos, & mataphoras à Scriptoribus sacris acceperint?

933 FIgura, quam Græci vocãt Schema, Tropus, seu Metaphora pro eodem assummi solent à multis Rethoribus, dividunturque in omnes species supra assignatas. Tropus est verbi, vel sermonis à propria significatione, in aliam, cum virtute mutatio. Ita Quintilianus lib. 8. cap. 6. Metaphora est de re propria, ad rem non propriam, verbi alicuius vsurpata translatio. Ita Augustinus lib. 2. contra mend. cap. 20. tom. 4. & D. Thom. 1. p. quæst. 1. art. 8. & 9. Sacram Scripturam plenam esse his figuris, Tropis, sive Metaphoris constat ex num. 718. & est certissimum apud SS. PP. qui plurimum laboraverunt, & sudarunt in eis exponendis, vt facilius pervenirent ad exegeticam, veram, legitimamque eiusdem Scripturæ sacræ intelligentiam, interpretationẽ, seu expositionem.

934 Quapropter Hebræi, ipsorumque Scriptores sacri, & Moyses, vel Adam ante omnes alios vsi fuerunt figuris, Tropis, & Metaphoris, sicut etiam Symbolis, iuxta dicta à num. 308. insuper etiam litteris. Ab Hebræis igitur ad Ægyptios, ab Ægyptijs ad Græcos, à Græcis ad Latinos manarunt Figuræ, Tropi, Metaphoræ, & mos vtendi eis. Hinc.

935 Respondeo Rethores, Philosophos, & Poetas Ethnicos à Scriptoribus sacris accepisse huiusmodi Figuras, Tropos, & Metaphoras. Videndus est doctissim. Salmeron tom. 1. Prologom. 12. per tot. cum prædicto Antonio à Matre Dei. Prælud. 3. à num. 342. vsque ad 67. & hinc constat quam merito dixerit Div. August. Scripturam sacram esse eloquentissimam his, qui eam rectè percipiunt. Vide supra à num. 140.

(*)

QVÆ.

Digitized by Google

QVÆSTIO IX.

An in omnibus Scripturæ sacræ textibus sit litteralis sensus?

936 EX hactenus dictis constat, litterariũ Scripturæ sacræ sensum vnum esse proprium, alterum metaphoricum. Proprius est, quem verba in sua propria significatione accepta proximè, primo, & immediatè significant, v. g. quando dicitur: *Christus mortuus est.* Metaphoricus sensus est, quem etiam verba immediatè significant, sumpta tamen in metaphorica suppositione, vel significatione, v. g. *Vicit leo de tribu Iudæ*: verba ista translata à propria significatione veri, & realis leonis vincẽtis, ad metaphoricã, translatitia, & metaphorica sua significationeChristum Dñm fortissimum quidẽ, de tribu Iudà descendentem, vincentem, & triumphantem immediatè significant. Qui metaphoricus sensus etiam proprijssimè, & rigorosissimè est litterarius. Quia licet fundetur in metaphorica vocis significatione, nihilominus est formaliter de immediata ipsius vocis significatione. Et sensus litteralis in hoc formalissimè consistit. Vide supra. Quo præmisso.

937 Prima sententia asserit, esse in sacra Scriptura aliquem textum, in quo solus sensus spiritualis, vel mysticus sine litterario reperiatur. Ita Lyra Prologo 3. in suam Postillam, referens pro eadem sententia Origenem, Augustinum, Hieronymum, Chrisostomũ, Ambrosium, Gregorium, & alios. Cui subscripsisse videntur Maldonatus ad cap. 5. Ioan. Zumel 5. part. quæst. 1. art. 10. & quæst. 7. & alij pauci.

938 Secunda sententia tenet, nullum esse textum in Scriptura sacra, sive Veteri, sive Nova sine litterario sensu. Quæ 2. sententia sit nostra vnica conclusio, quam communiter tenent SS. PP. præsertim Augustinus tom. 3. lib. 8. de Gen. ad litteram cap. 7. Div. Thom. 1. part. quæst. 102. art. 1. quæst. 6. de potentia, art. 7. & quodlib. 3. art. 30. Div. Gregor. hom. 22 in Ezequiel. & Prolog. 1. in Iob cap. 3. Illust. Abulens. in cap. 16. Matth quæst. 29. Doct. Salmeron Prologom 19. & communiter Scholastici, & Interp. cum Div Hieronymo ad illud Abdiæ num 2. *Parvulum dedi te*, lib. 1. Isaiæ in Præfat. lib. 5. in eumdem Isaiam cap. 13. n. 19. cap. 40. in Ezequiel in quibus locis expressissimè affirmat, sicut & cæteri omnes pro ista secunda sententia relati, & alij innumeri, qui possent referri,

Digitized by Google

ferri, præsertim N Henricus de Gandavo in sum. art. 16. quæst. 3. litterarium sensum esse spiritualis, & mystici sensus fundamentum. Ex quo fundamento sic.

939 Probatur 1. nostra conclusio ab absurdo, & quidē absurdissimo. Si esset in Scriptura sacra aliquis textus, qui vero litterario careret sensu, ille careret etiam mystico, & spirituali. Ergo omni sensu careret. Ergo locutio Scripturæ potius esset nugatoria, quam locutio vera. Quo quid absurdius?

940 Probatur 2. & explicatur ista ratio. Veritas nequit fundari supra fallitatem. Ergo nec verus sensus mysticus, qui sit talis à parte rei, vereque à Spiritu Sancto intentus, potest fundari in sensu litterario falso, quique verus non sit litterarius. Qui enim fieri potest, vt domus sine fundamento erigatur? Quis domus, quam non dum erexit, magna pictorum colorum ornamenta adhibuit? Id quidem perinde foret, ac Filio non dum in lucem edito, vt solet dici, sed imaginato tantum, nomen imponere. Tunc vltra. Si daretur aliquis textus, qui vero litterario, sive proprio, sive metaphorico careret sensu, mysticus, & spiritualis verus illius sensus à contraria sententia in tali textu admissus, fundaretur in sensu falso, & mendaci. Ergo repugnat textus Scripturæ sacræ, in quo solus spiritualis sensus sine litterario inveniatur.

941 Probatur 3. etiam ab absurdo. Quia opposita sententia viam parat, & quidem latissimam, vt vnusquisque fingat errores, quos voluerit, vtque Catholicam impugnet Ecclesiam, eamque funditus evertat. Sublata enim radice, vel fundamento, statim ruit arbor, vel ædificium. Sed sensus litterarius est radix, & fundamentum Ecclesiæ. Ergo destructo illo, destrueretur Ecclesia.

942 Probatur 4. Quibuslibet Scripturis convenit proximè prime, & immediatè significare, vel propriè, vel figuratè, & metaphoricè aliquem mentis conceptum sui principalis auctoris. Ergo & Scripturæ sacræ.

943 *Vltimo* probatur. Auctores, qui asserunt, dari aliquem locum, in quo solus Spiritualis sensus sine litterario vero reperiatur, necessario dicere debent, spiritualem illum sensum mysticum sensum à Spiritu Sancto intentum superædificari falso litterario sensu, vel hominum inventis, aut commentis. Sed hoc est absurdum gravissimum. Ergo & illud.

944 Arguimur primo ex Hæreticis Libertinis, & Luthe-

ra-

Digitized by Google

ranis. Iuxta Ap. 2. ad Corinth. cap. 3. v. 6. *Littera occidit, spiritus autem vivificat*: hoc est: litteralis sensus fallendo occidit: spiritualis vero, seu mysticus litteralē, falsumque supponens, eique, & non alteri innitens, vivificat. Ergo datur in Scriptura sacra locus, in quo solus sensus spiritualis sine vero litterario reperiatur.

945 Respondeo ex dictis num. 169. cum Emin. Belarmino, litteram occidentem loco cit. nihil aliud esse, quam legē Veteris Testamenti sine gratia, spiritumque vivificantem esse Novi Testamenti gratiam. Et est expressa doctrina M. Parent. Augustini lib. 15. contra Faustum, cap. 8.

946 Arguitur secundò. Sensus litteralis est ille, quem verba immediatè significant. Sed in multis locis sensus huiusmodi, quem verba immediatè significant, est falsus. Ergo & sensus litteralis, qui est in illis, est falsus. Ergo mysticus sensus à Spiritu Sancto intentus, qui in illis textibus reperitur, in falso litterario fundatur. Nec verus litterarius in eis reperitur. Minor probatur primo ex cap. 9. Iudicum v. 8. *Iverunt ligna, ut ungerent super se Regem.* Vbi res, quæ narratur omnino picta, & à vero longe distans esse videtur. Qui enim fieri potuit, ut oliva, ficus, & rhamnus convenerint ad ungendum Regem? Idem dicitur de alio Apologo, qui refertur 4. Regum cap. 14. v. 9. & alijs, de quibus non videtur aliud dicendum, quam de apologis, & fabulis à Æsopo fictis. Probatur secundo eadem minor ex omnibus metaphoricis loquutionibus, v. g. ex illo Matth. 18. v. 8. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde, &c.* Vbi nec manus præscindi iubetur, nec id à Spiritu Sancto intenditur.

947 Respondeo negando minorem. Ad primam huius probationem respondeo, per ligna homines intelligi. Ad secundam probationem respondeo, per manus, pedes, & oculos litteraliter intelligi proximos nostros, qui nos impediunt ad consequendam vitam æternam. Nullum tamen ibi reperitur mendacium, fictio, aut falsitas. Quia licet ficta narratione, vera tamen significatione dicuntur, quæ Scriptores sacri significare volunt. Quod constat ex Augustin. lib. contra mend. cap. 13. tom. 4. dicente: *Non est falsa significatio, ubi & si aliud ex alio significatur, verum est tamen quod significatur, si recte intelligatur.*

948 Parabolicis autem loquutionibus nullum inest mēdacium, aut falsitas, & in illis datur sensus litterarius prius

Digitized by Google

prius metaphoricus cum mystico coniunctus. Quia res illas non esse gestas, non obest veritati. Nam parabola significat rem, non quæ necessario existat, vel quæ existere solet, sed quæ licet non soleat existere, valeat tamen aliquando existere, vel quæ possit concipi, vt existens. Vnde significat, non tam rem existere, quam rem, ac si existeret, & mediante ipsa re significata, mystice significat aliam. Et ita libera est talis parabolica locutio à mendacio, & falsitate. Quia totum fingitur, vt ad rem, quæ intenditur, ficta quidem narratione, non tamen mendaci, sed veraci veniatur significatione. Propter hanc rationem Æsopi fabulæ, & Apologi à nullo cordato appellantur mendacia.

949 Arguitur tertiò, dicunt aliquando SS. PP. præsertim Hieronymus, & Gregorius, non posse aliqua loca quoad litteram verè intelligi, & vbi deficit littera, eundum esse ad mysterium. Ergo. Respondeo dicendum, per litteram intelligendum esse sensum litterarium proprium. Per mysticum vero sensum intelligi litteralem metaphoricum. Vide infra num. 1012.

QVÆSTIO X.

An sub eisdem verbis Scripturæ sacræ multiplex litterarius reperiatur sensus?

950 INdubitatum est apud Auctores, quod vnus, atque idem Scripturæ sacræ textus frequenter admittat duplicem sensum: litteralē vnum; mysticum alterum, & vtrumque à Spiritu Sancto intentum. Quod partim constat ex dictis, & amplius constabit ex dicendis. Est tamen quæstio, eaque gravissima, vtrum præter mysticum plures admittat sensus litterales.

951 Prima sententia est negativa. Eam expressè tenet noster Henricus de Gandavo, solemnis Doctor iure summo appellatus. Quem sic appello, morem gerens cunctis Auctoribus nostri sacri Ordinis, præsertim verò nostro Leandro à SS. Sacramento, qui ab immemorabili (vt aiunt) epitecto isto *Noster* vocant, & quidem iustissimè. Ipse enim Henricus de Gandavo, vir extra omnem aleam multis nominibus magnus, Gandavi in Flandria ex nobilissima Bonicollorum familia ortus, Beati Alberti discipulus, Sancti Thomæ Aquinatis condiscipulus, in Sorbonica Academia titulū *Doctoris so-*

Digitized by Google

solemnis consecutus Ordinem Sanctissimæ Trinitatis Redēptionis Captivorum ingressus,& professus,singularissimum eiusdem Ordinis decus, & ornamentum fuit. Quod probant, & quidem efficacissimè N. Figueiras Carpi in Chronico eiusdem nostri Ordin. pag. 30. & novissimè RR. P. N. Bonaventura Baro Minorita in Annalib. eiusdem nostri Ordin.ad ann.1293. pag.192. & 293. Et N.P. Fr. Didacus à Iesu in Annalibus etiam nostri Ordinis pag. 642. num. 34. tom. 1. licet nonnulli Recentiores Ordinis servorum B. V. M. minus rectè contendant, eumdem nostrum Henricum fuisse suum alumnum. Fuit autem N. Henricus Doctor adeò insignis, & solemnis, vt subtilissimus Scotus non tam fuerit Antagonista Div. Thom. Aquinatis, quam eiusdem nostri Henrici Gandavensis. Quod iam pridem notarunt Scoti commentatores,& Historici, præsertim Lichetus in comment. & Briceñus in vita Scoti. Et clarissimè id deprehendet quisquis opera Scoti attentè legerit. Non desunt, qui asserant, Henricum nostrũ fuisse cõdiscipuli sui D. Thom. Antagonistam, & impugnatorem. Et patet ex nostri Henrici operibus, quæ fuerunt plurima, ipso,& publico vsu digna: *Summa Theologiæ*: *super sententias*: *super Metaphysicam*: *de Virginitate servanda*: *Quodlibeta Theologica*, *&c.* videnda apud Bellarminũ de Script. Eccles. Tunc temporis ab Episcopo Parisiensi, & Theologis illius facultatis permissum erat, vt quisque libere scriberet, aut disputaret contra quosdam D. Thomæ articulos. Et ideo N. Henricus ita scripsit. Hæc obiter dicta sint in gloriam tam nostri sacri Ordinis, quam Henrici Gandavensis. Eamdem autem negativam sententiam tenet Alẽsis, Albertus Magnus, Franciscus de Ribera, & Michael de Medina.

952 Secunda sententia est affirmativa, quam tenent omnes Scholastici, & Interpretes, præter quinque pro prima sententia relatos, & est expressa August. lib. 9. conf. cap. 20. 24. 26. & 31. lib. de doctr. Christi cap. 27. lib. 1. de Trinit. cap. vltimo,& lib. 11. de Civit. cap. 19. D. Thom. 1. part. quæst. 1. art. 10. de potentia, quæst. 4. art. 1. & quodlib 7. quæst. 6. art. 14. Cani, Gravinæ, Salmeronis, Abul. & Bellarm. ad Psalm. 67. *Qui habitare facit*, *&c.* qui videri possunt apud Antoniũ à Matre Dei, prælud. 3. à n. 78. Pro eadem referri solent satis verosimiliter Hieronymus ep. 103. ad Paulinã circ fin. Basil. Chrisost. Leo Pap. & Bernardus hom. 51. in Cant. ad illud: *Fulcite me floribus*.

Digitized by Google

953 Hæc secunda sententia sit nostra vnica conclusio. Et probatur primò. Etenim huiusmodi diversitas plurium litteralium sensuum sub eisdem verbis Scripturæ sacræ ex vna parte, vel & ipsis adversarijs peringenue fatentibus, nō implicat. Ex alia verò eiusdem Scripturę sacræ dignitatem, excellentiam, perfectionem, & maiestatem valde commendat. Datur ergo de facto. Consequentia est legitima. Et antecedens quoad secundam partem explicatur primò. Ad excellentiam, & perfectionē Verbi Divini spectat, quod omnia intelligibilia tam increata, quam creata, quæ inter se sunt primo diversa, indivisibiliter repræsentet, & significet suo Patri Æterno. Secūdo. Perfectionē specierum, quibus Angeli intelligunt, summopere commendat, quod vna, & eadē realiter species plura, & diversa repræsentet obiecta. Imò quo Angeli sunt perfectiores, & excelletiores, eo paucioribus speciebus, & cognitionibus plura, & diversa attingunt obiecta. Ergo.

954 Probatur secundò, & confirmatur, simulque explicatur ista ratio. Deus, qui est principalis Auctor Scripturæ sacræ, ob suam infinitā fœcunditatē, vnico simplicissimo mētali verbo omnia, & singula intelligibilia, quæ sunt infinita, & primo diversa, vt talia simul indivisibiliter repræsentat, & significat. Ergo & idem Deus vno, simplicissimoque verbo scripto, vel eodem Scripturæ sacræ textu multa diversa simul repræsentare, & significare potest. Huiusmodi ergo diversitas pluriū sensuum litterarium sub eisdē verbis Scripturæ sacræ neutiquā repugnat. Alias decet; imò Scripturæ sacræ dignitatē valde commendat. Datur ergo.

955 Probatur tertiò, & explicatur superior ratio. Huiusmodi fœcunditas, & copia plurium litteraliū sensuum sub eadem littera tam respectu Dei loquentis, quam hominum, ad quos loquitur, maioris est excellētiæ, perfectionis, præstantiæ, vtilitatis, & convenientiæ. Ergo, cum aliunde non repugnet, immerito negabitur Scripturæ sacræ. Consequentia liquet. Et antecedens explicatur quo ad tres priores partes, & primo sic. Posse artificem plura, & diversa fabricari opera excelentissima paucissimis instrumentis, maiorem in eo arguit perfectionem, quam egere diversis, & per multis instrumentis ad talia opera peragenda, vt omnes fatentur. Imò natura ipsa, quam ars imitatur, totū hoc nos edocet. Et inde dimanavit commune illud proloquiū: *Frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora.* Secūdo.

Digitized by Google

do. Eloquentior absdubio dicitur,& in eloquendi scientia excellentior,qui paucioribus verbis dicit eadem, quæ alius non nisi multis verbis explicare potest. Hinc cæteris paribus,laconismi. & breviloqui præferuntur his,qui tales non sunt. Tertiò. Multa,& diversa,multis diversisque Amanuensibus simul, & eodem tempore non ijsdem, sed pluribus verbis dictare,enũtiare,ac significare,singularis,& excellens prærogativa est: vtq; talis refertur in vitis, & gestis S. Thom. Aquinatis,S. Catharinæ Senensis,S. Francisci Xaverij,imò Iulij Cæsaris. Et si omnia ista ijsdem litteris, vel vocibus posset quis dictare,vt refertur de eodem S. Francisco Xaverio per Cornelium à Lapide in cap 2. Act. pag mihi 71. ad hæc verba: *Sanctus Xaverius vnica responsione duodecim diversa quærentibus satisfaciebat: perinde ac si separatim singulis responderet*: maior esset excellentia,& perfectio. Quis de hoc dubitet? Quemadmodum autẽ maior est perfectio, & excellẽtia, ijsdẽ verbis plura significare; ita,& intelligere. Vnde ortum est illud axioma: *Intelligẽti pauca*. Ergo magna est perfectio, paucioribus verbis multa diversis dictare.

956 Quoad duas posteriores partes explicatur idem antecedens. Magis enim ostenditur Divina Omnipotentia, ac sapientia per istum modum: & hominum studia, continuaque Scripturę sacræ lectio,& meditatio,vt melius eam intelligant, vehementer accendũtur. Ergo.

957 Probatur quartò. Scripturam sacram non esse inanem, sed mysteriorũ, ac sensuum fecundissimam, est magna ipsius excellentia, laus, & prærogativa. Nõ est ergo,cur denegetur.

958 Probatur quintò. Potest Deus efficere,quod vna, & eadẽ res significet plura, & diversa. Sic manna necdũ repræsentat Eucharistiam, vt colligi videtur ex ep. 1. ad Corint. c. 10. sed etiã eloquium Dei, vt similiter inferri videtur ex 16. Sap. Ego similiter idẽ Deus efficere potest,vt vna, & eadem vox diversa significet. Dantur enim voces æquivocæ. Imò dari posse æquivocationem in mente,non improbat N. Em. in suo Curs. Philos. Trin. tom. 1. n. 912. Qui etiam videndus est n. 906.

959 Vltimo probatur. Multa enim extant Scripturæ sacræ testimonia, in qnibus sub eadem littera plures sensus litterales esse videntur. Et sunt quæ sequuntur.

960 En primum. Psalm 2. v. 7. dicitur: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Verba ista Apost. ad Hebræos cap. 1. in sensu litterali intelligit de æterna Christi ge-

Digitized by Google

generatione Act. cap. 13. Actuũ v. 33. eadem verba, & in sensu etiam litterali, intelligit idem Apost. de Christi Domini Resurrectione. Idem Apostol. ad Hebr. 5. v. 5. eadem verba intelligere videtur in sensu etiã litterali de eiusdẽ Christi Dñi Sacerdotio. Alij explicant eadem verba de generatione tẽporali eiusde Christi Dñi. Alij demũ de notitia, qua homines cognoverunt, Christum Dominum esse verum Dei Filium, Æterno Patri coæqualem, & consubstantialem.

961 En secundũ testimonium. Isaias cap. 53. v. 8. inquit: *Generationẽ eius quis enarrabit?* Quæ verba in sensu litterali primo de Æterna Christi generatione. Secundo de tẽporali humana. Tertio etiam de temporali, & prole eius spirituali adeo numerosa, vt tota enarrari nequeat iuxta illud eiusdem Isaiæ eodem cap. v. 10. *Si posuerit pro peccato animã suam, videbit semẽ lõgeuũ*: intelligũtur. Alia prętermitto testimonia, quæ apud relatos Auctores videri poterunt.

962 Arguitur primò. Si in eumdẽ Scripturæ sacræ textum plures litterarij sensus cadere possent, nulla esset assignabilis ratio, cur plures, & plures in infinitũ pro libito Interpretũ cadere nõ possent. Hoc est falsũ. Ergo & illud. Maior videtur expressa D. August. lib. 12. Cõfess. c. 31. & D. Gregor. lib. 2. c. 201. ad Domitianũ Mętropolitanũ. Minor similiter. Quia decet, Scriptorẽ sacrũ Hagiographũ cognoscere omnes, & singulos litterales verborum suorũ sensus. Quod fieri nõ potuisset: si tot sensus litterales eidẽ textui subessent.

963 Respondeo primo negando maiorẽ. Cuius contrariũ neutiquã indicant Augustin. & Greg. Respondeo secundo, cõcessa maiori, neg min. Ad cuius probationẽ dicendũ est primo, incertũ esse, an Scripturæ Hagiographi cognoverint de facto omnes verborũ suorũ sensus: Deinde respondeo, Scriptores sacros media supernaturali elevatione, vel vno, vel diversis tẽporib⁹ percipere potuisse quoslibet verborũ suorũ sensus litterales, vel mysticos à Spiritu Sancto intentos. Vide infra q. 34.

964 Arguitur secundò. Si vni eidemque textui Scripturæ sacræ multiplex, & æquivocus inesset litteralis sensus, iste esset ambiguus, flexilocus, & fallax, vt esse solent omnes orationes æquivocæ, & amphibologicæ, & per omnia similis sophismatibus, & fraudulentis Dæmonum oraculis, quæ duos prædicebant eventus, & ita incautos, & simplices fallebant, & decipiebãt, iuxta illud, quod Apollinis oraculũ olim respondit Pyrrho Epirotarũ Regi consulenti:

Aio,

Digitized by Google

Aiax te, Æacida, Romanos vincere posse. Quare tota Scripturæ sacræ firmitas nutaret, atque vacillaret: nec vllum efficax, & irrefragabile Theologicũ argumentum ex eadem Scriptura sacra desumi posset. Siquidem ex æquivocis, fallacibus, vel tortuosis nihil firmum, aut ratum inferri potest. Tunc vltra, Hoc admitti nõ potest. Ergo neque illud.

965 Respondeo ex dictis à num. 760. tunc tantummodo vsum æquivocationum, & amphibologiarum esse illicitum, & mendacem, quando iusta, honestaque causa abest, aut adest voluntas directa, vel saltim indirecta, & interpretativa decipiendi proximum. Verum enim vero nihil tale invenitur in Scriptura sacra, & in ipsius Auctore. Quia adest, iusta, & honesta causa pluralitatis sensuum litteralium. Ex qua iusta causa multiplex ille sensus litteralis licet, & omnis mali rationem exuit. Et siquis inde sumat occasionem errandi ex malitia, aut ignorantia: sibi imputet. Erit enim omnino peraccidẽs. Quæ omnia à prædicto n. 760. fusiùs explicata sunt, & exemplo scandali declarari possunt, vt n. 790. explicuimus.

966 Arguitur tertiò, & potest esse replica solutionis datæ. Si plures sensus litterales subessent eidem textui, nullo Scripturæ loco Iudæi, & Hæretici possent convinci, cum facillime possent isti ad alium recurrere sensum. Hoc dici nequit. Ergo neque illud. Respondeo negando maiorem. Imò potius pluralitas sensuum summopere conducit ad facilius convincendos Iudæos, & Hæreticos, & ita Div. Thom. 1. p. quæst. 46. art. 3. ex multiplici sensu litterali, illius textus: *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* triplicem refutavit errorem. Videndus est idem D. Thom. eadem 1. p. q. 1. art. 10. ad 1. & ad 2.

QVÆSTIO XI.

Ex quibus capitibus oriatur huiusmodi litteralium sensuum pluralitas in eisdem Scripturæ sacræ textibus?

967 Respondeo cum Hieronymo lib. 1. Apolog. contra Rufinũ, cap. 5. primo oriri ex fœcunditate vocum Hebræarum, & Græcarum. Fœcunditas, facunditas, & amplitudo linguarum Hebrææ, & Græcæ in significando paucis plura, efficit, vt verba eodem loco ex intentione Spiritus Sancti plures litterarios habeant sensus.

968 Secundo oritur ex diversa punctuatione. Eædem quippe radicales litteræ apud

Digitized by Google

Hebræos, varijs punctis suppositis, quæ apud illos litterarum vocalium vim habent, varias sortiuntur significationes à Spiritu Sancto intentas. Hieronymus epist. 125. ad Damasum.

969 Tertio oritur ex diversa ratione distinguendi verba, & dictiones. Quidam enim aliqua verba sacri textus coniungunt verbis antecedētibus: alij subsequentibus. Vnde diversus dimanat sensus, & vterque potest esse verus, & à Spiritu Sancto inventus. Ex his ergo, & alijs similibus causis oritur diversitas sensuum litteralium in eodem textu sacræ Scripturæ.

QVÆSTIO XII.

An opinio negans vniuersim ijsdem Scripturæ sacræ verbis duos, vel plures sensus litterarios, sit digna aliqua censura Theologica?

970 PRima sententia est affirmativa. Eam tenent Abulens. Albelda, Lorca, Zumel, Bañez, Gravina, & Gretserus. Quorū aliqui prædictam opinionem vocant improbabilem, alij temerariam, alij non satis tutam in fide, alij aperte contra fidem, iniuriosam, & contumeliosam copiæ, vbertati, & facunditati Scripturæ sacræ, vel potius Spiritus Sancti. Numero 727. diximus, quanta benignitate Auctores sint explicandi, & quantum cavere debeamus à censuris. Et videri potest Melchior Cano lib. 12. à cap. 8. vbi agit de varijs errorum gradibus.

971 Respondeo cum Vazquez 1. part. disput. 17. & alijs negativè. Non dum enim Ecclesia definivit, plures esse sensus litterales sub eadem littera: Et Auctores, qui hanc tenent sententiam, sunt gravissimi. Hic obiter notandum, plures Scripturæ textus à SS. PP. diversimode litteraliter exponi, quin inde sequatur, plures esse sensus litterales in dictis textibus. Nam sæpè contingit, vt plures illi sensus omnes sint probabiles, & pij, inter se tamen contrarij, & pugnantes. Cum tamen implicet, pugnam istā esse à Spiritu Sancto. Quare tunc necessarium est, aliquē ex SS. PP. in sua explicatione litterali revera falli, & à vero litterali sensu Scripturæ sacræ per Spiritum Sanctum intento, recedere, cum tamen Scriptores sacri nunquam a veritate aberraverint, & implicet, quod huiusmodi pugna, & contradictio sit à Spiritu Sancto. Nō est nostri instituti rem hanc exemplis demonstrare. Consulantur SS. PP. Scholastici, & Interpretes.

Digitized by Google

QVÆSTIO XIII.

Quando idem textus in duobus sensibus litteralibus contrarijs, & inter se pugnantibus, per Sanctos Patres, & Interpretes exponitur, cui standum sit?

972 REspondeo dicendũ, multiplicem assignari posse regulam, legem, viam, & rationem, qua cognoscere possimus, cui sensui litterali stare debeamus, quem verum censere teneamur. Prima regula. Ille solus existimãdus est verus, & legitimus litteralis sensus, qui ab Ecclesia Catholica est receptus. Ioann. 14. v. 28. inquit Christus Dominus: *Pater maior me est.* Ecclesia vniversa cum D. Athanasio intelligit textum istum non secundũ omnia, quæ dicit Christus Dominus, sed solum secundum humanitatem iuxta illud Symboli: *Æqualis Patri secundum Diuinitatem: Minor Patre secundum humanitatem*: adversus Arrium, qui vniversim intelligit textum istum taliter, vt Christus Dominus penes omnia, ex quibus constat, sit minor Patre.

973 Secunda. Sensus ille præferendus est, qui alteri loco eiusdem Scripturæ, Catholicæque expositioni magis conformis, minusque repugnans fuerit visus.

974 Tertia. Si vnus sensus litteralis fuerit omniũ Sanctorum Patrum: contrarius autem fuerit Recentiorum, & novus: ille prior præferendus est. Quod patet tum ex ratione naturali. Tum ex Concil. Trid. Sess. 4.

975 Quarta. Si vterque sensus litteralis simul admitti non possit: & qualis sit, qui à Spiritu Sancto intentus est, distinguere nequeamus ex alio Scripturæ sacræ textu, aut ex intelligentia Ecclesiæ, aut ex Sanctis Patribus, aut ex Scholasticis, semper præferendus est illo, qui rationi naturali conformior visus fuerit. Quod constat ex cap. *Decretalis*, distinct. 20.

976 Quinta regula. Si aliquando contigerit, quod aliquis litterarius Scripturæ sacræ sensus quadret in aliqua verba eiusdem Scripturæ, prout connexa cum antecedentibus, & consequentibus: alius vero quadret, & cadat in eadem verba prout avulsa ab antecedentibus, & consequentibus. Tunc ille prior præ isto posteriori habendus est pro vero, & legitimo sensu litterali, & intento à Spiritu Sancto. Ita Hieronym. lib. 2. contra Iovin. & in Matth. cap. 10. Augustinus lib. 83. qq. 69. & lib. 3. de doctr.

Digitized by Google

Christ. cap. 4. Salmeron Prologom. 9. can. 38.

QVÆSTIO XIV.

An Scriptores sacri cognoverint omnes, & singulos sensus litterarios a Spiritu Sancto in singulis textibus intentos.

977 REspondeo iuxta dicenda in simili quæstione 34 huius disputationis. Vide interim Vazquez 1. part. quæst. 1. art. 10. disput. 17. cap. 3. Salmeron, & alios.

QVÆSTIO XV.

An inter plures litterarios sensus sit aliquis gradus maioris, & minoris certitudinis?

978 REspondeo primo, omnes litterarios sensus immediatè proximè per verba significari. Respondeo 2. non omnes esse æquè notos, & perspicuos quoad nos. Ita Molina 1. part. disput. 3. articul. 10. quæst. 1.

(*)

****
*****

QVÆSTIO XVI.

An Scriptura sacra penes sensum litteralem tam proprium, quàm metaphoricum sit locus Theologicus omnino firmus, & irrefragabilis?

979 REspondeo affirmative. Probatur 1. ex dictis tota disputatione præcedenti. Scriptura sacra summam, & maximam habet infallibilitatem, & veritatem. Ergo ex ea secundum aliquem sensum efficaciter, & firmiter arguere possumus. Consequentia est oprima. Scriptura namque facta magis est in sensu, quam in verbis, vt rectè notavit Hieronymus tom. 6. cap. 1. ad Galat. per hæc verba: *Nec putemus in verbis Scripturarum esse Euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Tunc vltra. Sed nullus est sensus aptior ad hunc finem, quam litteratius, cum de mystico nō pauci dubitent. Ergo.

980 Probatur secundò. Christus Dominus firmissimè argumētatus est ex sacra Scriptura, similiter, & Apostoli, SS. PP, & Scholastici. Sed argumentati sunt in sensu litterali. Er-

Digitized by Google

Ergo Scriptura sacra penes sensum litteralem est locus Theologicus omnino firmus.

QVÆSTIO XVII.

An sensus litteralis proprius simul cum litterali metaphorico sub eadem littera reperiatur?

981 PAter Fr. Antonius à Matre Dei, prælud. 5. n. 101. titulum istum explicans, sic ait: Iunior quidã perdoctus, & erudit⁹ hoc dubiũ hisce verbis excitat: vtrũ sensus litteralis proprius simul cũ litterali metaphorico, seu figurativo, sub eisdem Scripturæ verbis simul contineatur? Sed cõsulto nos non addimus in titulo particulam illam *figurativo*, ne quæsitum ipsum, aut destruat, aut confundat. Hactenus ille. Verumenimvero iuxta eumdem Antonium à Matre Dei tropus, & metaphora in idem recidunt. Videatur ipse n. 48. ex cursu 2. de trop. seu metaph. sacræ Scripturæ. Et aliunde tropus pro figura, & figura pro tropo indifferenter accipi solet, sicut & sensus figuratus, vel figurativus pro metaphorico, & metaphoricus pro figurativo à SS. PP. Scholast. Interpretib. imò & Rethoribus indiscriminatim vsurpatur.

982 Respondeo ergo affirmativè. Est communis sententia Sanctorum PP. Scholasticorum, & Interpretum, qui sæpè eosdem sacræ Scripturæ textus in sensu litterali proprio, & metaphorico interpretantur. Et ratio colligitur ex num. 806. & 807. Explicatur in hoc textu: *Os non comminuetis ex eo*: qui in sensu proprio litterali de Agno Paschali in metaphorico vero de Christo Domino intelligitur ab Abulens. Cornel à Lap. & alijs.

QVÆSTIO XVIII.

An Scripturæ sacræ verba accipi possint in sensu metaphorico, relicto proprio, manifesta ratione ad id nos non cogente?

983 REspondeo negativè, & certissime cum Aug. lib. 8. de Gen. ad litter. cap. 1. Hieronymo in Præfat. decimæ visionis Isaiæ ad Amabilem Episcopum, Salmerone Prologom. 9. Can. 33. Suario in defensione fidei lib. 5. cap. 8. num. 7. & à cap. 11. & tom. 1. in 3. part. disp. 4. sect. 5. §. *Nihilominus*, Vazquio tom. 1. in 1 part. disp. 13. cap. 2. num. 6. & tom. 2. in 1. part. disp. 242. num. 1. & disp. 43. num. 3. & cũ omnibus SS. PP. Scholasticis, & Interpretibus. Imò Iurisconsultis in L. *Non aliter*, ff. de legatis,

Digitized by Google

gatis, & fideicommissis, vbi Marcellus sic decrevit: *Non aliter à significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse testatorem.* Ideo datur titulus specialis in iure de significat. verb. Et est tritum axioma desumptum ex D. August. lib. 3. de doct. Christ. cap. 11. *Verba sacræ Scripturæ accipienda sunt in sensu proprio, & non metaphorico, quando ex tali acceptione nullum sequitur absurdum.*

984 Et profecto perversissimum est, vt aiebat Tertulianus in lib. de carne Christi, vt carnem nominantes, animá intelligamus; & animam significantes, carnem interpretemur. Omnia periclitabuntur aliter accipi quam sunt, & admittere quod sunt, dum aliter accipiũtur, si aliter quam sunt, cognominantur. Ego quidem cum fanum audio, fanum intelligo, & stirpem, & piscem, feram, iumentum, terram, aquam, aerem, ignem, cœlum, Angelum, homines, & omnia, vti dicta sunt, ita intelligo. Hæc ille.

985 Vnde constat, relicto sensu proprio litterali sacræ Scripturæ, ad metaphoricum nos recurrere non posse, nisi manifesta ratio ad id nos compellat. Quo non obstante, si sartus tectus maneat sensus literalis proprius, potest etiam accipi idem textus in sensu literali metaphorico, nullam absurditatem habente, vt quæsti præcedenti dictum est. Et videri possunt Vazquez tom. 2. in 3. partem, quæst. 60. art. 2. disput. 140 cap. 3. num. 21: Maldonatus in cap. 3. Matth. v. 11. & alij.

QVÆSTIO XIX.

An liceat Scripturæ sacræ verba accipere in sensu litterali metaphorico, relicto proprio, quando sensus improprius non vertit proprium?

986 REspondeo absolutè affirmativè: Probatur ex proximè dictis. Quia talis acceptio nullam continet absurditatẽ, nullam adimit vim, aut efficaciam sensui proprio litterali.

QVÆSTIO XX.

An pleraque dicta de Christo Domino in Veteri Testamento intelligenda sint in sensu litterali?

987 PRima sententia asserit, nullum textũ Veteris Testamenti de Christo loquentem in sensu litterali intelligi debere: omnes, & singulos mystice dumtaxat, vel in sensu mystico, & spirituali de eodem Christo accipien-

Digitized by Google

piendos esse. Hanc tenent sententiam Iudæi, & aliqui Christiani, quos suppressis nominibus refert Vazquez tom. 1. in 1. part. disp. 16. cap. 4. n. 15.

988 Secunda sententia tenet, plura esse testimonia in Veteri Testamento, quæ non in sensu purè mystico, sed in litterali intelligi debent de Christo Dño. Hæc secunda sententia est cõmunissima inter SS. PP. Scholasticos, & Interpretes. Eam expressè tenent Augustinus lib. 13. contra Faustum, cap. 7. & de consensu Evangelistarum lib. 1. cap. 31. Ambros. in lib. de benedict. Patriarch. cap. 46. Vazquez loco citat. & Augustinus Quiros in Cant. Moysis disput. de sens. Script. sect. 6. sententiam istam vocat fide sanctam. Quæ secunda sententia.

989 Sit nostra vnica conclusio. Probatur primò. Christus Dominus Matth. 22. v. 44. probat textum quemdam Veteris Testamenti videlicet Psalmi 109. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis*: in sensu litterali, & non tantum mystico esse de se ipso: ex eo nimirum, quod non possit intelligi textus ille de aliquo puro homine, qui sit typus Christi, sed plusquam purus Filius David, & Filius Dei, ac verus Deus. Tunc vltra. Hoc nihil aliud est, quam docere, textum illum non in sensu mystico, sed in litterali intelligi debere de eodem Christo. Quandoquidem si in sensu tantum mystico intelligeretur, eo ipso prius in sensu litterali conuenire debebat typo. Ergo.

990 Confirmatur ex Eminent Bellarmino in Præfat. ad prædictum Psalm. 109 dicente: certum atque indubitatum esse contra RR. Thalmudicos totũ prædictum Psalmum in sensu litterali de Christo Domino esse.

991 Probatur secundò. Textus ille, qui iuxta Principes Apostolorum Petrum, & Paulum in sensu litterali proprio non potest intelligi, aut exponi de alio, qui sit typus Christi, sed dumtaxat de eodem Christo: absdubio in sensu litterali, & quidem proprio debet exponi de eodem Christo Domino. Tunc vltra. Datur huiusmodi textus. Ergo. Probatur minor ex cap. 2. Act. Apost. v. 24. & sequentibus, & cap. 13. v. 36. & 37. Ista loca manifestè probant, & conuincunt, textus David in sensu litterali, & proprio intelligi debere de Christo Domino, qui mortuus, & sepultus est, insuper, & resurrexit.

992 Probatur tertiò. Quoties textus aliquis Veteris Testamenti in sensu proprio, & rigoroso nequit expononi de aliqua persona eiusdem Veteris Testa-

Digitized by Google

Testamenti: potest autem litteraliter exponi de Christo Domino, & ipsius Ecclesia, toties de eodem Christo, & eius Ecclesia ad litteram exponendum est. Doctrina ista est certissima apud SS. PP. Scholasticos, & Interpretes. Videndus est Salmeron Prolegom. 10. can. 39. Et constat ex dictis num. 983. Quando enim verba sacræ Scripturæ in sensu rigoroso, & proprio litterali commode exponere possumus, ad metaphoricum litteralem recurrere non debemus. Ad hæc. Quando textus Veteris Testamenti in sensu litterali metaphorico intelligi non potest de persona eiusdem Veteris Testamenti, possit autem intelligi de Christo, & eius Ecclesia, sic intelligendus est in sensu litterali, metaphorico. Ex qua doctrina manifestè convincitur, plura testimonia Veteris Testamenti de Christo Domino in sensu litterali debere intelligi. Huiusmodi testimonia sigillatim in medium afferre, & exponere non est nostri instituti, cum universim agamus de Prolegomenis Scripturæ sacræ. Nihilominus nonnulla indicabimus.

993 Textus ille Psalm. 21. v. 18. & 19. *Foderunt manus meas, & pedes meos, &c.* & Psalm. 71. à v. 5. *Et permanebit cum Sole, & ante Lunam, &c.* Totum cap. 53. Isaiæ de Christo Domino, ipsius damnatione, passione, sepultura, & fructu litteraliter intelligendum est.

994 Rursus textus ille Isai. cap. 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, &c.* de solo Christo Domino in sensu litterali rigoroso, & proprio intelligi potest; & nulli personæ Veteris Testamenti nisi dumtaxat metaphoricè, seu figurativè adaptari, & convenire valet. Etquamquam quidam RR. & Iudæi textum istum: *Ecce Virgo concipiet, &c.* interpretentur de iuvencula vxore Achaz, quæ cum antea esset sterilis, peperit ei Ezequiam. Alij de vxore ipsius Isaiæ etiam iuvencula, vel adolescētula, quæ prioribus annis fuit sterilis, & postea peperit filium. At evidentissimè fallūtur. In textu enim Hebræo expressè habetur vox HAALMA, quæ vox strictè significat virginē, rigorosè virginē, & abscondità: seu à communi commertio seiunctam: & quasi in aliquo Monasterio inclusam, ad instar Monialium, quæ nunc florent in Ecclesia: vt optime notat Petrus Daniel Huetio in Demonstrationibus Evangelicis propos. & c. 9. tom. 2. pag. 669. Editionis Amstelodami ann. 1680.

995 Videri etiam poterit Rev. P. Richardus Lyncæus Societatis Iesu sacræ Theologiæ Doctor, & Mag. Salmanticensis, olim mihi familiarissimus,

Digitized by Google

mus, vir eloquentissimus; & peritissimus, Theologusque gravissimus tract. 8. de sens. Script. lib. 1. à num. 55. qui hęc, & reliqua tractat accuratissime, præsertim n. 48. Cuius nos opera, & diligentia multum in hoc nostro opusculo adiuti sumus, & malumus mutuum omnino reddere, quam in furto deprehendi. Quod Plinius in Proœmio admonuit. Illud etiam Basilij præceptum semper nobis placuit: si quid ex alio discitur, minimè celandum; more pravæ mulieris, quæ partus nothos, seu illegitimos, & spurios clam supponit. Quam obrem sermonis & doctrinæ Pater ingenue manifestandus est, vt in simili ait Melchior Cano lib. 11. de loc. cap. 6.

996 Arguitur primo ex num. 919. & sequentibus: duplex sensus litteralis reperitur in sacra Scriptura, proprius vnus, improprius, figurativus, vel metaphoricus alter. Sed nullus est textus Veteris Testamenti, qui non possit exponi saltem in sensu litterali improprio de alio distincto à Christo Domino. Ergo nullus est textus in Veteri Testamento, qui de solo Christo, non autem de alia persona eiusdem Veteris Testamenti litteraliter exponi possit.

997 Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Cuius falsitas constat ex dictis ad illud Isaiæ cap. 53. de damnatione, passione, &c. Christi Domini, & licet admittamus minorem, & consequentiam, nihil convincitur contra nos. Quia idem textus Veteris Testamenti duplicem sensum litteralem admittere potest ex n. 953.

998 Arguitur secundò, ex Caietano in Præfat. ad Psalmos. Quilibet Psalmus habet vnicam materiam, & non saltat de genere in genus: quamvis multis locis vtatur ad vnum & idem assumptum, procedendo à causis, ab effectibus, à contrarijs, ab eventibus, à concomitantibus, à circunstantijs, & similibus. Ipsa enim vnius, & eiusdē cantici ratio exigit vnitatem subiectæ materiæ. Probat communis vsus scribentiū; Exposcit divina sapientia disponens omnia suaviter, ac per hoc movens Prophetā ad scribendum, prout homini congruit scribere vnum canticum, quod est servare vnitatem materiæ in vno eodemque cantico. Hactenus Caietanus. Ex quibus verbis inferri videtur, in nullo Psalm. & consequenter in nullo cap. totius Scripturæ saltum ab vna materia in aliam admitti posse. Inferri etiam videtur, nullum Psalmū, aut cap. Scripturæ hic intelligi posse de aliqua persona Veteris Testamenti, aut aliquibus, & po:

Digitized by Google

postea de Christo, aut prius de Christo, & postea de illis.

999 Respondeo negando antecedens. Sæpè namque in vno eodemque Psalm. & cõsequenter cap. Scripturæ Hagiographus, seu Scriptor Sanctus saltat ab vna materia, & persona ad aliam: à Christo ad alios ante eum, & ex adverso. Ita communiter SS. PP. Scholastici, & Interpretes speciali. ter Hieronymus in cap. 2. Nahum dicens: Hinc vel maximè obscuri sunt Prophetæ, quia repente dum aliud agitur, ad alios persona mutatur. Idem Hieronymus lib. 5. Isaiæ cap. 16 ait: Omnis prophetia ænigmatibus involuitur, & præcisis sententijs, dum de alio loquitur, transit ad aliud, ne, si ordinem Scripturæ conservet, non sit ratiocinium, sed narratio. Et cap. 1. Malach. Et Gregor. homil. 5. in Ezequielem in principio sic ait: *Consuetudo Prophetiæ est, nunc istâ, nunc illa conspicere*, & lib. 4. Moral. cap. 28. Augustin. lib. 20. de Civitat. cap. 21. & alibi. Bellarminus in Psalm. 71. & cæteri omnes, qui supponunt, dari in sacra Scriptura non paucas digressiones.

(*)

(*)

QVÆSTIO XXI.

An quando libri Veteris Testamenti citantur in Novo, semper citentur tantum in sensu literali?

1000 Respondeo negative. Sæpè namque citantur in sensu mystico, & à Spiritu Sancto intento. Sic citatur textus Gen. 21. v. 10. ab Apostolo ad Galat. 4. v. 30. Citantur etiam in sensu accommodatitio, ideſt quem vnusquisque pro suo arbitrio facere potest: modo pie, vere, probabiliter, ac prudenter absque vlla falsitate, vel absurditate id faciat. Videndus est Vazquez 1. p. disp. 13. cap. 2. De quo accommodatitio sensu infra à q. 43. huius disp.

QVÆSTIO XXII.

An literaliter convenire possit figuræ, quod de figurato mystice dicitur?

1001 Explicatur titulus. Veteris Testamẽti insignes viri, & heroes, v. g. Noe, Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, David, Salomon, & alij fuerunt figura, signum, typus, & præsagium quoddam Christi Domini, & eorum, quæ in ipso

Digitized by Google

ipso contigerunt vmbra quæ dam. Inquirimus ergo, an in sensu litterali huiusmodi figuris, & signis conveniat, quod in sensu mystico Christo Domino figurato, & significato convenit: Negativè respondere videtur Lyranus lib. 2. Reg. cap. 7. v. 14. & ad Psalm. 71. & alibi.

1002 Tanquam certum respondeo, posse. Implicat enim, aliquem ex prædictis viris insignibus, v.g. Salomonem fuisse typum Christi Domini (vt videtur fuisse loc. cit. Reg,) & quod aliunde ipsi Salomoni in sensu litterali vero, & proprio non conveniat id, in quo est typus Christi Domini. Figura enim significat per veram similitudinem, & convenientiam cum re figurata. Ergo inter vtramque debet dari vera relatio similitudinis: & figura debet esse similis figurato in eo, penes quod est eius figura. Ergo figura debet esse sicut res figurata. Relatio enim similitudinis consistit in eo quod vna res sit sicut alia. Ergo debet typo, & figuræ convenire, de eaque verificari id, in quo est typus, & figura rei figuratæ, vt constat ex Philosophia. Insuper figura, & figuratum, signum, & significatum sunt correlativa. Videndus est Curs. Philosph. Trinit. tom. 1. num. 114. 1102. 1106. 1107. & tom 3. n. 3760. Sed nemo vere significatur, aut præfiguratur nisi penes aliquid, quod in ipso revera invenitur. Quandoquidem vera significatio, & vera præfiguratio est præsagium quoddam eius, quod postea in alio erit. Ergo si Salomon, v.g. fuit Christi figura, litteraliter verificatur de Salomone, quod mysticè verificatur de Christo.

QVÆSTIO XXIII.

An aliquando eadem sacra verba litteraliter significent figuram, & rem figuratam per illam?

1003 SVb his terminis eam proponit Antonius à Matre Dei Prælud. 3. num. 106. & negative respondet cum Francisco Ribera in Oseam cap. & v. 11. Sub alijs terminis potest proponi: an nimirum eadem Scripturæ sacræ verba vnam, & eamdem rem mysticè, & litteraliter significent.

1004 Respondeo ergo probabilius affirmativè cum Cornelio à Lapide, Sherlogo tom. 1. in Cant. Anteloq. 11. sect. 6. num. 55. Probatur primò. Idem textus Scripturæ sacræ ex dictis à num. 953. in sensu litterali res diversas significare potest. Ergo similiter idem textu in eodem sensu litterali figuram, & simul rem figu-

Digitized by Google

gurata significare potest. Tunc vltra. Hoc nihil aliud est, quam quod idem textus eamdem rem simul litteraliter, & mystice significet. Ergo ita significat.

1005 Probatur secundò, & explicatur nostra conclusio ex præallegato textu Isaiæ cap. 53. *Verè languores nostros ipse portavit.* In sensu enim proprio litterali significat textus iste, quod Christus curaturus esset corporales morbos: in sensu vero litterali improprio spirituales animæ morbos, seu peccata. Quare litteraliter saltim impropriè, & mysticè simul textus ille significat peccata. Ergo.

1006 Probatur tertiò. Parabolæ, parabolicæque Prophetarum visiones probabiliter duplicem litteralem habent sensum; proprium nimirum, & metaphoricum. Et huius generis est ea, quæ habetur Lucæ 8. *Exijt, qui seminat, &c.* Et vterque sensus est intentus à Spiritu Sancto. Insuper huiusmodi parabolæ mysticè significant rem illam, propter quam significandam adducuntur. Igitur significant vnam, & eamdem rem mysticè, & simul litteraliter.

1007 Arguitur primò. Implicat, quod eadem res sit vmbra corporis, & simul ipsum corpus. Ergo, & implicat, quod sit simul figura, & corpus, & res figurata, vel veritas figuræ. Ergo & implicat, quod eadem verba litteraliter significent figuram, & vmbram, & simul eiusdem figuræ veritatem, eiusdemque vmbræ corpus. Ergo & implicat, quod idem textus eamdem rem mysticè, & litteraliter significet.

1008 Argumentum istud inefficax existimatur à P. Antonio à Matre Dei dicto prælud. 3. num. 106. Quia licet in esse physico vna, & eadem res nequeat esse vmbra, & corpus, quia istud est positivum, & causa illius, quæ est privatio; nihilominus in esse representativo, & secundum quod figura est vmbra, & res figurata est corpus: potest vna, & eadem res respectu diversorum esse figura, & res figurata: corpus, & vmbra, signum, & signatum. Est expressa doctrina Divi Thom. 3. p. q. 48. art. 1. & 2. Christus enim Dominus fuit signum, & signatum. Fuit figuratus in Veteri Testamento, & consequenter veritas, & corpus illarum figurarum, & vmbrarum. Fuit insuper vmbra, & figura eorum, quæ nos facere debemus, vel respectu sui ipsius. Quia ipsemet Christus Dominus baptizatus in Iordane fuit figura sui ipsius, vt mortui, & sepulti. Nec inconvenit, quod quæ initio vitæ Christi gesta sunt, essent fi-

Digitized by Google

figura mortis, Resurrectionis, & aliorum mysteriorum. Quod explicant Sherlogus, & Antonius à Matre Dei exemplo Regis, qui reportata insigni victoria de hostibus, in eius laudem, & memoriam, ad populique lætitiam spectacula fieri præciperet, & ipse Rex ludicrum introiret Martem, quæ olim in vero bello gesserat, nunc in imaginato, phantastico, & simulato gerendo. Quæ omnia melius explicantur in eodem Christo Domino, qui in sua vltima, & sacratissima Cœna, in Ara Crucis, & quotidie in sacrificio Missæ est sacrificium, & Sacerdos mirabiliter, & ineffabiliter constitutus. Et communiter dicitur, quod creata Dei cognitio in esse physico est creatura: in esse vero repræsentativo, & intentionali est Deus.

1009 Quæ omnia clarius percipientur, si notetur quæ N. Emman. explicat in suo Curs. Philos. tom. 1. à n. 1102. In primis enim potest vna, & eadem res realiter esse signum, & res significata. Deinde voces significant immediatè primario, & directè tam res, quã conceptus & idem videtur dicendum in præsenti.

1010 Arguitur secundò. Si vnus, & idē textus vnã, & eamdē rem mysticè, & litteraliter simul significaret; litteralis metaphoricus sensus formaliter non distingueretur à mystico. Hoc est falsum. Ergo & illud. Respondeo distinguēdo maiorem: non distingueretur ex parte rei significatæ, concedo. Ex parte modi significandi: nego maiorem. Textus enim eamdē rem mysticè, & simul litteraliter significans prout litteraliter eam significans, eam immediatè significat. Cæterū prout mysticè eam significans, solū mediate eam significat. Quia typus ipse, forma, figura, adumbratio, exemplar, imago, vel symbolum ex intentione Spiritus Sancti sibi vendicat totam immediatam veritatis, vel Prototypi rationem.

QVÆSTIO XXIV.

An sensus litteralis subdividi possit in Allegoricum, Moralem, & Anagogicum?

1011 NEgare videtur Antonius à Matre Dei prælud. 3. n. 32. Cuius fecimus mentionem n. 930. Sed respondeo probabilius affirmativè, loquendo rigorosè, cum P. Serario in Prolog. cap. 21. q. 3. n. 7. & q. 7. n. 2. & 4. Probatur. Si textus immediatè docet fidei mysteria ad huius vitæ statū pertinētia, sensus litterarius est allegoricus, v.g. Matt. 1. *Liber generationis*, &c. Si mores instruit, litteralis

Digitized by Google

sensus est Tropologicus, vel Moralis, v.g. Proverb. 7. *Fili mi custodi sermones meos, &c.* Si denique cœlestis vitæ mysteria tradat, dicitur Anagogicus, v.g. 1. ad Corinth. cap. 2. v. 9. *Quod oculus nō vidit, &c.* Hæc subdivisio, esto propria, & rigorosa, non est in vsu. Vide inf. n. 1043.

1012 Notandum est, hæc nomina: *Allegoricus* sensus, *Tropologicus*, & *Analogicus* aliquādo inter se confundi. Sicut etiam sensus *Allegoricus* quandoq; cū *Mystico*, vel Spirituali confunditur. Videndi sunt Hieronymus in Amos c. 4. Augustinus tom. 6. in lib. de vtilit. credendi cap. 3. D. Thom. 1. p. q. 1. art. 10. ad 2. Notandum insuper est, *allegoriā*, vel sensum Allegoricū cum sensu litterali Metaphorico confundi, eo forsam quia alia est Allegoria verborum, alia verò *Allegoria rerum* sive facti. Allegoria verborum est quædam perpetua, & continuata metaphora, atq; inversio. Allegoria vero rerū est sensus mysticus. Vide sup. n. 949.

QVÆSTIO XXV.

Quisnam sit litteralis sensus in visionibus Propheticis?

1013 PRima sententia specialiter loquens circa visionem Danielis: *Hircus caprarum veniebat ab Occidente, &c. percussit arietem*, asserit litteralē sensum esse visionē illam, quæ per modū historiæ refertur de fictis animalibus, hirco nimirum, capris, ariete, &c. spiritualem vero sensum esse significationem bellorum, & regnorum Alexandri Mag. Græcorum Regis, & Darij ab eo victi. Ita Galarça lib. 3. instit. Evangelicarum cap. 3. apud Antonium à Matre Dei prælud. 3. num. 109.

1014 Secunda sententia tenet, litteralem sensum prædictæ visionis, & aliarum similium non esse imagines, & figuras fictorum animalium hirci, &c. seu ipsas figuras, sed quod per tales figuras significatur in sensu litterali metaphorico, in quo per hircū Alexander Mag. ratione agilitatis: per arietem vero Darius ab eo victus, significantur. Sic in omnibus metaphoricis loquutionibus sensus litteralis est non illud, quod verba, vt sonant, significant, sed quod loquens vult significare per illa. Ita D. Th. quodlib. 7. art 15. ad primum. Salmeron Prolog. 19 & alij communiter. Vide sup. n. 816.

1015 Probatur. Huiusmodi imagines & figuræ in dicta visione, & similibus non significantur, vt quod, sed vt quo: vt in simili inquit N. Emman. in suo Curs. Philosoph. tom. 1. num. 1124. de vocibus, quæ sig-

Digitized by Google

significant conceptus vt *quo*, non vt *quod*. Ergo huiusmodi imagines, vel figuræ non pertinent ad sensum litteralem. Quia ad hunc non pertinet id, *quo*, sed id, quod immediate significatur. Sicut enim voces sunt signa rerum, & conceptuum, sic imagines in dicta visione, & similibus.

QVÆSTIO XXVI.

An quicumque sensus Scripturæ sacræ, qui in vna parte non est litteralis, in alia parte necessario sit litteralis, vel litterarius?

1016 PRima sententia est affirmativa, quã tenent Scotus & Scotistæ, præsertim Montepilosus tom. 1. in 1. p. disputat, & art. 7. Quibus subscribere videtur Doct. Salmeron Prolog. 19. can. 5. dicens, nihil esse sub sensu spirituali alicui loco tribuendum, quod non per aliũ locum in sensu litterali manifeste traditũ inveniatur; vt quamquam quæ vno loco exponuntur, ad Tropologiam, vel Allegoriam spectent, in alijs tamen locis ad litteram dicta ostendantur. Refert pro sua sententia August. lib. 1. de doctr. Christ. cap. 27.

1017 Secunda sentẽtia est negativa, quam tenent Bellarminus controv. 1. lib. 3. cap. 2. ad 6. arg. & communiter SS. PP. Scholastici, & Interpret. En Bellarmini verba: *Quædam reperiuntur obscurissima, quæ nunquam in tota Scriptura explicantur, vt magna pars Apocalypsis: principiũ, & finis Ezechielis, &c.* Omnia enim, quæ ab exordio nascentis Ecclesiæ, in ea cõtigerunt, cõtingunt, & cõtingent, mysticè referũtur in Apocalypsi: qua nulla alia Scriptura est difficilior intellectu, vt omnes testificãtur SS. PP. Scholastici, & Interpretes. Assignẽt ergo contrarij, in qua parte Scripturæ sacræ hęc omnia litteraliter habeantur. Ad hæc. Si hæc litteraliter haberentur. Apocalypsis, & Prophetiæ adeò obscuræ, & pene inintelligibiles non forent.

1018 Peringenue fatemur, quod lex, & Prophetæ, sicut & Evangelistæ miram habent consonantiam & concentum: quod in eodem Evangelio litteraliter tradantur, quæ in lege, & Prophetis mysticè, & allegoricè dicuntur, & sunt ad salutem necessaria. In quo sensu explicandus est August. loc cit cum D. Th. 1. p. art. 10. ad primum dicente: *Nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifestè non tradat.* Quod non obstat, vt aliqua, quæ scire non est necessarium ad salutem, & my-

mysticè continentur in Scriptura sacra, nullibi litteraliter exprimantur.

QVÆSTIO XXVII.

An præter sensum litteralem Mysticus, vel spiritualis in Scriptura sacra admittendus sit?

1019 SCripturæ sacræ sensum num. 918. divisimus in litteralem, & spiritualem, seu Mysticum. In superioribus actum est de litterali. Supereſt, vt de spirituali agatur. Sensus ergo Spiritualis, vel Mysticus dicitur ille, quem intendit Spiritus Sanctus mediatè significare per verba: proxime vero, vel immediatè per res, quas verba ipsa proximè, & immediatè significant, quando narrat aliquam historiam, vel dicit aliquam rem. Vnde sensus iste mysticus tunc reperitur, quando res gestæ, ac verbis significatæ a Deo, applicatur ab ipso Deo ad alias significandas. Quare tunc Deus nobiscum loquitur rebus ipsis, vel eisdem vtitur rebus per verba proximè significatis, tanquā signis ad significandas quaslibet res.

1020 Sic communiter describitur sensus mysticus. Quem sensum mysticum dari posse, imò, & dari, tam Deus ipse, quā homines, qui sapientia, divinarumque rerum cognitione præstant, manifeste testantur. Si namq; homines rebus ipsis sæpè locuti sunt, vt refert Aristoteles lib. 3. Polit c 9. de Periandro, & Tarquino, quorū ille super eminentes spicas demetebat, & segetem æquabat: omniū civium æqualitatē conducere significans: hic papaverū capita decutiebat, volēs significare Gavinos è medio tollendos esse: multo magis Deus poterit rebus ipsis loqui.

1021 Vocatur autem iste sensus Mysticus, quia latet ipse in litterario abditus, & occultus, velut arcanū quid. Dicitur etiam *spiritualis*, quia ipse inest in re, quæ verbis proximè, & immediatè significatur, sicut spiritus in carne, anima in corpore. Dicitur denique *Typicus*, id est *Allegoricus*, seu figurativus, quia res, quādo signa proxima sunt voces, sunt figuræ, signa, & typi aliarum rerum iuxta illud Ap. 1. ad Corint c. 10 v. 11. *Omnia in figura contingebant illis.*

1022 Explicatur sensus iste mysticus. Gen. 14. refert Deus Israelitarū transitum per mare rubrū, Moyse cū virga ductore. Et intēdit significare hominis transitum de peccati servitute ad Dei filiationē, & Spiritus libertatem, Christo cum Cruce, & meritis suis ductore. His breviter prælibatis,

Digitized by Google Tri-

1023 Triplex sententia referri potest. Prima est absolutè negativa, quam tenent Veteres, & Recentes Hæretici haud pauci, litteralem, vel mysticum tanquam verum figmentum, ab hominibus novitatum amatoribus inventum, reijcientes. Hanc eamdem sententiã attribuunt Hæretici, & nonnulli Catholici Illustrissimo Abulẽs. in cap. 2. Matth. quæst. 57. & quæst. 28. in cap. 13. eiusdem Matth. & quæst. 74. in cap. 6. Iosue, in quibus locis solum litteralem sensum, tanquam à Spiritu Sancto intentum, admittere videtur. Huius opinionis, vel potius erroris Auctor fuisse videtur Erasmus, qui Sanctorum PP. laborem in eruendis sensibus mysticis otiosorum hominum appellat ludum. Illustriss. Abulensem non consensisse cũ Hæreticis, licet dissenserit à communi Catholicorum sententia, probare contendit Antonius à Matre Dei prælud. 3. à num. 5. Sed, ni fallor, irrito conatu.

1024 Secunda sententia primæ ex diametro opposita, asserit, in Scriptura sacra solum dari sensum spiritualem, aut mysticum, nullum verò litteralem. Ita Sebastianus Franchus, blaterans temere, litteralem sensum esse Anti-Christi gladium, quo Sancti necandi sunt, apud Vazq. 1. p. disp. 13. n. 6 Ad quam sententiam, vel potius errorem proximè accedere videntur, qui littera omnino prætermissa, toti sunt in eruendis mysticis sensibus. De quorũ numero absdubio fuit Origenes in omnibus suis operibus, qui sæpius, quam par erat, Scripturã sacram in sensu mystico explicuit, & liberis Allegoriæ spatijs evagatus ingeniũ suum fecit Ecclesiæ Sacramenta, vt Hieronymi vtar verbis in Præf. decimæ visionis Isaiæ ad Amabilem Episcopũ. Ob eamque causam à Doctoribus iure summo passim reprehenditur idem Origines. Deserto enim, vel despecto sensu omni litterali, vt ab Origine, & reliquis, huius sententiæ, vel erroris patronis pene deseritur, fidei nostræ firmitas corruit. Vide suprà à num. 938.

1025 Tertia sententia asserit, præter sensum litteralem necessario admittendum esse spiritualem, vel mysticum. Ita omnes Catholici, excepto Abulensi. Quam sententiam esse de fide, sentiunt plures. Videndus est præ omnibus Angel. Doct. 1. part. quæst. 1. art. 10. quodlib. 7. art. 14. 15. & 16. de potent. quæst. 4. art. 1. in 4. dist. 21. q. 1. art. 2. quæstiunc. 1. ad 3. & ad Galat. cap. 4. lect. 6. cum Bellarmino lib. 3. de verb. Dei, cap. 3. Salmerone Prolog. 7. pag. mihi 91.

Digitized by Google

1026 Hæc tertia sententia sit nostra vnica conclusio. Probatur primo ex Apost. 1. ad Corinth. cap. 11. vbi præter sensum litteralem mysticum, vel typicũ expressè admittit: quando inquit: *Omnia in figura contingebant illis.* Similiter Allegoricum ad Galat. 4. dum ait: *Quæ sunt per Allegoriam dicta*: vel vmbratilem: cum inquit ad Hebræos 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.*

1027 Probatur secundò: quia Ionæ historia in cæti ventre triduo demersi præter litteralem sensum habet mysticum, & spirituale de sepultura Christi. Similiter illud Exodi 12. v. 46. præter proprium sensum litteralem de Agno Paschali assò, habet mysticum, & spirituale, quem ei tribuit Ioann. 19. v. 36.

1028 Probatur tertiò. Quia vniversa Ecclesia Catholica duplici sensu semper vsa est. Similiter hunc duplicem sensum litteralem nimirum, & mysticum Christus Dominus, & ipsius Apostoli agnoverunt, & iam in vno, iam in altero Scripturas sacras interpretati sunt.

1029 Arguitur primò. Scriptura sacra debet esse clara. Tum, quia omnibus est scripta. Tum, quia eius intentio est perducere homines ad vitam æternam, ad huiusque spectationem eos attollere. Sed non esset clara, si daretur in illa sensus spiritualis, & mysticus, cum iste sit obscurus, & absconditus. Ergo non datur talis sensus mysticus.

1030 Respondeo cum D. Thom. quodlib. 7. art. 14. ad 2. Hieronymo lib. 7. in Isaiam cap. 18. August. lib. 2. de doctr. cap. 6. negando maiorem. Expedit enim, & quidẽ valde, quod Scriptura sacra sit obscura, & quod egeat elucidatione, vt nostram reprimat superbiam: vt fidei veritates ab irrisione infidelium defendantur; ne pretiosæ margaritæ in Scripturis sacris latentes conculcentur à porcis; ne Sancta contaminentur ab immundis. De quo infra agemus.

1031 Arguitur secundò: Ex sensu mystico nullum efficax potest sumi argumentum Theologicum. Ergo est inutilis talis sensus Mysticus. Ergo non datur. Respondeo negando antecedens ex dicendis.

1032 Arguitur tertiò. Si daretur sensus mysticus, iste confunderetur cũ litterali metaphorico. Hoc implicat. Ergo, & illud. Respondeo ex dictis num 1010. negando maiorem.

(·?·)

(?)

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO XXVIII.

Vtrùm in omnibus Scripturæ sacræ textibus, præter sensum litteralem, sit etiam admittendus aliquis sensus mysticus?

1033 NEgant aliqui relati à Thoma Delbene tom. 1. Theolog. disp. 1. quæst. 24. notabili 1. dicentes, in Novo Testamento nullum dari mysticum sensum, licet in Veteri admittendus sit.

1034 Secunda sententia huic extreme opposita asserit, nullum esse locum tam in Novo, quàm in Veteri Testamento, qui præter litteralem sensum, non habeat mysticum. Ita Payva in doctrinal. lib. 1. cap. 28. num. 7. & refert pro sua sententia Hieronymum, & Augustinum.

1035 Tertia sententia est media, & asserit, non in omnibus textibus vtriusque Testamenti dari sensum mysticum, dari tamen in multis. Ita Communiter Recentiores, quos refert, & sequitur Antonius à Matre Dei Prælud. 3. n. 131.

1036 Dico primò. In plerisque Veteris Testamenti partibus est sensus mysticus. Ita Hieronymus in Proverb. comment. ad Isaiam, Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 7. D. Thom quodlib. 7. art. 15. ad 5. Quæ conclusio, salva fide, nō videtur posse negari ex dictis num. 1026. Et si Abulensis negavit omnem sensum mysticū à Spiritu Sancto intentum, & dixit mysticum sensum Scripturæ esse dumtaxat hominum ingenio, & concionatorum arbitrio deductum: ideo talem sensum mysticum negavit, quia istum non rectè definivit. Potest enim Deus per res ipsas proximè significare alias res Et hoc ad excellentiam, & Scripturæ sacræ dignitatem pertinet.

1037 Dico secundo. Non in omnibus, & singulis, etiam minutissimis Veteris Testamēti particulis est sensus mysticus. Ita Hieronymus tom. 5. in cap. 1. Ionæ, & lib. 2. comment. ad Galatas cap. 4. v. 24. Augustin. lib. 17. de Civit cap. 3. Gregor. epist. in exposit. libri Iob cap. 4. D. Thom. loco cit.

1038 Dico tertio. Non reperitur sensus mysticus in omnibus, & singulis Novi Testamenti particulis. Ita SS. PP. secunda conclusione relati. Vtraque conclusio, secunda nimirum, & ista tertia simul probatur, & primo sic. Sunt enim plurimæ particulares personæ, actiones, loca, vrbes, & res, quæ per se ipsas immediatè proximè non videntur significare

Digitized by Google

aliud, quod aut fidei, aut bonæ actionis, aut spei materia, seu obiectum sit. Ergo in textibus illis, in quibus de his agitur, nec reperitur sensus Allegoricus, nec Tropologicus, nec Anagogicus. Ergo nullus sensus mysticus reperitur in talibus testimonijs. Sensus enim mysticus in prædicta membra adæquatè dividitur, ex dicendis num. 1043.

1039 Probatur secundo inquirendo ab adversarijs, quē mysticum habeant sensum textus illi, qui immediatè agunt de Deo Vno, & Trino, de præceptis, & consilijs. Testimonium v.g. Illud Ioann. 10. *Ego, & Pater vnum sumus.* Illud eiusdem Ioann. epist. 1. cap. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres vnum sunt.* Illud Genes. *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Illud Psalmi 33. *Declina à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.* Et alia similia. In eis quippe nullum mysticum invenies sensum, sed solam litteralem expositionem. Semper enim est litteralis expositio ea, in qua verba exponentia, & exposita idem immediatè significant, licet cum hoc discrimine, quod quæ exponuntur significant implicitè, & obscurè, adinstar definiti formalis. Quę vero exponunt, significant explicitè, & clarè adinstar definitionis formalis. Sic autem, & non aliter possunt exponi præiacta testimonia.

1040 Dico quartò. In Novo Testamento reperitur sensus mysticus, in paucioribus tamen, & rarioribus partibus, quam in Veteri Testamento. Ita Div. Thom. loco citat. & reliqui SS. PP. qui mysticè, & spiritualiter exponunt in Novo Testamēto plura Veteris testimonia, testificantes, Christū Dominum omnium antiquorum impleviſſe Prophetias iuxta illud Lucæ cap. vltim. v. 44. *Necesse est impleri, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me*: & quod repetitur ab Evangelistis: *Vt impleretur*: *Tunc adimpletum est, quod dictum est.* Videndus est Div. Thom. 1. part. quæst. 1. artic. 10. vbi vtramque conclusionis partem hisce probat verbis ex Dionysio desumptis: *Nova lex est figura futuræ gloriæ. In novā etiam lege ea, quæ in capite sunt gesta, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus.*

(*)

(*)

****

****

****

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO XXIX.

An habere sensum Mysticum, & Spiritualem, sit proprium solius Scripturæ sacræ?

1041 AFfirmativam sententiam expresè tenent Augustin. epist. 49. quæst. vltim. & tract. 24. in Ioann tom. 9. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 1. D. Thom. 1. p. quæst. 1. art. 10. & communiter Scholastici. & Interpret. Vazq. cit. loco disp. 16. c. 1. Probatur ratione D. Th. hæc sententia, quæ est nostra conclusio vnica. Auctor Scripturæ sacræ, qui est solus Deus, & nemo alius accommodare potest vnã rem ad aliam significandam, quæ non dum facta est, sed facienda, & figura, huius futuritionem infallibiliter prædicendo. Ergo habere sensum mysticum, & spiritualẽ, est propriũ Scripturæ sacræ.

1042 Explicatur ista ratio D. Thom. Nulli hominum solis viribus naturalibus derelicto datum est, per verba in sensu mystico ad litteralem superaddito, significare infallibili certitudine res futuras, à libera Dei, vel hominum libertate dependentes. Potest autẽ Deus. Ergo habere sensum spiritualem, est proprium solius Scripturæ sacræ, cuius Auctor principalis est Deus, & nulli alteri Scripturæ competere potest. Ad hæc. Deus in Scripturis sactis, necdum accommodat voces ad significandas res (quod & faciunt homines) sed etiam mystice significat vnas res per alias, non quomodocumque, sed ita taliter, vt tanquam causa, aut faciat, aut saltem permittat ipsas res significantes tãquam signa instituta ad alias res infallibiliter significandas. Huiusmodi autem finis cũ prædictis circunstantijs soli Scripturæ Divinæ; nulli autem humanæ, nec Ægyptiorum, aliarumque Gentium Hieroglyphicis, & Symbolis, nec Æsopi fabulis competere potest. Vide Bellarminum tom. 1. lib. de verb. Dei, cap. 9. Antonium à Matre Dei prælud. 3. à n. 136.

QVÆSTIO XXX.

Quotuplex sit Spiritualis, & Mysticus Scripturæ sacræ sensus?

1043 HVius quæstionis resolutio pene exciderat è memoria. Respondeo absolutè, Mysticum Scripturæ sacræ sensum esse triplicem, Allegoricum nimirum, Tropologicum, & Anagogicum. Si enim res, quæ in Scripturis sacris rebus alijs sig-

nis

Digitized by Google

nificantur, significant res credendas in statu viæ, & ad Ecclesiam militantem pertinentes, sensus dicitur Allegoricus. Si res charitatis, & agendas à nobis viatoribus: dicitur sensus Tropologicus, vel Moralis. Si denique significant res sperandas, ad spem Ecclesiamque triumphantem pertinentes, appellatur sensus Anagogicus. Vide supra n. 1011.

1044 Desumitur divisio ista ex Div. August lib. 1. super Genes. cap. 1. D. Thom. 1. part. quæst. 1. art. 10. Qui omnes tres mystici, & spirituales sensus quandoque alijs, & alijs exprimuntur nominibus, & simul cũ sensu litterali sequenti carmine exponuntur:

Littera gesta docet: quid credas Allegoria:
Moralis quid agas: quo tendas Anagogia.

Exemplum horum quatuor sensuum est nomen istud *Hierusalem*. Quod in sensu litterali significat terrenam illam, & cunctis notissimam *Hierusalem. In Allegorico Sanctam Ecclesiam militantem. In Tropologica animam iustam. In Anagogico denique fœlicitatem æternam.* Iuxta quem quadruplicem Scripturæ sacræ sensum, quatuor principales extant in Ecclesia Doctores, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, & singuli in singulis sensibus explicandis singulariter excelluerunt: Hieronymus in litterali, Ambrosius in Allegorico, Augustinus in Anagogico, & Gregorius in Morali, seu Tropologico.

QVÆSTIO XXXI.

An ex sensu spirituali possit desumi firmum, & solidum argumentum ad fidei res probandas, & ad Hæreticos coarguendos?

1045 PRima sententia absolutè est negativa. Quã tenere videntur Hieronym. ad cap. 3. Matth. Augustinus lib. de vnit. Eccles. cap. 24. D. Thom. 1. p. quæst. 1. art. 10. ad 1. Salmeron Prolog. 19. Bellarmin. lib. & cap. 3. de Interpretat. verbi Dei. Abulens. quæst. 57. in cap. Matth. & alibi.

1046 Secunda est absolute affirmativa. Quam tenent Pereira tom. 4. in Genes. disp. 7. Lorinus in Acta Apost cap. 2. Vazq. 1. p. disp. 16. cap. 4. num. 13. Bañez 1. p. q. 1. art. 10. dub. vlt. Eamdem tenet sententiam sub certis limitationibus Antonius à Matre Dei prælud. 3. à num. 120.

1047 Sit nostra prima conclusio. Per se ex Scriptura sacra in sensu mystico accepta, potest desumi argumentũ efficax,

Digitized by Google

eax, & firmum ad confirmandas fidei res, & Hæreticos coarguendos. Ita Auctores secundæ sententiæ. Probatur. Potest desumi tale argumentū ex Scriptura sacra in sensu litterali accepta, vt omnibus Catholicis est in confesso ex num. 979. Ergo & ex eadem in sensu mystico accepta. Consequentia est optima. Quia vterque sensus supponitur, quod sit intentus à Spiritu Sancto, qui numquam fallere, aut falli potest ex numer. 696.

1048 De industria dictum est in conclusione *Per se loquendo*: hoc est, si nobis constiterit certè, & evidenter ex revelatione divina, Apostolicis traditionibus, Ecclesiæ, vel omnium Sanctorum PP. & Scholasticorum consensu. Si enim tantum modo probabiliter nobis constaret, esse sensum à Spiritu Sancto intentum, solum probabile possemus inde sumere argumētum, vt rectè notavit Canus, & in hoc sensu intelligo Sanctos PP. pro prima sententia relatos.

1049 Sit secunda conclusio. Simile efficax argumētum minus frequenter desumi potest ex Scriptura sacra in sensu mystico accepta, quam in litterali. Quia non ita frequenter constat an sensus mysticus sit à Spiritu Sancto intētus, sicut nobis constat de litterali.

1050 Ex dictis facilè componi possunt ambæ sententiæ. Ideo dixit Bellarminus lib. & cap. 3. *Non semper constat, an sint à Spiritu Sancto intenti sensus mystici.* Et Serarius cap. 21. quæst. 10. *Sensus mystici ædificant quidem, sed non probant: suadent, sed non persuadent: & movent, & non trahunt, aut cogunt.* Et P. Molina 1. p. q. 1. art. 10. ferè dicit idem.

QVÆSTIO XXXII.

An sensus Mysticus dignior, & excellentior sit litterali?

1051 Affirmativè respondet Mag. Zumel 1. part. q. 1. art. 10. Negativè verò respondet Salmeron Prologom. 7. Cum distinctione respondent Serarius in Prologomenis cap. 21. q. 10. Antonius à Matre Dei prælud. 3. num. 165. & alij, His subscribens.

1052 Dico primò. Sensus litteralis, & sensus mysticus se habent tanquam excedens, & excessum. Conveniunt quidem in eo, quod vterque est intentus à Spiritu Sancto: verbis significatus, vtque homines ad vitam æternam perducantur. Differunt in eo, quod sensus litteralis immediatè significatur verbis, Mysticus verò mediatè. Constat ex num. 918. & 920.

&

Digitized by Google

& alibi. Differunt insuper in eo quod sensus litteralis sit basis, radix, & fundamentū mystici, vt ex dictis constat. Insuper litteralis sensus reperitur in omnibus textibus independenter à sensu mystico, qui in omnibus non reperitur. Litteralis est magis notus quoad nos, quā mysticus. Ex litterali sensu efficax semper petitur argumentū, non ex mystico.

1053 Dico secundò. Sensus litteralis dignior est mystico, quoad aliqua. Patet ex dictis. Dico tertiò. Mysticus sensus Veteris Testamenti, quoad aliqua dignior est litterali. Dignius enim habet obiectū. Sensus quippe mystici Veteris Testamenti obiectū sunt Christus Dominus, illius Sacramenta, miracula, Sanctissima Maria, Ecclesia militans, & triumphans. Obiectum vero sensus litteralis sunt res gestæ ab insignibus viris, & fœminis. Et ipsi, qui ibi referuntur. Sensus iste litteralis ordinatur ad mysticum tanquam medium ad finem. Ergo.

1054 Dico quartò. Sensus litterarius Novi Testamenti excellentior est, sensu Mystico eiusdem. Patet ex proxime dictis. Obiectum enim illius est excellentius. Quia sunt Christus D. eius Sacramenta miracula, &c. Insuper ipsius sensus litteralis magis intenditur à Spiritu Sancto, quam sensus Mysticus.

QVÆSTIO XXXIII.

An Prophetarum visiones, & Parabolæ mysticum habeant sensum?

1055 SVnt gravissimi Theologi, qui asserant parabolas, Prophetarumque visiones non paucas sensu litterali proprio non gaudere, solumque habere improprium, & metaphoricum sensum eorum, quæ per ipsas mysticè significantur. Quam tenent sententiā D. Thom. & Salmerō relati à nobis n. 1014. Insuper Bellarminus, Abulensis, & alij. Et præscindendo pronunc ab ista sententia, negativè respondent ad quæsitū, quoad Prophetarum visiones Salmeron Prologom. 19. Zumel. part. quæst. 1. art. 10. & alij. Idem Salmeron negat etiā sensum mysticum quoad Parabolas Prologom. 11. can. 16. Abulens. quæst. 28. in cap. 13. Matth. & alij.

1056 Probabilius respondeo affirmativè cum Vazquez tom. 1. in 1. part. quæst. 1. disp. 15. cap. 4. num. 12. & 13. & alijs plurimis. Probatur primò. Visiones, & Parabolæ prædictæ, mediātibus rebus gestis, sive vere, & realiter, sive ficte, &

Digitized by Google

& apparenter tantum significant, media illa narratione res aliquas sicut & Apologi Æsopi. & aliorum, & etiam historiæ sacræ. Nihil ergo eis deest, vt mysticus sensus in ipsis reperiatur. Probatur secundò. Sensus huiusmodi mysticus in his visionibus, Paraboliſque ex vna parte non repugnat, & aliunde decet earum dignitatem. Ergo. Vide supra n. 948.

QVÆSTIO XXXIV.

Vtrum necesse fuerit, quod Scriptores sacri, seu Hagiographi cognoverint omnes sensus mysticos verborum suorum?

1057 NEgativè respõdent Vazquez 1. part. disputat. 17. n. 10. Salmeron citatus à nobis num. 979. & alij. Probabilius respondeo sub distinctione, quod Scriptores sacri alij alijs fuerũt excellẽtiores, v. g. Moyses, David, Ioannes Evangelista, Paulus Apost. & alij huiusmodi, qui iuxta maiorem, vel minorem excellentiam plures, vel pauciores cognoverunt sensus tam litterales, quàm mysticos, & aliquando omnes a Spiritu Sancto intentos. In quo sensu intelligo Divum Thom. quodlibet. 7. quæst. 6. art. 14. quæst. 4. de potent. art. 1. & 2. 2. quæst. 172. art. 4. ad 2. & quæst. 173. art. 4. Hieronymum lib. 1. contra Pelag. ad finem, Abulensem quęst. 5. in cap. 18 Deuteronomij. In hoc etiam sensu explico conclusionem positam num. 979.

QVÆSTIO XXXV.

An Scriptura sacra in aliqua actione peccaminosa Mysticè, & Spiritualiter significaverit virtuosam; & ex aduerso in virtuosa peccaminosam?

1058 NEgativè respõdent Canus lib. 2. de loc cap. 5. Ribera, Arrũbal, & pro se afferunt Divum Hieronymum. Quorum ratio est. Quia mala opera, nec fiunt à Deo, nec ordinantur ad significanda bona nec possunt esse horum typus, & figura ex ordinatione divina.

1059 Respondeo longè probabilius affirmativè cum Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Gregorio, Bernardo, Divo Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 2. ad 2. Salmeron Prologom. 19. can. 9. & alijs, quos refert, & sequitur Antonius à Matre Dei prælud. 3. à num. 154. advertens, quod hæc sua, & nostra assertio quemdam Theologum (qui eam ab eodem Antonio à Matre Dei audivit) adeò graviter ali-

Digitized by Google

aliquando offendit, vt postquã totam Civitatem clamoribus, & scandalis impleverit, ad S. Inquisitionis Tribunal ipsum deferre voluerit. Probatur nostra conclusio. Quia tam in opere malo, quam in bono saltem penes esse physicum vtriusque datur aliqua similitudo. Quare actio peccaminosa potest esse typus, & figura virtuosę, & hanc mysticè, & spiritualiter significare. Et ex adverso. Hinc patet ad rationem contrariam.

QVÆSTIO XXXVI.

An viri impij, de quibus in Scriptura sacra fit mentio, sint typus, & figura Christi, eumque spiritualiter significent?

1060 REspondeo affirmativè, & certissimè cum ferè omnibus Sanctis Patribus, quos refert, & sequitur Antonius à Matre Dei prælud. 5. ã num. 161. Probatur ex proximè dictis. Quia potest dari aliqua similitudo inter Christum Dominum, & inter homines impios, penes id, in quo isti non fuerunt mali.

(?)

(?)

*****

QVÆSTIO XXXVII.

An sub ijsdem Scripturæ sacræ verbis plures sint sensus Mystici?

1061 REspondeo primo iuxta dicta num. 953. posse esse tres Mysticos sensus Allegoricũ nimirum, Tropologicum, & Anagogicum num. 1043. explicatos, & specie distinctos. Respondeo secundo, posse etiã esse plures Allegoricos, Tropologicos, vel Anagogicos. Probatur. Plures sunt sensus litterarij proprij in eodem textu. Ergo & Allegorici.

QVÆSTIO XXXVIII.

Quibus verbis, & factis Mysticum, & litteralem sensum commendent Sancti Patres?

1062 REspondeo, quod sequentibus. Mysticum appellant animam, spiritum, ædificij culmen, arboris fructum, & radicem, librum intus scriptum, virum, mundi intelligibilis Peripheriam, seu circunferentiam. Litterale autem appellant corpus, carnem, ædificij fundamentum, arboris corticem, librum foris scriptum, mulierem,

Digitized by Google

rem ; centrum. Factis etiam valde commendant eumdem Mysticum sensum ; quia ipso passim vtuntur.

QVÆSTIO XXXIX.

Qui sint, qui non rectè se gerunt in sensibus Mysticis?

1063 REspondeo, eos se perperam gerere in sensibus Mysticis, qui ex his contra fidem aliquid inferunt, vel qui historiæ veritatem tollunt, vel licet non tollant, nihilominus vel ea ignorata, vel non expensa, sensus fingunt veluti mysticos; qui revera non sunt, eo quod in historia non detur fundamentum ad tales sensus mysticos, nec isti significentur à rebus illis, quæ verbis significantur. Vtinam plures Concionatores in aliquem, ex his scopulis sæpè non impegissent!

QVÆSTIO XL.

An Scripturæ sacræ sensus sit obscurus?

1064 DE Scripturarum sacrarum claritate, & obscuritate varie locuti esse videntur SS. PP. In primis aliqui aiunt, Scripturas sacras adeò esse claras, evidentes, & perspicuas, vt non explicatione, sed sola auditione egeãt. Alij dicunt ex humana oriri negligentia, vt pro cõcionibus explicandæ sint. Tertiò aiunt alij, impie, & nequiter agere eos, qui Scripturas sacras vocant obscuras. Alij quartò dicunt, si quid in vno loco obscurum videtur, in alijs clarissimè exponi. Quinto sentiunt alij, Scripturas Divinas adeò clarè fuisse divinitus conscriptas, vt à quolibet etiam idiota, & opifice mechanico vtiliter legi valeant. Sextò alij aiunt in Scripturis sacris omnia esse lucida, plana, minimeque ambigua. Septimò alij in ista perspicuitate, & evidentia, Scripturas sacras multo præstantiores esse scriptis Philosophorum. Octavò denique alij SS. PP. dicere videntur, Scripturas sacras esse lucernam, & lucem sole ipso clariores, atque illustriores. Hæc & similia leguntur apud SS. PP. & a Serario referuntur, cap. 22 quæst. 1.

1065 Lutherus, & Libertini similiter aiunt, Scripturas sacras esse per se facillimas, apertissimas, nulla interpretatione indigentes, quavis Sanctorum PP. expositione longe clariores, ita tamen, vt singuli, licet rustici, & idiotæ per internum spiritum privatum de vero Scripturæ sacræ sensu iudicare, & omnes fidei controversias nullo negotio decidere pos-

Digitized by Google

possint. Hinc Libertini asserunt, privatum vniuscuiusque spiritum, conscientiæque testimonium esse infallibilem fidei regulam, controversiarumque iudicem. De quibus supra à num. 201. Quidam illorum dicunt, Scripturam sacram prædestinatis esse claram, solis autem reprobis obscuram.

1066 Quibus minimè refragantibus, firmissimè tenēdum est, Scripturam sacram esse valde obscuram multis in locis præcipue quoad sensum literalem. Ita Sancti PP. Et primo Hieronymus ep. 142. & alibi, Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. aiunt, Scripturas sacras, esse obscuras, profundas, difficiles, eas sine Magistro intelligi non posse. Hieronymus ipse in ep. ad Paulinū inquit, Ioannis Apocalypsim plenā esse reconditis mysterijs & tot habere Sacramenta, quot verba. Infinitus forem, si omnium SS. PP. testimonia in medium proferre vellem. Ne omnia prætermittamus: Augustinum ad Ianuarium audiamus: *In ipsis Scripturis nescio multo plura quam scio.* Nulla ars sine Præceptore discitur. Sola Scripturarum scientia est, quam Hæretici sibi omnes vindicāt, præsumunt, docent, antequam discant.

1067 Ad hæc. Licet Lutherus aliquādo dixerit, Scripturam sacram esse ex se clarissimam, postea sibi contrarius sensit, plures in tanta Scripturæ claritate caligare.

1068 Probatur secundo ex testimonio Apostoli Petri in sua 2. epist. cap. 3. v. 16. vbi inquit loquens de epistolis Pauli: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Ad hæc. Sæpè discipuli intelligere non poterant, quæ à Christo dicebantur iuxta illud Matth. 13. v. 36. *Accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: edissere nobis parabolam zizaniorum agri.* Eiusdē Matt. cap. 16. v. 11. *Quare non intelligitis?* Et Luc. 18. v. 34. *Ipsi nihil horum intellexerunt.*

1069 Tertio probatur obscuritas sacræ Scripturæ ex varijs dubijs, circa fidem, & Religionem à SS. PP. excitatis, & ad Sedem Apostolicam missis. Legatur Sap. Becanus in Sum. Theol. part. 2. cap. 3. quæst. 7. Et id ipsum comprobant, & quidem efficacissime tot Sanctorum Patrum, Scholasticorum, & Interpretum commentaria illustrissima, & perpetuus sudor, & labor pro eruendo vero, legitimoque Scripturæ sacræ sensu à Spiritu Sancto intento. Et quis nisi temere dicere audeat, esse clarissimas, & apertissimas Ezequielis de visione qua-

Digitized by Google

quatuor animalium, & Danielis de Septuaginta Hebdomadibus, & de abominatione desolationis Prophetias? Legatur Sap. Salmeron Prologom. 43. Ad hæc. Ad ea, quæ clara, & perspicua sunt, quilibet ex tempore, vt aiunt, & sine vlla hæsitantia respondet. Sed sunt plura in Scriptura sacra, ad quæ quilibet sic respondere nequit. Ergo ea non sunt clara, & perspicua cuilibet. Minor continuo experimento deprehenditur ab Hæreticis ipsis. Et quilibet eorum dicat mihi, quid velit dicere Apostolus 1. ad Corinth. cap. 15. v. 27. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgent?*

1070. Nec obstant Sanctorum Patrum testimonia num. 1064. adducta. Pro quorum intelligentia notandum est primo, Scripturam in se, nec claram, nec obscuram dici posse. Quæ namq; sunt signa ad aliud significandum, aut repræsentandum, ex significatione sua claritatem vel obscuritatem suam simpliciter, & proprie sumunt. Et ratio formalis signi consistit in relatione ad potentiam, & ad rem significatam. Et ex his rationibus, vel respectibus suam claritatem, vel obscuritatem emendicat. Videndus est. N. Emman. in suo Curs. Philosoph. tom. 1 n. 1107. & 1108. Sol propriè, & simpliciter in se ipso dicitur clarus; non quatenus est signū, & quatenus est quid relativū: sed prout est quid absolutū, luce sua in se completum.

1071. Hinc Scriptura sacra triplicem habet respectum, ad res nimirum significatas, ad personas, quibus significat, & admodum, quo illas significat. Signum quippe est, & rei significatæ signum, & alicui est signum. Cum signum sit, quod potentiæ cognoscitivæ aliquid aliud à se repræsentat: vt ait N. Emman. loc. cit. n. 114. Si ergo res significata sit clara, vel obscura, signum clarum, vel obscurum erit. Si personæ, quibus repræsentat rem significatam, istam rectè percipient, similiter signum erit clarum. Sin minus, erit obscurum. Ex vtroque ergo respectu oritur, quod signū bene, recteque, vel male repræsentet.

1072. Secundò notandum est, Scripturam sacram considerari posse quoad omnes suas partes, vel quoad aliquas. Tertiò notandum est, Scripturam sacram dici posse claram, vel obscuram respectu alicuius finis, quem proposuit sibi ille, qui per talem Scripturam aliquid significare voluit. His prænotatis dicendum est primo, Scripturā sacram simpliciter, & quasi obiter, & incidenter consideratam, quoad quædam esse claram, quoad alia esse obscuram, sive

Digitized by Google

res ipsæ significatæ, sive verba significantia, sive personæ, quibus significantur, sive modus significandi spectentur. Patet exemplis. Gen. illud exordium: *In principio Deus creavit cœlũ, & terram*: si obiter, & simpliciter consideretur: clarum apparet. Ex adverso, initium Sancti Evangelij secundum Ioannem: *in principio erat Verbum, &c.* obscurum est quoad res significatas: verba significãtia: personas, quibus significantur: & modum significandi.

1073 Dicendum est secũdò, Scripturam sacram diligẽtius, profundiusque consideratam, atque introspectam, esse obscurã, & difficilẽ quoad res omnes significatas. Ratio est, quia res ipsæ, vel sunt cœlestes, & divinæ, & consequenter nobis obscuræ. Vel sunt res humanæ ordinatæ ad res divinas, & consequenter etiam sunt intellectu difficiles. Constat hoc clarissimè ex innumeris quęstionibus, quas excitant Interpretes super prædictum primum Geneſis textum, & ex continuo labore, & studio, quod SS. PP. adhibuerunt, vt legitimũ eiusdem Scripturæ sacræ assequerentur sensum.

1074 Ex his patet ad Sanctorum Patrum testimonia num. 1064. adducta. Scripturæ enim sacræ, quoad aliquas partes, quasi superficialiter & obiter lectæ, sunt claræ, & perspicuæ. Quoad plerasq; vero partes, & res significatas, accuratè diligenterque discussæ sunt perdifficiles, & perobscuræ, & tales absolute & vniversaliter appellandæ sunt. Quarum tamen obscuritas non est vitiũ, sed valde laudabilis, vt notat Sap. Salmeron. Prolog. 9. can. 49. & latius tot. Prolog. 2. vbi videndus est cum Bellarm. lib. 3. de Verb. Dei, cap. 1. vide etiã quæ diximus à n. 184. & à num. 201. Constat etiam ad illud, quod n. 1065. in fine dictum est. Nemo enim scit, an prædestinatus, vel reprobatus sit: & hoc constat ex Scripturis.

QVÆSTIO XLI.

Quid sit causa obscuritatis Scripturæ sacræ?

1075 SAp. P. Becanus in Summa Theolog. Scholasticæ part. 2. quæst. 8. decem huius obscuritatis causas assignavit. Doctiss. Salmeron duodecim dicto Prologom. 2. Prima causa est magnitudo, & multitudo mysteriorum SS. Trinitat. Incarnationis, Eucharistiæ, Prædestinationis, reprobationis, Resurrectionis, Sacramentorum, &c.

1076 Secunda causa est multiplicitas sensuum tam literalium, quam spiritualium.

Ter-

Digitized by Google

Tertia, futurorum prædictiones, quæ apud Prophetas sunt frequentissimæ. Quarta, apparentes in specie contradictiones, seu Antilogiæ, de quibus num. 901. Quinta, varietas linguarum de quibus à num. 912. Sexta varietas, & multiplicitas figurarum, Troporum, Metaphorarum, Schematum, de quibus à num. 951. & 952. Septima, amplitudo rerum, & scientiarum, & artium; quas Scriptura sacra comprehendit. Octava, diversitas punctuationum. Nona, universalitas propositionum. Decima, æquivocatio, & ambiguitas loquutionum. Undecima, repentina personarum loquentium, & personarum, ad quas fit sermo, mutatio. Duodecima, transitus, sive digressio de littera ad spiritum, de carnalibus ad spiritualia, de temporalibus ad æterna, &c. Decimatertia, anticipationes, quæ fiunt in historijs, non servato rerum gestarum ordine. Videantur prædicti duo Auctores.

QVÆSTIO XLII.

Cur Deus voluerit, Scripturam sacram esse obscuram?

1077 PRęlaudati, licet numquam satis Sap. PP. Salmeron, & Becanus septem sequentes assignant causas. Prima, vt humana, quæ maxima esse solet deprimatur, & edometur superbia, dum ad sensum experitur, se sacras Scripturas intelligere, & penetrare non posse. Secunda, vt ad precandum Deum compellamur, & excitemur nostrâ humilitatem, & insufficientiam recognoscentes. Tertia, vt Scripturæ sacræ in maiori sint honore, & auctoritate. Quæ namque facilia sunt intellectu, contemnuntur à multis. Quarta, vt homines in Scripturæ sacræ studio honestè, vtiliter, & iucunde se exerceant. Quinta, vt ipsæmet Scripturæ sacræ firmius memoriæ imprimantur, & insculpantur. Sexta, vt à studijs inutilibus, & forsitam nocivis, vel peruniciosis homines avocentur. Septima, & vltima, vt sine vllo fastidio in hac splendidissima omnium cœlestium deliciarum mensa, (talis enim est Scriptura sacra) semper epulemur.

QVÆSTIO XLIII.

An præter litteralem, Mysticumque sensum, sit in Scripturis sacris accommodatitius aliquis?

1078 QVoties præter intentionem, scopum, aut institutum Scriptoris, huius verba per aliquem applicantur, & accommodantur alijs rebus, quas

Digitized by Google

quas illa neque proximè, neque remotè significant, sensus dicitur accommodatitius, seu per accommodationē, licet Theodorus Mopsuestenus illum appellet κατὰ τύχην, idest secundum eventum, seu prout rerum exitus dedit, & Caietanus *Transumptivum*. Vide supra num. 999.

1079 Respondeo absolutè, dari in Scripturis sacris accommodatitium sensum. Ita communiter SS. PP. Scholastici, & Interpretes. Probatur primò. Quod absque vlla imperfectione, & nota cunctis conceditur scripturis, non est cur negetur sacris, seclusis imperfectionibus, quæ in istas cadere non possunt. Huius conditionis est accommodatitius sensus. Ergo non est ratio, cur negetur. Consequentia est legitima. Minor est certissima, vt patet in Virgiliocentronibus, & Homerocentronibus, de quibus Hieronymus ad Paulinum, & Tertulianus lib. præscriptionū cap. 39. & in adagijs, seu axiomatibus Gentilium Philosophorū, quæ passim sic accommodātur. Maior vero videtur certissima.

1080 Probatur secundò. Scripturæ sacræ accommodatio est frequentissima apud SS. PP. præsertim Bernardum. Insuper, & inofficijs divinis. Sic quæ dicta sunt Zachariæ cap. 4. v. 11. de Iesu Sacerdote magno, & de Zerobabel: *Isti sunt duæ olivæ, & duo candelabra*: quoad posteriora verba per Ecclesiam Catholicam accommodantur Nostris Sanctissimis Parentibus Ioanni, & Felici in festo omnium Sanctorum Ordinis nostri Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum in 2. respons primi Nocturni: & quoad omnia applicantur Principibus Apostolorū Petro, & Paulo, & Sanctis Martyribus Ioanni, & Paulo. Similiter Evāgelium Lucæ cap. 10. v. 38. de Martha, & Magdalena accommodatur festo Assumptionis B. Mariæ Virginis.

1081 Antonius à Matre Dei Prælud. 3. n. 166. negativè respondet ad hanc quæstionē. Revera tamen postea nobiscū consentit, vt ipsum legenti liquido constabit.

QVÆSTIO XLIV.

An sensus iste accommodatitius sit Scripturæ sacræ formaliter sumptæ?

1082 Respondeo negativè. Ita communiter SS. PP. Scholastici, & Interpretes. Videatur Vazq 1. p. q. 1. disp. 14. cap. 1. Probatur. Sensus iste purè accōmodatitius non est intentus à Spiritu S. nec per verba ipsa, nec per res significatas per verba. Alioquin non esset purè accommodatitius: sed litterarius, vel mysticus.

Non

Digitized by Google

Non est ergo sensus Scripturæ sacræ formaliter sumptæ, vtque sacræ, & à Spiritu Sancto ad aliquid significandum applicatæ; sed dumtaxat materialiter acceptæ, & secundum quod Scripturæ sacræ verba iuxta nudam, & grammaticalem significationem, vocumque sonum, præter Spiritus Sancti intentū pro libito applicantis, ab alio accōmodantur.

QVÆSTIO XLV.

Quid requiratur, vt Scripturæ sacræ accommodatio sit licita?

1083 REspondeo cum Antonio à Matte Dei Prælud. 3. n. 167. primo requiri, vt huiusmodi accommodatio fiat ad res bonas, honestas, vel sanctas, bono, recto, honestoque fine, neutiquam verò ad facetias, vel spurcitias, aut dicteria, quæ famæ proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum, Religionum, aut Principum valde detrahunt, bonisque moribus, & Christianæ disciplinæ sunt contraria, atque perniciosa. Huiusmodi enim accommodationes, vtpotè valde perniciosas, & scandalosas Sacrosanctum Tridentin. Concilium Sess. 4. grauissimis prohibet verbis, quæ sunt tenoris sequentis,

1084 Sacrosancta Synodus temeritatem illam reprimere volens, primo quoad profana quæque conuertuntur, & torquentur verba, & sententiæ sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, & diabolicas incātationes, diuinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat, & præcipit ad tollendam huiusmodi irreuerentiam, & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc, & similia audeat vsurpare, vt omnes huius generis homines, temeratores, & violatores Verbi Dei, iuris, & arbitrij pœnis per Episcopos coarceantur. Hactenus Tridentina Synodus.

1085 Ang. Præceptor 2. 2. q. 168. art. 2. ad 1. probat ex D. Ambrosio, omnem iocum à doctrina sacra quam longissimè abesse debere. Caietanus ibidē docet, Concionatores grauissimè delinquere, si Euangelicæ prædicationi quid ridiculum admisceant. Similiter P. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 2. dub. 4. inquit, nefas esse Scripturas sacras, ipsarumque verba, à proprio suo tam litterario, quam mystico sensu ad alias res vanas, & profanas traducere, accommodare, vel applicare: accommodatitium istum sensum plane vitiosissimum Scripturæ sa-

Digitized by Google

sacræ repugnantem veluti litterarium, aut mysticum venditando. ac iactando, quod vitiũ acriter reprehendit Hieronymus epist. ad Paulin. & concludit: *Puerilia sunt hæc, & circulatorum ludo similia, decere quod ignores: imò, vt cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire, quod nescias.* Videatur Illust. Araujo tom. 1. in 1. p. disput. 2. dub. 4. § 1. & 2. in simili. Huc spectat illud, quod ait Cano lib. 9. de loc. cap. 7. Pudet me dicere, non intelligere, si ipsi intelligerent, qui hæc docent, & tractant.

1086 Secundo requiritur, ne huiusmodi accommodatio sit impia, fœda, vel falsa, qualis fuit illa Michaelis Serveti, Lutherani, & Calvinistæ, vt refert Beza in Calvini vita, qua ipse Michael Servetus sibi accommodabat, quasi de se scriptum illud Apocalypsis 12. v. 7. *Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone.* Hic enim non est accommodatitius Scripturæ sacræ sensus, vel vsus, sed abusus gravissimus, fœdissimus, & depravatissimus, vt alij plurimi aliorum hæreticorum.

1087 Accommodatio igitur, vel traductio verborum Scripturæ sacræ a proprio sensu suo, tam litterali, quam spirituali ad alias res faciendo est, eo modo quo facta est a SS. PP. præcipue Bernardo, vtque docet Ingeniosissimus Gabriel Vazquez tom. 1. in 1. p. disp. 14. cap. 1. per hæc verba: Hic modus tractandi Scripturam Sanctis PP. frequens in Concionibus, & homilijs ad populum, idemq; vtilissimus. Verba enim Scripturæ miram quamdã gravitatem, & energiam præsefe runt, ita vt ad persuadendum sint accommodatissima. Si ad res bonas, & honestas, bono, honestoque fine fiat accommodatio. Hæc ille.

1088 Vtinam regulam hanc omnes huius temporis concionatores exactissimè observarent! Absdubio non fierent tot delationes concionatorum, & concionum ad Sanctissimum Inquisitionis Tribunal.

QVÆSTIO XLVI.

Vtrùm penitus releganda, & abolenda sit consuetudo, quæ viget in aliquibus Ecclesijs, concionandi in Aurora Dominicæ Resurrectionis quibusdam facetijs ad risum provocantibus?

1089 REspondeo affirmativè cum Sap P. Fr. Antonio a Matre Dei Prælud. 3. num. 167. Probantur exeplo Christi Domini, Apostolorum, & SS. imò omnium Concionatorum gravium, prudentium, & piorum, qui

Digitized by Google

qui in suis Concionibus sacris nullibi, & nunquam vsi fuerunt huiusmodi leporibus, facetijs, & salibus, quibus absdubio Verbum Dei vilescere solet, & quãdo fletus, & cordis dolor de peccatis, & inferni horror, iudicij terror, æternæ gloriæ amor, similesque honesti, sanctique affectus excitandi erant, intempestivus excitari solet risus, & nonnulli textus sacri satis incongrue, & ad sensum minus rectum accommodatur. Omnis igitur iocus, huiusmodique detestabilis consuetudo penitus releganda, & abolenda est. Dedecet enim Scripturæ sacræ dignitatem, eiusdemque interpretationis gravitatem.

1090 Et confirmari potest doctrina ista ex Cic. lib. de inventione dicente, inter principium, & medium, cum defatigati sunt auditores, non esse inutile exordiri orationem ab aliquo Apologo, fabula, aut re ridicula. Addit autem: *Nisi rei dignitas adimat iocandi facultatem.* Opportuneque subiungit Antonius à Matre Dei: *Nihil autem dignius est, quam doctrina sacra, quam concionatores enuntiant.* Quam regulam omnes Concionatores exactè observare debent, præsertim verò Religiosi, & Discalceati, memores illius sententiæ Meliflui Bernardi: *Ioci in sæcularibus ioci sunt; in Religiosis, blasphemiæ sunt.* Rogo ego: quid erunt in Concione sacra? Quid si ioci forent satyrici in Ecclesia corã Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, iactati contra aliquam personam gravem, Religiosam, dignitate aliqua præditam, vel contra aliquã sacram Religionem à Sede Apostolica approbatam?

QVÆSTIO XLVII.

An omnia, & singula Veteris Testamenti de Christo testimonia, eiusque mysterijs in sensu tantum accommodatitio possint, & debeant exponi?

1091 REspondeo negativè. Est fide Sãctum. Constat ex dictis. Diximus enim, omnia huiusmodi in sensu litterario, vel mystico adimpleta fuisse, ideoque exponi debere in istis, vel in vno illorum.

QVÆSTIO XLVIII.

Vtrùm Historiæ, quas affert Scriptura sacra, vt incitent homines ad virtutis amorem, viciorumque detestationem; afferantur ab ea in sensu purè accommodatitio?

1092 AFfirmativè respondet Vazq. tom. 1. in

Digitized by Google

in 1. part. disp. 14. cap. 6. Sed longe probabilius respondeo negativè. Semper enim referuntur in sensu per Spiritum Sanctum intento, ac per consequens litterali, vel mystico. Ergo non in purè accommodatitio.

QVÆSTIO XLIX.

An Verba Scripturæ sacræ usurpata à priuato aliquo Doctore, usurpentur ab eo in sensu purè accommodatitio?

1093 EXplicatur quæstionis sensus Mos est in Ecclesia habere Concionem ad populũ in exequijs defunctorum, Pontificũ, Regum, Principum, & aliorum tam virorum, quam mulierum. His defunctis aliqua Scripturæ sacræ verba accommodari solent. Sic Sanctus Ambrosius lib. 8. epist. 59. Acholio è vivis sublato accommodavit quædã verba Psalm. 54. & Baruch 3. æternam illius fœlicitatem sonantia hunc in modum: *Est igitur iam superiorum incola.* Vide Lync. tract 8. num. 208. Quærimus ergo an in sensu purè accommodatitio?

1094 Negativè respondet Quiros tom. 1. in 1. p. tract. 1. Procœmiali disput. 11. n. 7. Sed longè probabilius respondeo affirmativè. Alioquin, vt exemplo nuper adducto Ambrosij vtar, iam Acholius in Scriptura sacra determinate, & expressè salvat⁹ declararetur in tali concione. Quod falsum est, & absurdissimum, vt quod maximum.

QVÆSTIO L.

An quando à tota Ecclesia Scripturæ sacræ verba in officijs Sanctorum usurpantur, in sensu purè accommodatitio usurpentur?

1095 HVius quæstionis sensum num. 1080. explicuimus, & insuper sic explicare possumus: Ecclesia Catholica in Officio Purissimæ Conceptionis Virginis Mariæ pro ipsius sanctificatione in primo suæ animationis instanti applicat, & accommodat plura Scripturæ sacræ verba, præsertim verò sequentia: *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna.* Psalm. 44. v. 5. *Benedicta tu in mulieribus.* Luc. 1. v. 28. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam, &c. Gyrum cœli circuiui sola. Ab initio, & ante sæcula creata sum, & vsque ad futurum sæculum non desinam, &c. Flores mei fructus honoris, & honestatis, ego mater pulchræ dilec-*

Digitized by Google

lectionis: & similia, quæ habentur in tribus lectionibus primi nocturni, & desumuntur ex Ecclesiast cap. 24. v. 5. & seq. Quærimus ergo: an accommodentur verba ista ab vniversa Ecclesia in sensu purè accommodatitio?

1096 Negativè respondet P. Quiros quæst. præced. citatus, & quidē, vt aiunt, à fortiori. Negativam etiam tenet sententiam Thomas Delbene tom. 1. in sum. disp. 1. quæst. 24. notabili 4.

1097 Respondeo probabilius cum Maldonato Præfat. in Lucam num. 6. & alijs communiter affirmativè. Alias enim si non in sensu purè accommodatitio, sed in sensu per Spiritum Sanctum intento & consequenter litterali, vel mystico, vniversa Ecclesia dicta verba accommodasset huic officio, iam eadem Ecclesia, Summique Pontifices Deiparæ sanctificationem in primo Conceptionis suæ instanti, vel formaliter, vel saltem virtualiter definissent. Præsertim cum sit de fide iuxta communiorem, & veriorē sententiam Theologorum contra Caietanum, & Canum, quod Ecclesia, eiusque caput Summus Pontifex errare non potest in Canonizatione Sanctorum. De quo infra.

(?)

QVÆSTIO LI.

An quando verba prioris Scriptoris sacri vsurpantur à posteriori, ab isto vsurpentur in sensu accommodatitio?

1098 EXplicatur quæstionis sensus. Verba illa Zachariæ cap. 4. v. 10. *Quid sunt duæ oliuæ ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius?* Paucis mutatis vsurpata videntur à Ioann. in Apocalyps. cap. 11. v. 4. *Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Quærimus ergo: an in sensu purè accommodatitio?

1099 Negativè respondent Valentia quæst. 1. punct. 5. §. 1. Tannerus, & alij. Sed probabilius respondeo affirmativè, si prædicta verba à posteriori Scriptore Canonico simpliciter quidem vsurpentur, non addito, quod postea sint adimpleta, aut prius Prophetice dicta. Quia non est necessariū quod Deus per verba Scriptoris Canonici, quatenus eius sunt, significare voluerit id ipsum, quod posterior Canonicus Scriptor à Spiritu Sancto inspiratus, & motus significare voluit. Siquidem Scripturæ sacræ verba plures sensus habere possunt.

QVÆ

Digitized by Google

QVÆSTIO LII.

An ex accommodatitio Scripturæ sacræ sensu efficax, quasi divinum, & firmum argumentum desumi possit?

1100 AFfirmativè respondere videtur Gabriel Vazq. 1. p. q. 1. disp. 14. cap. 7. præsertim quando accommodantur historiæ, ex quibus sumitur argumentum tanquam ab exemplo, aut à simili ad excitandum virtutis amorem, aut vitij horrorem, & ad docendum, quid agendum, vel omittendum sit.

1101 Nihilominus probabilius respondeo negativè ex communi Doctorum sententia. Sensus enim ille, vt supponitur, non est à Spiritu Sancto intentus. Ergo nec est omnino infallibilis. Ergo neque ex Scriptura in tali sensu purè accommodatitio accepta firmum, & infallibile potest peti argumentum. Et in exemplis per Vazquez adductis historiæ sacræ sumuntur in sensu litterali, vt notant Antonius à Matre Dei Prælud. 3. n. 168. & alij.

(1)

(2)

****

QVÆSTIO VLTIMA.

An ex sensu purè accommodatitio Scripturæ sacræ, vt formaliter tali, saltem probabile argumentum pro veritatibus fidei probandis desumi possit?

1102 NOn defuerunt Auctores, qui affirmativè responderent. Tum, quia alias sensus iste accommodatitius esset inutilis, & otiosus. Quod tamen est contra praxim Ecclesiæ, & parum tutum in fide. Tum, quia est vsitatus, vel & inter ipsos Scriptores Canonicos sensus huiusmodi accommodatitius. Tum denique, quia plures ex Sanctis Patribus, & Interpretibus vtuntur Scripturis sacris ad persuadendas veritates fidei, & non in sensu per Spiritum Sanctum intento. Ergo saltem in alio sensu probabili, & consequenter purè accommodatitio. Alioquin tantopere non commendassent huiusmodi sensum accommodatitiū SS. PP. Scholastici, & Interpretes, si in tali sensu purè accommodatitio, formaliter vt tali, non posset fundari, aut formari argumentum saltem probabile, & ad persuadendam fidei veritatem intellectui docili, & non protervo sufficiens.

Ref.

Digitized by Google

1103 Respondeo nihilominus negativè cum communi sententia Doctorum, quos refert, & sequitur P. Antonius Quiros tom. 1. in 1. p. disp. 11. num. 24. & 27. Ratio est, quia verba sacræ Scripturæ sine sensu proprio ipsius Scripturæ sacræ nullam specialem habent vim ad persuadendam fidei veritatem intellectui, præ alijs quibuslibet verbis. Siquidem ipsius verba, sicut & quævis alia, sono verberant aures, sed sensu solo movent intellectus, & mentes. Tunc vltra. Scripturæ sacræ verba in sensu purè accommodatitio non habent sensum proprium Scripturæ sacræ, vt talis, seu à Spiritu Sancto intentum, sed alium communem cū quibuslibet alijs verbis, vt constat à num. 1078. Ergo prædicta verba sacræ Scripturæ in sensu purè accommodatitio, vt formaliter tali, nullam habent vim ad persuadendum adhuc probabiliter aliquod fidei dogma.

1104 Confirmatur. Ex eisdem locis, ex quibus Theologi sua desumunt argumenta, sumunt & Hæretici: vt ait Cano lib. 12. de loc. cap. 12. Licet autem Hæretici Scripturæ sacræ verba accommodent ad suas Hæreses comprobandas, non ideo certo probabiliter eas inde persuadent. Alias apud Hæreticos, & Iudæos, imò apud Paganos revera reperirentur opiniones probabiles certæ, evidentis, & fortis probabilitatis, contrariæ veritatibus fidei, quam tenet Catholica Ecclesia, & ab omnibus fideliter, firmiterque tenendam docet. Quod tamen falsissimū est, si quod maximè. Quia contra doctrinam moraliter certā, & evidentem nulla verè probabilis opinio potest inveniri, aut prudēter reputari, vt talis, quod novissimè notat Sap. P. Didacus de la Fuente Hurtado in Theologia reformata, dissertat. 5. num. 8. Quare etiam licet Iudæi vtātur verbis sacræ Scripturæ, eaque accommodent ad persuadendum, nondum venisse Messiam: Hæretici ad persuadendum, Papam, esse Anti-Christum: vel vnumquemque promiscue in sua secta salvari posse: vel Turcæ ad persuadendum, Mahomet esse verum Prophetam: Gentiles ad probandum, ligna, & lapides esse veros Deos. Quamvis, inquam, huiusmodi sectarij accommodent Scripturæ sacræ verba, non ideo eorum probationes sunt vere probabiles, sed pura figmenta, eos nullatenus excusantia à peccato infidelitatis. Ergo, &c. Vide supra num. 230.

1105 Nec obstant rationes in contrarium adductæ. Non prima, quia verba Scriptu-

Digitized by Google

turæ sacræ in sensu adhuc purè accommodatitio maiori cum devotione audiuntur, & leguntur à nobis, & ob hunc præcisè titulum pios, & salutares in nobis excitant affectus. Et si Sanctorum corpora, & reliquias sine animabus veneramur, quid ni & veneremur scripturæ sacræ verba, etiam cum carent sensu per Spiritum Sanctum intento, qui est quasi anima eorum?

1106 Non secunda; quia propter proximè dicta vsitatus est sensus accommodatitius inter Scriptores Canonicos, & SS. PP. Scholasticos, & Concionatores, & ideo etiam tantopere laudatur, & commendatur ab ipsis, licet formaliter, & per se acceptus nullum adhuc probabile præstet argumentum ad probabiliter persuadenda fidei dogmata. Et hinc patet ad reliqua.

DISPVTATIO TERTIA.

Quibus vijs perveniatur ad verum, & legitimum Scripturæ sacræ sensum?

1107 BReves fuimus in prima disputatione: breviores in secunda: brevissimi erimus in tertia.

QVÆSTIO I.

Quot sint viæ ad investigandos veros, & legitimos Scripturæ sacræ sensus?

1108 SAp. Salmeron in Prologomenis, Prolog. 9. & seqq. assignat centũ quinquaginta Canones, regulas, modos, vel vias ad investigandum verum, & germanum litteralem proprium Scripturæ sacræ sensum: quindecim vero Prologom. 12. ad indagandum metaphoricum, seu figuratum. Idem Salmeron assignat etiam regulas ad eruendum legitimum mysticum sensum, & accommodatitium. Cuius doctrinam quoad ea, quæ necessaria sunt, paucis præstringemus. Pater Antonius à Matre Dei prælud. 4. agit de modo edisccndi, & explicandi Scripturam sacram, & in summa tradit breviori stylo, quæ Salmeron docet fusiori.

1109 Nos tredecim assignabimus vias, per quas tutissimè

Digitized by Google

sime assequi valeamus, nativũ, germanũ, legitimumque Scripturæ sensum. Prima via erit ipsa Scriptura sacra, quæ libris Canonicis continetur. Secũda erit auctoritas traditionum Christi Domini, Apostolorumque. Quæ quoniam scriptæ non sunt, & de aure in aurem ad nos pervenerunt, vivæ vocis oracula rectissimè nuncupatur. Tertia est auctoritas Ecclesiæ Catholicæ. Quarta, auctoritas Cõciliorum præsertim Generaliũ, in quibus Ecclesiæ Catholicæ auctoritas residet. Quinta, auctoritas Ecclesiæ Romanæ, quæ Divino privilegio est, & vocatur Apostolica. Sexta, auctoritas Sanctorum veterum Patrum. Septima, auctoritas Theologorum Scholasticorũ. Octava, auctoritas Pontificij iuris peritorum. Nona, ratio naturalis, quæ per omnes scientias naturali lumine inventas latissimè patet. Decima auctoritas Philosophorum, qui naturam ducem sequuntur. Vndecima, Cæsarei Iurisconsultorum auctoritas. Duodecima, auctoritas humanæ historiæ, sive per auctores fidedignos scriptæ, sive de gente in gentem traditæ, non superstitiosè, atque aniliter, sed gravi, constantique ratione. Decimatertia, tandem via ad assequendum legitimum Scripturæ sacræ sensum est peritia variarum linguarum, præsertim Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Chaldaicæ, Syriacæ, & Arabicæ. De quibus omnibus late, & eloquenter Melchior Cano in aureo libro de locis, brevius Lyncæus in præsenti tract. 9. Antonius à Matre Dei prælud. 4. & alij.

QVÆSTIO II.

An Scriptura sacra sit via ad inveniendum verum, & legitimum eiusdem Scripturæ sacræ sensum?

1110 REspondeo, vt quid certissimum, esse viam. Ita communiter SS. PP. Scholastici, & Interpretes, præsertim Augustinus tom. & lib. 3. de doctrin. Christ. dicens: *Ad obscuriores locutiones Scripturæ sacræ, illustrandas, de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferent: in qua re memoria valet plurimum.* Et Origenes: *Facilius agnoscitur, quod quæritur in Scripturis, si proferantur ex pluribus rebus, quæ de eadem re sunt scripta.* Eadem Scriptura sacra est firmissimus locus Theologicus.

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

An sola Scriptura sacra sit huiusmodi via?

1111 AFfirmant Lutherani, Calviniſtæ, & Libertini à num. 201. & 1065. relati. Addunt, quod dicto num. 1065. diximus, & inſuper Scripturã ſacrã continere omnẽ doctrinam neceſſariã ad ſalutem tam quoad fidem, quã quoad mores: quod ipſa ſola ſit fidei regula, controverſiarum iudex, &c. Sed certiſſimè tenendum eſt contrarium, ex dictis, & ex dicendis. Et eſt fidei dogma.

QVÆSTIO IV.

Quid ſit traditio?

1112 HActenus egimus de Verbo Dei ſcripto. Supereſt, vt agamus de non ſcripto, ſeu de traditione. Quia traditiones Divinas, & Apoſtolicas eſſe viam ad inveniendum legitimum Scripturæ ſenſum, dicemus n. 1169. Vocabulum *Traditio* eſt generale, & latè acceptum ſignificat omnem doctrinam, & legẽ ſive ſcriptam, ſive non ſcriptã, quæ ab vno communicatur alteri: à prioribus, & Parentibus traditur poſterioribus, & filijs. Nihil ominus à SS. PP. Scholaſticis, & Interpretibus nomen iſtud *Traditio* accommodatur ad ſignificandam tantum doctrinam ſola viva voce traditam, & non ſcriptam. Appellatur autem doctrina *non ſcripta*, non illa, quæ nunquam ſcripta eſt, ſed quæ non eſt ſcripta à primo Auctore. V.g. Parvulos eſſe baptizãdos, eſt traditio Apoſtolica non ſcripta. Quia in nullo Canonico libro ſcripta reperitur, eſto in libris SS. Patrum, & in Concilijs ſcripta ſit. Et traditiones dicuntur præcisè non ſcriptæ: quia ſola ſacra Scriptura, in qua non ſunt, Antonomaſticè eſt Scriptura ex num. 5. vt notavit Arcudius. Idcirco etiam traditiones Chriſti Dñi, & Apoſtolorum iure ſummo vocantur vivæ vocis oracula. Quoniam ſcriptæ non ſunt, & de aure, in aurem ad nos pervenerunt: vt notat Melchior Cano lib. 3. cap. 1.

QVÆSTIO V.

Quotuplex ſit traditio?

1113 DVplex traditionũ diviſio diſtingui poteſt. Prima ſumitur penes Auctores ipſarum traditionũ. Secunda penes materiam. Prima ſubdividitur in traditiones Chriſti Dñi, Apoſtolorum, & Eccleſiæ, ſeu Eccle-

Digitized by Google

cleſiaſticas: Secunda in traditiones de fide, & traditiones de moribus. Rurſus iſtæ ſubdividuntur in traditiones perpetuas & temporales: vniverſales, & particulares: neceſſarias; & liberas.

1114 Traditiones Chriſti ſunt, quæ ab ipſo Chriſto Domino docēte Apoſtolōs, ſunt acceptæ, & in Scriptura ſacra non habentur. Appellantur abſolutè ſimpliciter *Diuinæ*. Quia Chriſtus earū Auctor eſt Deus. Huiuſmodi ſunt, quæ ad eſſentiam Sacramentorum, & Sacrificij Miſſæ ſpectant. Chriſtus enim D. ea inſtituit quoad materias, & formas: & nihilominus pauca de illis habentur in Scripturis ſacris.

1115 Apoſtolicæ traditiones dicuntur illæ, quæ ab Apoſtolis traditæ, & inſtitutæ ſunt: haud ſine ſpeciali aſsiſtentia Spiritus Sancti, & non inveniū tur in ſacris eorū ſcriptis. V.g. ieiunium Quadrageſimale, & quatuor temporum.

1116 Traditiones purè Eccleſiaſticæ dicuntur, quæ ipſius Eccleſiæ, ſeu Prælatorum, & Paſtorum, vel auctoritate, vel approbatione expreſſa, aut tacita poſt Apoſtolorum tempora introductæ ſunt & tacito populorum conſenſu vim legis nō ſcriptæ obtinuerunt.

1117 Traditiones de fide ſunt, quod B. V. Maria ſemper fuit Virgo: quod Evangelia ſunt quatuor tantum, &c. Traditio ad mores pertinens eſt, quod ſignum Crucis cum invocatione Sanctiſsimæ Trinitatis in fronte pingendum ſit: Quod certis diebus ieiunia, & feſta ſint celebranda.

1118 Traditio perpetua eſt, quæ inſtituta eſt, vt ſemper perſeveret, vſque ad finem mūdi. V.g. celebratio ieiuniorum, & feſtorum determinatis diebus. Temporalis, quæ inſtituitur ad certum, & determinatū tempus: vt obſervatio quarumdam legalium cæremoniarum, quæ ſervandæ erant, vſque ad plenam Evangelij promulgationem, vt Eccleſia facilius coaleſceret ex Iudæis, & Gentibus.

1119 Traditio vniverſalis eſt, quæ toti Eccleſiæ ſervanda traditur, qualis eſt Paſchatis, Pentecoſtes, & ſimilium magnorum feſtorum obſervatio. Particularis, quæ vni tantum, aut pluribus traditur Eccleſijs. Qualis erat tempore Auguſtini conſuetudo ieiunandi Sabbato Romæ, & in alijs quibu dam locis. Traditio neceſſaria eſt, quæ traditur in forma præcepti. Vt celebratio Paſchæ die Dominica poſt 14. Lunam Martij. Libera eſt, quæ traditur in forma conſilij, vt aſperſio aquæ luſtralis.

1120 Vltra prędictas tradi-

Digitized by Google

ditiones sunt aliæ, quæ appellantur *humanæ*, quas Christus Dñs Matth. 15. v. 1. & Paulus sępisimè reprehendebant, & quas Pharisæi, & Seniores nimis superstitiosè, ob inanem mundi gloriam, &c. observabant. Eas passim appellat Apostolus *Iudaicas fabulas, aniles nugas, stultas, & profanas novitates.* Quia à vero Dei cultu avocabant: in Christi fidem, sive præcepta militant: nullam vtilitatem afferunt: & superstitionem nutriunt: vt notat Salmeron Prolog 11. can 35. Huius generis sunt sequentes. Labare manus ante sumptionem cibi. Inter comedendum sæpius repetere lotionem. Venientes è foro cibum capere non poterant, nisi loti essent. Cum peccatoribus cibus sumendus non erat. Nemo à peccatoribus tangendus erat. In Sabbato non licebat ægrotos sanare. Filij non tenebantur honorare parentes, &c. De quibus Becanus in Sum. part. 2. cap. 4. Eas non prosequimur.

Quia non est nostri instituti Iudæorum traditiones designare.

(?)

(?)

****
****
****

QVÆSTIO VI.

An traditiones Apostolicæ dicantur Diuinæ; & ex aduerso: Diuinæ dicantur Apostolicæ?

1121 REspondeo affirmativè cũ Bellarmino lib 4. de Verbo Dei non scripto, cap. 2. & Lynceo tract 13. num. 27. Divinæ traditiones nuncupantur Apostolicę, nõ quia ab Apostolis Ecclesia illas immediatè accepit postquam ipsi easdẽ à Christo D. acceperunt. Apostolicæ dicuntur Divinę, nõ quia Deus immediatè per se sine Apostolorũ interventu instituerit. Sed quia non sine speciali spiritu Dei illas Apostoli tradiderunt. Quo etiam pacto Apostolorum scripta dicuntur Divina & Divina nuncupantur Apostolica. Quia Apostoli nihil propria, & humana tradiderunt auctoritate: omnia docuerunt Divina, & Christi D. auctoritate.

QVÆSTIO VII.

An traditiones Ecclesiasticæ possint dici Apostolicæ, & Diuinæ, & ex aduerso?

1122 AFfirmativè respondeo cum Lynceo tract. 3. num. 27. si latè sumantur eædem

Digitized by Google

eædem traditiones. Et quoddámodo omnes possunt dici Divinæ, Apostolicæ & Ecclesiasticæ. Quia quæ à Christo Dño immediatè sunt traditæ, fuerunt ab Apostolis promulgatæ, & ab Ecclesia receptæ. Et quotquot traditiones Apostoli, & Ecclesia tradiderunt, non propria, & humana auctoritate, sed Divina, & à Christo D. accepta docuerunt. Et quia Apostoli successerunt Christo: Ecclesia eidem Christo, & Apostolis. Ecclesia in suis traditionibus vtitur auctoritate, in qua succedit Apostolis. Et sicut tempore Apostolorum, hi erant potissima pars Ecclesiæ, & observabant traditiones à Christo acceptas. Ita post illos Ecclesia observat traditiones ab eisdem Apostolis relictas: & quas ipsa instituit, auctoritate Divina, & Apostolica instituit. Quo pacto in Divinis, Apostolicis, & Ecclesiasticis traditionibus latè acceptis nulla est distinctio, aut inæqualitas, vt notat Lyncæus loco citato.

1123 Ast, si strictè sumantur, traditiones eiusmodi, sunt inæquales, aliæque aliis excellētiores. Cuiuslibet enim rei excellentiam, & dignitatem valde commendant melior origo, antiquitas maior, virtus, & energia ad excellentiores effectus. Traditiones autem stricte Divinæ, & quæ à solo Christo immediatè sunt traditæ, hanc habent excellentiam relate ad Apostolicas, & Ecclesiasticas. Et Apostolicæ respectu Ecclesiasticarum habent etiam præcedentiam durationis, aut temporis. Christus enim solus per se solum immediatè instituit Ecclesiæ Sacramenta, & Sacrosanctum Missæ Sacrificium, quoad eorum materias, & formas, essentias, & substantias: reliquos vero ritus Apostolis, & Ecclesiæ tradendos, & instituendos commisit. Quod patet ex Concilio Tridentin. Sess. 7. cap. 1. nostro Leandro 1. part. tract. & disp. 1. quæst. 5. & reliquis Theologis. Et Sacramenta præ cæremonijs conferunt gratiam ex opere operato.

QVÆSTIO VIII.

An Ecclesiasticæ traditiones sint rigorosè de fide, sicut Divinæ, & Apostolicæ?

1124 REspondeo affirmativè cum Lyncæo tractat. 15. num. 28. ad hæc verba: Quod si vero de tribus illis speciebus traditionum (Divinarum, Apostolicarum, & Ecclesiasticarum (loquamur, vt sunt obiectum fidei speculativæ, me-

Digitized by Google

diumque, vnde posit Theologus firmiter argumentari, sic quidem, & si invicem distinctæ, haud sunt inæquales cum non minus de fide sit, Ecclesiasticas, quam Apostolicas, nec minus has, illasque, quam Divinas esse laudabiles, rectasque, & ab omnibus Christi fidelibus observandas. Rectè Cyprianus in Sermon. de lotione pedum: *Sicut par est Spiritus Sancti, & Christi Divinitas, ita in suis institutis æqua est auctoritas, & potestas, nec minus ratum est, quod dictante Spiritu Sancto, Apostoli tradiderunt, quam quod ipse per se tradidit:* Hactenus Lyncæus.

1125 Et Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei non scripto cap. 2. ait, quod Ecclesiasticæ traditiones habent eamdem vim, quam habent decreta, & constitutiones Ecclesiæ scripta. Quia etiam in qualibet republica civili eamdem habent vim consuetudines approbatæ, quam leges scriptæ: vt patet ex distinct. 1. Can. *Consuetudo*, & L. Diuturna, ff. de legibus. Sicut etiam traditiones Divinæ eamdem habent vim, quam Divina præcepta, sive Divina doctrina in Evangelijs scripta; & Apostolicæ traditiones non scriptæ quam similiter eamdem habent vim, quam Apostolicæ traditiones scriptæ. Quod patet ex Tridentino Sess. 4. ad hæc verba. Perspiciensque, hanc veritatem, & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos vsque pervenerunt: *Traditiones tam ad fidem, quam ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu Sancto per Apostolos dictatas, pari pietatis affectu, ac reverentia Sancta Synodus veneratur.* Insuper & ex Concilio Nizeno 2. Act. 7. dicente: *Si quis traditionem Ecclesiæ sive scripto, sive consuetudine valentem non curaverit, anathema sit.* Et ratio constat ex dictis num. 979. Quia Verbum Dei non est tale, nec vllam habet auctoritatem, quia scriptum est in membranis, sed quia à Deo profectum est: vel immediatè, vt sunt Sermones Dñi: vel mediantibus Apostolis: vt est Decretum Apostolorum Actor. 15. v. 28. vel mediante Summo Pontifice, Christi Vicario. Ideo Mag. Parens Augustinus epist. 118. loquens de Ecclesiasticis traditionibus, quæ vim legis obtinuerunt vsu, & auctoritate Ecclesiæ in Conciliis, sive aliter, inquit: *Insolentissimæ insaniæ est disputare, an faciendum sit,*

Digitized by Google

sit; quod tota per orbem frequentat Ecclesia.

QVÆSTIO IX.

Quid sit traditio Diuina, Apostolica, vel Ecclesiastica?

1126 EX hactenus dictis sponte sua fluit huius quæstionis resolutio. Respondeo ergo dicendum, quod traditio Diuina, Apostolica, vel Ecclesiastica est Verbū Dei nō scriptum, æqualem habens auctoritatē, infallibilitatem, & certitudinem, ac Verbum Dei scriptum. Quare semel atque constet, traditionem aliquam esse Divinam Apostolicam, vel Ecclesiasticam, illa est infallibilis, & certissima.

QVÆSTIO X.

An traditionis Diuinæ, Apostolicæ, & Ecclesiasticæ admitti debeant.

1127 NEgant Arriani, Pelagiani, Lutherani, Calvinistæ, & Libertini à n. 201. relati. Eas tamen dari, affirmant omnes Catholici. Et iure summo. Probatur. Plurima rectè quidem, ac ritè, & nunc creduntur, & olim credebantur vera supernaturali fide, quæ credi non possunt, nec poterant in vi Verbi Dei scripti, seu Scripturæ sacræ; sed ex sola traditione Divina, Apostolica, Ecclesiastica. Ergo eiusmodi traditiones necessario admitti debent, vt habeatur adæquata fidei regula: & datur verum Verbum Dei traditum dumtaxat, & non scriptum. Probatur assumptum. Dari Scripturam sacram, est punctum, & dogma fidei. Sed istud ex sola Scriptura constare nequit: nec in vi solius Verbi Dei scripti potest credi. Ergo. Probatur minor ex dictis num. 14. 114. 115. & à num. 159. Quamvis enim Scriptura sacra affirmet, se esse Divinam, sacram, Canonicam, Verbum Dei, &c. non ideo certo nobis constabit, eam esse talem, nisi aliunde habeamus motivum formale credendi fide supernaturali, ipsam Scripturam, hoc affirmantem, esse verum Dei Verbum, quod errare nequit. Quod explicuimus dicto n. 14. exemplo Alcorani Mahometi.

1128 Probatur secundò: Est punctum, & dogma fidei apud Lutheranos, Calvinistas, & Libertinos: nullum esse fidei dogma tantum traditum; & non scriptum: Scripturam sacram carere pluribus sensibus: esse intellectu facillimam; sine lege, arte, Magistro

Digitized by Google

gistro, & duce, aut iudice pro vniuscuiusque arbitrio, esse interpretandam (vt tandem hic concludant, sacris litteris intelligendis, nec veterum traditionem, nec Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ iudicium esse spectandum) die Dominicum, non Sabbatum esse obseruandum: baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos. Lutherani credunt, quod infantes, dum baptizantur, per vsum rationis eliciunt actum fidei. Et nihilominus, nihil horum in Scriptura sacra expresse habetur. Ergo plurima fidei dogma, & puncta in vi solius Verbi Dei scripti, & ex sola perpetua Ecclesiæ traditionne, quæ testificatur, ea esse fidei dogmata, possunt, & debent credi, adhuc iuxta eosdem Hæreticos.

1129 Probatur tertiò. Ecclesia longè antiquior est, quam Scriptura ex num. 160. & 161. Quia fides, & religio sine Scripturis diu perseverauerunt in mundo. Et esto omnes perirent Scripturæ sacræ: perpetuæ Ecclesiæ traditiones ad eius regimen sufficerent. In lege naturali homines verum Deum colebant: ei sacrificia offerebant. Circumcisio priusquam esset scripta in lege, mandata est executioni. Remedium ad delendum peccatum originale pro feminis, & pro viris ante octavum diem morientibus: quod aliqui libri essent Canonici, &c. non habentur expresse in Veteri Testamento. Ad hæc. Christus Dominus nullam partem suæ sacræ doctrinæ per se ipsum immediatè scriptam nobis reliquit ex num. 52. Et cap. vltimo Marci v. 15. dixit Apostolis: *Prædicate Euangelium*, non autem *scribite*: vt notat Canolib. & cap. 3. Et Apostoli maximis de causis quædam litteris, quædam sola viva vice tradiderunt. Et primis [illegible]o annis ab Ascensione Domine, sine Verbo Dei scripto fidei dogmata credebãt Christiani. Morem docendi non scripto, sed Verbo, & sola viva voce Pythagoras, & Moyses obseruarunt. Habet, nescio, quid latentis energiæ viva vox, & in aures discipuli de Magistri ore transfusa, fortius sonat. Evangelica lex ex num. 979. non Scripturis; sed in sensu: non in superficie; sed in medulla: non verborum folijs; sed in radice rationis est, vt eleganter docet Hieronymus. Qui discunt litteras, litteris confisi, minus memoriæ student. Scripturæ propter seditiosos, & litigiosos tantum factæ sunt. Boni viri solo Verbo, & officio continentur. Ergo,

Pro-

Digitized by Google

1130 Probatur quartò. Sæpè ad confutandos Hæreticos maior vis est in traditionibus, quam in Scripturis. Istę varios in sensus præ illis trahuntur. Omnes Hæretici gloriantur, se secundùm Scripturas prædicare ea, quibus blasphemant, & mentiuntur: sicut & nos gloriamur. Discrimen est in sensu, & interpretatione. Illi recurrunt ad easdem Scripturas tanquam ad vnicum iudicem, vel ad suum privatum, internumque spiritum. Quis autem verus, ac legitimus Sacræ Scripturæ sensus sit habendus, nisi perpetua Ecclesiæ traditione certo dignosci non potest. Vide quæ in simili diximus à n. 184. & 201. Atque hinc vel vnicè patet, & quidem evidenter causa gravissima, cur Apostolicæ, & perpetuæ Ecclesiæ traditiones fuerint semper necessariæ: vt optimè notat Cano.

1131 Probatur quintò. Multa pertinent ad Catholicam fidem, quæ neque expressè, neque adhuc implicitè habentur in sacris libris. Quorum aliqua referemus à num. 1146. & interim vide Melchiorem Cano lib. & cap. 3. de locis, Bellarminum lib. 4. de Verbo Dei nõ scripto à cap. 4. Becanum part. 2. in Sum. cap. 4. Lyncæũ tract. 13. à num. 1. & alios. Ergo.

1134 Probatur sexto ex epist. 2. ad Thessalon. cap. 2. *Tenete traditiones, quas accepistis.* Timoth. 1. vt alia omittam testimonia. Probatur septimò ex dictis num. 1125. vbi retulimus verba Conciliorum Nizeni, & Tridentini. Probatur octavo ex auctoritate omnium Sanctorũ Patrum, Scholasticorum, & Interpretum, vno ore huiusmodi Divinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones perpetuas confitentium. Probatur nono. In omni Republica rectè gubernata dantur leges, & consuetudines non scriptæ à maioribus, & prioribus ad posteriores de aure in aurem transmissæ, & non scriptæ Sed Ecclesia Catholica, in qua vera religet Religio, est Republica optimè gubernata. Ergo. Vide Barbosam in tract. de Axiomat. tract. 1. axiom. 56.

1135 Probatur decimo. Doctrinam hactenus traditam tenuit vniversalis, & Catholica Ecclesia, & contrariam expresso anathemate damnatam, & fulgurità declaravit, vt n. 1125. vidimus Ergo.

1136 Opponunt primò Hæretici plura Scripturæ sacrę loca, vt Isaiæ 29 Matth. 15. & 1. Petri 1. & alia his similia. Frustra tamen. Ibi enim agitur de humanis, & superstitiosis Pharisæorum, & Iudæorum traditionibus num. 1120. memoratis; non verò de traditionibus

Digitized by Google

Christi, & Apostolorum, & Ecclesiæ. Vide Lyncæum tract. 13. à n. 16.

1137 Opponunt secundo plura Augustini, Hieronymi, & aliorum Sanctorum Patrum testimonia, in quibus ipsi aperte docere videntur, in Scriptura sacra inveniri omnia illa, quæ continent fidem, moresque viuendi, & quæ necessaria sunt ad consequendam vitam æternam Sed frustra etiam. Quia Sancti PP. nec sibi, nec nobis sunt in hac parte contrarij. Et de traditionibus fictis interpretandi sunt, vbi in contrarium adducuntur. Vel ad summum volunt dicere Augustinus, & alij PP. in Scripturis contineri saltem implicitè ea omnia, quæ expressè credere tenemur necessitate medij.

1138 Opponunt tertiò. Verum, & legitimũ Dei Verbum, cui nostra fides inniti valeat, tale debet esse, vt inter fideles conservari possit. Aliàs enim non erit tale saltẽ in actu secundo, & quoad nos, iuxta dicta num. 183. & 282. de Verbo Dei scripto. Tunc vltra. Verbum à Christo Dño, Apostolis, vel Ecclesia sic traditum, & nõ scriptum, conservari nequit. Ergo. Probant minorem primò. Quia qui Verbum audit, illud sæpè non assequitur, aut eius facilè obliviscitur, aut illud malitiosè, aut infideliter ad alios transfert. Secundò. Quia ob hanc rationem Scriptores Canonici Scripturã sacram scripsisse videntur. Tertiò, quia leges Lycurgi, & Pythagoræ scriptæ non erant: perierunt. Ergo.

1139 Respondeo, concessa maiori, negando minorẽ. Ad primam eius probationem dico, pertinere ad specialẽ Dei providentiam, ne per oblivionem, imperitiam, aut malitiam hominum & Dæmonũ pereant traditiones: vt in simili dictum est num. 444. 456. & 620. de libris Canonicis. Sicut etiam Deus providit, ne perirent traditiones ab Adam, vsque ad Moysem: à Moyse vsque ad Christum Dñm. Ad hæc. Traditiones circa praxim, actiones externas, ritus, & cæremonias, harum vsu conservantur: eo prorsus modo, quo & lingua Vasconica à Babylonica linguarũ confusione vsque nunc: & Hebraica ab Adamo vsque ad captivitatem Babylonicam: cõservatæ sunt absque ope vllius Grammaticæ scriptæ. Sunt formalia verba Lyncæi tract. 13. num 21. Cuius meminimus n. 372. Traditiones vero speculativæ, & ad fidem pertinentes consuetudine credendi etiam conservatæ sunt. Ad secundam minoris probationem constat ex dictis n. 1129. 1130. Scriptores enim sacri quædam scripserunt: quædam no scripserunt; sed

Digitized by Google

sed sola viva voce tradiderunt: maximis de causis. Et si Pythagoræ dictum pro ratione habebatur, quid mirum, si dictum Dei etiam habeatur? Ad tertiã probationem dico, leges Lycurgi, & Pythagoræ non ideo præcisè periisse, quia scriptæ non erant. Quia plures scriptæ etiam perierunt. Sed quia fuerunt hominum placita; solum autem Verbum Dei permanet in æternum.

1140 Opponunt quartò. In traditionibus nõ scriptis datur periculum, vt pro veris falsæ recipiantur. Ergo non debent admitti. Sed frustra etiã. Quia necdum in traditionibus, seu in Verbo Dei non scripto, sed etiã in scripto datur hoc periculum. Et olim quędam scripturæ circumferebantur sub nominibus Petri, Pauli, Philippi, Thomæ, Matthiæ, & aliorum Apostolorum. Sicut ergo non præiudicat vero Verbo Dei scripto, quod aliquæ falsæ Scripturæ industria Satanæ, & Hæreticorum introductæ sint. Ità similiter falsæ aliquæ eorumdem Hæreticorum, aut Iudæorum traditiones non præiudicant veris. Ad hæc. Catholici assignant regulas ad discernendas veras traditiones Divinas, Apostolicas, Ecclesiasticas à falsis,

(::)

QVÆSTIO XI.

Quot, & quænam sint certæ regulæ ad discernendas veras traditiones à falsi?

1141 Respondeo, esse quatuor. Ita communiter SS.PP. Scholastici, & Interpretes. Prima est. Quidquid credit Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, quocumque tandẽ tempore illud credere incœperit, si illud non habeatur in Scriptura sacra, est traditio Divina, aut Apostolica. Ita Augustin. lib. 4. contra Donat. cap. 24. & de vnitat. Eccl. cap. 29. Probatur ex n. 186. Ecclesia in credendo errare nequit. Ergo quidquid illa credit, merito Verbi Dei credit. Veram quippe, & supernaturalem fidem solum verũ Dei Verbum specificare valet, vt Scholæ vtamur stylo. Si ergo Verbum illud Dei non est scriptum, erit traditum à Christo Dño, vel Apostolis. Quia post illos non accipit Ecclesia revelationes novas, sed antiquæ ab ea recipiuntur, & declarantur ex n. 191.

1142 Secunda. Quando eadem Ecclesia observat, & ad praxim reducit aliquid: quod ex vna parte non habetur expresse in sacra Scriptura: & ex alia ad id constituendum, vel

Digitized by Google

stabiliendum maior requiritur auctoritas, quam humana eiusdem Ecclesiæ num. 199. explicata: id ex traditione Christi observatur. Ita August. loc cit. Probatur. Sicut Ecclesia est infallibilis regula in his, quæ speculativa sunt, & credit; ita & in his, quæ ad mores pertinent, & quæ ad animarum salutem operatur, & docet. Ergo si quæ huiusmodi sunt, à potestate humana proficisci non possunt, ad Christum, tanquam ad primũ Auctorem referenda sunt. Ergo si ea Christus D. scripto non tradidit: vivæ vocis oraculo, & voce tenus docuit.

1143 Si eadem Ecclesia aliquid semper observavit, quod Canonice scriptum non sit, licet illud humanam, aut Divinam eius auctoritatem nõ excedat, à traditione Apostolica ortum ducit. Ita Tertullianus contra Praxeam lib. 4. Probatur. Id ab aliquo legitimam potestatem habente institutum est. Alias illud minimè observaret Ecclesia, quæ errare nequit quoad mores. Cum ergo ascendendo sursum vsque ad Apostolos, nequeat designari, quis illud instituerit: ab Apostolis ipsis fuisse institutum fideliter, firmiterque credendum est.

1144 Quarta regula. Cum omnes Sancti PP. aut omnes Scholastici, qui eis successerunt, veritatem aliquam, non contra; sed præterquam habetur in Scriptura sacra docent vnanimiter, & vno ore, esse de fide: ea ex traditione Christi D. aut Apostolorum descendit. Ita Augustin. contr. Faustum lib. 33. cap. 6. Probatur ex dictis quæst. seq. Omnes Sancti PP. aut Scholastici errare non possunt. Ergo veritas illa, quam esse de fide, omnes docent, talis est, & ex vera Divina revelatione. Si non ergo scripta: verbo tenus tradita. Vide Canum lib. & cap. 3. de locis, Bellarmin. lib. 4. de Verbo Dei non scripto cap. 9. Suarez de fide disp. 5. sect. 4. Gravin. tom. 1. præscript. lib. 4. cõtra 2. ab art. 4. Lyncæum tract. 1. 3. n. 24. & alios.

QVÆSTIO XII.

Quædam Divinæ, & Apostolicæ traditiones designantur.

1145 TRaditiones Divinæ, seu Christi, & Apostolicæ sunt in duplici differentia. Quædam in omnium sententia sunt tales, & Divina, aut Apostolica gaudent auctoritate. Aliæ solum probabiliter sunt tales. Quia gravissimi SS. PP. & Scholastici, eas esse tales, probabiliter negant: & humana solũ pollere auctoritate

Digitized by Google

tate docent. Omnes, quas legere potuimus, referemus, indicantes, quæ sint certo Christianæ, vel Apostolicæ: quæ vero solum probabiliter.

§. PRIMVS.

Traditiones certo Diuinæ, vel Apostolicæ specificantur.

1146 EXtat Scriptura sacra. Hęc, & non alia verba sunt Sacramentorum forma. Hęc, & non alia est illorum materia. Christus D. descendit ad inferos, vt animas ibi existentes ad cœlos transferret. Libri Canonici sunt tantum illi, quos designat Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana. Legitimus Scripturæ sacræ sensus est, quē eadem Ecclesia definit. Dogmata omnia, quæ continentur in Apostolorum symbolo, quod incipit: *Credo in Deum Patrem.* Forma Sacramenti Baptismi est: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Maria Sanctissima fuit semper Virgo. Panis, & Vinum substantialiter convertuntur in Corpus, & Sanguinem Christi. Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio. Tres Diuinæ Personæ sunt æquales in vna, eademque substantia, & distinguntur per proprietates relativas. Parvuli baptizandi sunt, licet rationis vsum non habeant. Hæretici non sunt rebaptizandi. Verba illa, quibus vtimur in Calicis consecratione: *Mysterium fidei: & æterni.* Christus D. ante panis consecrationem oculos in cœlum levavit. Principalia Ecclesiæ festa sunt celebranda. Professio Religiosa dirimit matrimonium ratum, non consumatum. Ecclesia potest dispensare in votis, iuramētisque. Extat Quadragesimale, & quatuor temporum ieiuniū. In Baptismo renuntiandum est Satanæ, & Angelis eius. Diebus Dominicis, & à Paschate vsque ad Pentecostem non ieiunatur. In omnibus actionibus signo Crucis, cum expressa cōfessione, & professione mysterij SS. Trinitatis, nos signare, & munire. Orationes pro defunctis fundere, & eorumdem anniversaria quotannis celebrare. Versus orientem orare. Imagines SS. Trinitatis, Christi D. Deiparæ V. Mariæ, & Sanctorum colere, eorum sanctitatem venerari. Chrisma singulis annis renovare. Aquam vino in Sacrificio Missæ miscere. Pascha, die Dominico, post quartam decimam Lunam Martij celebrare. Monasticus, & Religiosus status est laudabilis, & Deo vocante, amplectendus. Datur peccatū originale. Maria Virgo appellatur Deipara, seu Theotocon. In Christo sunt

duæ

Digitized by Google

duæ voluntates. Filius est consubstantialis Patri Æterno, eidem coæqualis, & coæternus. Confessio vocalis Sacramentalis facienda est quoad substantiam, & quoad circunstantias, vt modo fit. Communio sub vna sola specie sufficit ad salutem. Confirmatio est verum Sacramentum novæ legis à Christo D. institutum, a reliquis distinctum, & gratiæ collativum. Parvulis conferendum est, & à solo Episcopo. Dantur ordines minores. Baptizandi prius sunt exorcizandi, & vngendi. Deipara nunquam peccavit venialiter.

1147 Omnes istæ veritates tanquam fidei Catholicæ dogmata à cunctis fidelibus accipiuntur, & creduntur. Et quisquis aliquam earum pertinaciter negaret, Hæreticus foret. In Scriptura sacra expressè saltem non habentur: licet quædam, adiuncta traditione, ex eadem Scriptura deducantur. Nullum aliunde post Christum passum designari potest tempus, in quo inceperint: nullus Summus Pontifex: nullum Oecumenicum Concilium, à quo exordium sumpserint. Ergo ex sola Christi, vel Apostolorum traditione habentur.

(?)

*****

§. SECVNDVS.

Veritatem istam: Maria Virgo in cœlos cum corpore est assumpta: *Esse traditionem Apostolicam: probatur aduersus Excellentissimum Principem Marchionem de Mondexar.*

1148 IN præsenti difficultate vnum est supponendum, aliud probandum. Suppono tanquam certissimum, Deiparam in cœlos cum corpore fuisse assumptam. Suppositionem istam Magnus Parens Augustinus in serm. de Assumpt tract. 8. tom. 9 pag. mihi 421. 422. & 423. multis, & pulchetrimis demonstrat rationibus. Cap. 6. sic ait: *Istud ergo sacratissimum Corpus de quo Christus carnem assumpsit ::: escam vermibus traditum ::: quia sentire non valeo, dicere permitesco.* Et cap. 9. omnes epilogans rationes: sic ait: *Siquis autem refragari his elegerit, cum dicere non velit, hoc non posse Christum: proferat, quare non conveniat velle, ac per hoc non esse. Et tum se veraciter consilium Dei de his nosse manifestabit, incipiam credere, de quibus aliter non possum sentire: mirabor que, illum altitudinem consilij Diuini inuestigasse, quam me cum Apostolo digna reverentia vi-*

Digitized by Google

videor debere admirari: O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c. Hæc Augustinus.

1149 Et quamquam veritas ista hactenus ab Ecclesia definita non sit tanquam de fide: nihilominus cum magna fidelium devotione, & pietate est recepta ab eadem Ecclesia: à Sanctis PP. tum Latinis, tum Græcis: veteribus, & Recentioribus, Scholasticis, & Interpretibus tradita: rationi valde consona: speciali festo, & titulo Assumptionis Deiparæ canonizata, & quotannis celebrata. Atque omnia ista tam magnum apud me momentum habent, vt nō dubitem, ab Ecclesia Catholica veritatem hanc definiendam, si in consultationem referretur.

1150 Eamdem veritatem adeò certam iudicat Melchior Cano, vt contrariū asserere temeritatis nota damnandum esse existimet. En eius aurea, & eloquentissima verba, lib. 12. de loc. cap. 11. inter exponendum propositionem temerariā: Propositio temeraria duobus (ait Cano) modis vsurpari solet, & communiter, & propriè:::: Propriè ea vox vsurpatur, cum asseveratio vt temeraria notari potest. Temeritas porro non vno, & simplici modo intelligitur. Qui nulla aut ratione, aut auctoritate impulsus res ipsas affirmat: seu temere scribit, & dictitat, vel quod in buccam venit: iure is tanquam stultus, & temerarius reprehenditur::: Dicitur rursum, & id temere asseri, quod insolenter, nimiūque audacter asseritur. Quomodo omnibus in rebus asseverandi temeritas, pronuntiandique audacia turpis est quidem; sed in his, quæ ad Ecclesiæ doctrinam attinent, est periculosa, vel maximè. Habet enim contemptionem superbam Ecclesiasticæ regulæ: quā contemptionem nisi fidei iudices coerceant, & comprimant, dici non potest, quantum discriminis omnis Ecclesiæ doctrina sit habitura. Quæ igitur non inconsulta oratione modo, sed, vt verbis vtar gravioribus, confidenti audacia, insolentia proterva, exultatione impudenti, iactatione superba: non contra fidem dico; sed contra Ecclesiasticæ modestiæ regulam asseruntur: ea Theologi in præsenti temeraria censent, atque inter errorū gradus constituunt, & locant. Qui quoniam hæresum appendices sunt, à fidei iudicibus sunt animadvertendi. *Vt Beatam Virginem non esse in cœlos cum corpore assumptam, quod licet fidei minime aduersum sit; sed quia communi Ecclesiæ consensioni repugnat, petulanti temeritate diceretur.* Hactenus Cano, & quidem verissimè, & elo-

Digitized by Google

eloquentissimè. At hæc, vt à nostro instituto aliena, quasi primoribus labris gustasse, sufficiat. Qua præmissa suppositione: accedentes ad ea, quæ nostra sunt, atque ad tempus, & locum propriè pertinent: videamus quid sentiat Excellentissimus Princeps, & Marchio de Mondexar circa præsentē difficultatem de traditione Apostolica.

1151 Igitur Excellentissimus Princeps Marchio de Mondexar D. D. Gaspar de Mendoza Ibañez de Segovia, vir eruditissimus: omnium optimarum artium studijs perpolitus, excultus, atque ornatus: satisfacere volens cuidam suo Antagonistæ, aut impugnatori in Dissertationibus Ecclesiasticis Dissert. 4. cap. 5. num. 27. & 29. expresè negat, aut negare videtur, fuisse traditionē Apostolicam, quod Sanctissima Maria Virgo in cœlos cū toto pore est assumpta. Eius assertionem subijciemus, ex Hispano idiomate Latine ad Verbum ferè expressam.

1152 * *Secundum exoticum*, aut novum assertum, vel dictum, quod offerunt verba impugnatoris, est securitas, vel confidens audacia, qua refert tanquam traditionem Apostolicam felicissimū SS. Dominæ nostræ M. V. transitū, faustissimamque illius Assumptionem; in primitiva Ecclesia à diligentissimis eius Doctoribus æquè ignoratam, ac postmodum certam, constantem, inconcussam, & canonizatam: Et quidquid Antagonista meus de somniata Apostolica traditione Assumptionis Deiparæ ex celeberrimis Ecclesiæ Doctoribus è proprio arbitrio, aut cerebro nobis introducit: minimo percipitur *negotio*. * Hæc Excellentissimus Princeps, & Marchio de Mondexar. Sed tanti Principis venia, liberius, quam par erat, hæc dicta sunt.

1153 Eloquentissimus Melchior Cano lib. 12. de loc. cap. 9. prudentissimè admonet, liberiorem quorundam hominum loquendi licentiā, quamvis errorem non habeat, à fidei iudicibus esse coercendam: vt quæ afferat aliquando audientibus perniciem. Estque iam commune proloquium: *Ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis.* Licet paremia ista non sit desumpta ex D. Hieronymo: vt plerique existimant, sed ex Magistro sententiarum per D. Thomam, & deinceps per omnes Theologos: vt notat idem Cano loc. nuper cit. Forsitam haud pauci, non solum è vulgo, sed ex his, qui in quatuordecim sedere dicuntur, aut censentur: Excellentissimi huius Principis mihi semper colendissimi, & amicissimi verba

vul-

Digitized by Google

vulgari, & Hispano idiomate scripta legentes, vel audientes scandalizabuntur, offendentur, commovebuntur, & quidē vehementer. Ad hæc. Plures intelligent, Marchionem de Mondexar absolutè sentire, quod Deipara V. M. non est in cœlos cum corpore assumpta. Quod esse temerarium, sentit Cano ex num. 1150. Absit à me. Apage, vt tale quid sentiā ego de viro in omni disciplinarum genere versatissimo, & pijssimo. Verumenimvero fortè non deerit, qui eum ita exponat. Et vtcumque res se habeat: vereor ne ipsius assertionem, seu propositionem male sonantem, aut piarum aurium offensivam, aut scandalosam (quæ revera coincidit cum male sonante, iuxta Canum) existiment quam plurimi. Absdubio vulgus, quod talem propositionem audiret, perstringeretur, percuteretur, torqueretur. Vide Melchiorem Cano dicto lib. 12. cap. 8. 9. 10. & 11. Vbi solita eloquentia, & Scholastico rigore exponit propositionem hæreticam, erroneam, sapientem hæresim, piarum aurium offensivam, temerariam, scandalosam, schismaticam, seditiosam, maledicam, & contumeliosam. Cuius expositiones invitus prætermitto, ne liber iste noster evadat Amalthæa, aut Bibliotheca rebus vniversis instructa; qualis est ea, quam habet Excellentissimus ipse Marchio de Mondexar; Brevitati enim studemus. Atque vtinam non decipiat nos eiusmodi brevitatis studium. Decepit enim plurimos: quosdam, qui, cum se breves esse, existimarent, fuere longissimi: alios, qui, cum se breves esse laborarent, fuere obscurissimi. Sed hæc hactenus. Probemus iam adversus Excellentissimū Marchionem, esse traditionē Apostolicam, quod Deipara in cœlos cum corpore fuerit assumpta.

1154 Quod nullis alijs aptioribus verbis præstare poterimus, quam his, quibus vtitur Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia in officio Divino die 18. Augusti infra octavam Assumptionis B. Mariæ in secundo Nocturno, desumptis ex Div. Ioanne Damasceno orat. 2. de dormitione Deiparæ sub fin.

1155 En eius verba. Ex antiqua accepimus traditione, quod tempore dormitionis Beatæ Mariæ Virginis vniversi quidem Apostoli, qui orbem terræ ad salutem Gentium peragrabant, momento temporis in sublime elati convenerunt Hierosolymis: cum illic essent, eis visio apparuit Angelica, & audita est Psalmodia cœlestium Potestatum, & sic cum Divina glo-

Digitized by Google

gloria in manus Dei sanctam tradidit animam. Eius autem corpus, quod Deum ineffabili quadam ratione susceperit, cum Angelica, & Apostolica Hymnodia elatum, in loculo fuit depositum Gethsemanè, qno in loco Angelorum cantus mansit tres dies continuos. Post tres autem dies, Angelico cantu cessante, qui aderant Apostoli (cũ vnus Thomas, qui abfuerat, post tertium diem venisset, & quod Deum susceperat, corpus adorare voluisset) tumulum aparuerunt: sed omni ex parte sacrum eius corpus nequaquã invenire potuerunt. Cum ea autem tantum inveniſſent, in quibus fuerat compositum, & ineffabili, qui ex ijs proficiscebatur, essent odore repleti, loculum clauserunt. Eius mysterij obstupefacti miraculo, hoc solum cogitare potuerunt, quod cui placuit ex Maria Virgine carnem sumere, & hominem fieri, & nasci, cum esset Deus Verbum, & Dominus gloriæ: quique post partum incorruptam servavit eius Virginitatem, eidem etiam placuit, & ipsius, postquam migravit, immaculatum corpus, incorruptum servatum, translatione honorare ante communem, & vniversalem resurrectionem. Hactenus ibi.

1156 Floruit Demascenus ad annum 731. apud Bellarminum de Script. Eccles. Iam tunc erat traditio antiqua. Nota ibi; *Ex antiqua accepimus traditione.* Quod verò esset *Apostolica*: vniversus sermonis textus demonstrat. Hoc docet tota per orbem Ecclesia. Magnus Parens Augustinus ait: *Insolentissimæ insaniæ esse, disputare, an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia,* vt vidimus num. 1125. in fin. Similiter est insolentissimæ insaniæ, disputare, an credendum sit, quod tota per orbem credit Ecclesia. Nam Ecclesia Catholica æque infallibilis est in doctrinalibus, & credendis, ac in moralibus, & agendis. Tota per orbem Ecclesia docet, & cantat, esse antiquam traditionem Apostolicam. Ergo non fuit ignorata in primitiva Ecclesia à diligentissimis eius Doctoribus. Ergo non est Apostolica traditio somniata. Et omni procul dubio Excellentissimus Princeps, & Marchio de Mondexar excesit in his verbis: *In primitiua Ecclesia a diligentissimis eius Doctoribus ignoratam. De somniata Apostolica traditione.*

1157 *Excesit*, inquam, vt modestissimè, & vrbanissimè quam possim, loquar: & Angelici Præceptoris Verbo in simili vtar. Est traditio Apostolica, quod eadẽ Sanctissima V. Maria fuit omnino immunis ab om-

Digitized by Google

omni peccato actuali, etiam veniali ex num. 1146. in fine. Vt docent Suarez disp. 5. de fid. sect. 4. n. 10. & Lyncæus tract. 13. num. 14. Quam immunitatem expressè docet Concilium Tridentinum Sess. 6. can. 23. Angelicus Præceptor 3. p. q. 27. art. 4. incidit in quemdã è Sanctis PP. qui contrarium expresse tenere videtur. Reverentiæ causa proprio nomine eum non appello. Quia malo antiquitati, & sanctitati parcere, quam otioso lectori satisfacere. Incidit, inquam. Et videns D. Thomas, veritatem istam immunitatis Deiparæ ab omni peccato actuali etiam veniali, esse Apostolicam traditionem, adversus quam sensit Sanctus ille Pater: eum exponens in resp. ad 3. sic ait: *Dicendũ, quod in verbis illis N. excessit.* Nota hic D. Thomæ modestiam, reverentiam, & humilitatem erga Sanctum Patrem, qui minus rectè, & pie, quam par erat, senserat de B. V. Mariâ. Qui in gravioribus disciplinis strenuã navant operã maximè in Academijs, licet contrarias sequantur sententias, & acri concertatione inter se disputent: vbique, qua Verbo, qua scripto humanitatem, decorem, vrbanitatem servant: præsertim quando de problematicis differunt. Demus gratis, D. Ioannis Damasceni sententiam, quam tota per orbem sequitur Ecclesia, solum esse probabilem: Excellentissimus Marchio supersedere debuit ab illis verbis: *Ignoratam: somniata.* Nimis libere ipse locutus est. Fortè Princeps iste D. Damascenum nunquam legit: quia obligationem recitandi Officium Divinum non habuit. Vtcumque tamen res se habeat, in illo loquendi modo, in materia adeò gravi, pia, & approbata tum per SS. PP. Augustinum, Damascenũ, & alios innumerabiles: tum per omnes Scholasticos: tum denique per totam Ecclesiam: excessit. Solum adversus Sectarios in quæstionibus dogmaticis acriter, &, vt aiunt, velis, equisque agendũ est. Imò sunt qui nec in illos acrius invehi velint. Quia si acrioribus eos coarguas verbis, quandoque penitus obfirmabunt animos. Quare miserandi sunt Hæretici, qui in tot erroribus sunt detenti, & exorandus Deus, vt eisdem largiatur lucem qua perspicere possint veritatem, agendo cũ illis vrbanissimè, & pacatissimè quam possit: vt præmonuit Bollandus tom. 1. in Acta Sanctorum in Prolog. Licet sint inter eos quidam ea petulantia, aut potius furore, vt difficile sit, non commoveri, cum eorum Scripta incideris, aut cum eis disputaveris. Quia Lutherani v. g. negant omnia prin-

Digitized by Google

principia. Contra quos quis sine acrimonia, & quin vehementer commoveatur, disputationem aggredietur? Ideo ait Cano lib. 3. de loc. cap. 5. *Ego verò cum Lutheranis quotiescũque me comparo ad disserendum, repente à me avertitur oratio mea, & omnis statim mihi disputandi ratio tollitur.* Et Div. Thom. 2. 2. quæst. 38. artic. 1. ait: *Si contentio dicatur impugnatio falsitatis, cum debito modo acrimoniæ, sic contentio est laudabilis, aliter enim nequit res examinari, nec veritas tenebris obnubilata in lucem edi.* Sed de his hactenus.

1158 Ratio, vel auctoritas num. 1155. adducta confirmatur. Traditio illa à solis Apostolis videtur trahere originem. Ergo est Apostolica: iuxta regulas à num. 1141. stabilitas. Consequentia liquet. Et antecedens expresse haberi videtur in prædicto Damasceni Sermone. Ad hæc. Traditio illa non est Christi D. qui prius, quam sua Sanctissima Mater ad cœlos ascendit. Ignoratur tempus, in quo post Apostolos inceperit: vel à quo Pontifice, vel Concilio. In Scriptura sacra veritas ista expresse nõ habetur & à cunctis Theologis defenditur: contraria assertio tanquam temeraria damnatur: ab Ecclesia in publico Officio Divino recitatur. Ergo.

1159 Forsitan respondebit primo Excellẽtissimus Marchio. Licet historia aliqua omnium Ecclesiarũ ore celebretur in Divinis Officijs, & licet approbetur à Summis Pontificibus, non ideo est certa. Aliquã enim talẽ negant viri doctissimi. Ergo. Probatur antecedens. Constantinum Magnum Augustum Romæ à S. Silvestro fuisse baptizatum, & miraculosè à lepra liberatum: omnium Ecclesiarum ore ita celebratur, & à Summis Pontificibus approbatur. Quam veritatẽ multi olim negarunt, & etiamnum aliqui negant: vt videre est apud Melchiorem de Cano lib 11. de loc. cap. 3. arg. 13. & 14. & cap. 5. in resp. ad 13. & 14. & Cabassutium in notit. Concil. cap. 23. veteres enim omnes illius temporis Scriptores historiam tacuisse videntur, nõ omissuri, si scivissent: scituri omnino rem, si fuisset. Ergo.

1160 Peringenue fateor, non omnia, quæ in publicis Ecclesiæ precibus passim canuntur, esse de fide Catholica, & Divina oracula certo, & definitivo Apostolicæ Sedis iudicio comprobata. Plura sunt de fide, multa certa: quædã dumtaxat probabilia. Vide N. P. Fr. Raphaelem à S. Ioanne in suo aureo lib. de Redempt. Captivorum num. 398. & 399. Baronium ad annum 302. à num. 88. die

Digitized by Google

die 26. Aprilis, & alios. Cæterum Constantini historiã, præterquamquod eam tenent Div. Damascenus, & Div. Thomas, relatus Cano sic defendit: *Id vero ex eo facile refellitur, quod Ecclesia à Silvestro eum Romæ baptizatum esse, certo prædicat. Quapropter testatum omnibus volo, vt hoc etiam tuto, & opinentur, & credant. Arriani enim male sentientes animo, & Consilio Diabolico hoc confixerunt, non Romæ* (sed Nicomediæ sub finem vitæ) *Baptismum suscepisse, prodiderunt. Quod absurditatis, & mendacij plenum est::: Vbi Hæreticorum industriam, ac diligentiam in propaganda secta mirari satis non queo. Omnia quippe illi miscent, vt viri pietate insignes, præsertim si aut Reges, aut Imperatores sunt, ipsorum partes fovisse videantur. Tanta verò id arte efficiunt, vt doctos etiam viros, necdum imperitos fallant.* Hactenus Cano. Et capite 6. designans leges, & regulas veræ historiæ ait: *Tertia regula. Sicui Historico auctoritatem Ecclesia tribuit, hic dubio procul dignus est, cui nos etiam auctoritatẽ adiungamus. Contra verò, cui Ecclesia derogavit fidem, ei quoque nos fidem iure, ac merito derogabimus.* Hæc ille. Et quidem verissimè. Nulla ergo fide dignum est, quod ait Cabassutius de Baptismo Constantini Magni, sicut nec illud, quod alij dixerunt, Constantinum semel Romæ, iterum Nicomediæ suscepisse Baptismum. Quod omnino non displicet Excellentissimo Marchioni de Mondexar: vt in familiari colloquio ab eodem audivi.

1161 Ex dictis autem constat, quam imbecille sit Marchionis argumentũ. Quia Deiparam fuisse in Cœlos cum corpore assumptam necdum tradunt Historici, verumetiam prædicat Ecclesia, & tenent omnes Theologi, & contrariam propositionem ex genere, & obiecto absolutè pronuntiant temerariam. Quæ autem talis est, semper est temeraria. Sicut propositio, quæ ex suo genere, & obiecto est hæretica, erronea, sapiens Hæresim, piarum aurium offensiva, &c. semper fuit, & est talis. Nec Ecclesia sua definitione ex non Hæretica, ex non temeraria, &c. in actu primo facit propositionem aliquam Hæreticam, temerariam, &c. Sed eam, quæ erat talis in actu primo, & revera, declarat talem in actu secundo, & quoad nos: vt notat idem Cano lib. 12. cap. 8.

1162 Forsitam secundo respondebit Excellentissimus Marchio. Qui veritates, vel propositiones non perti-

Digitized by Google

nentes ad sacram Catholicæ fidei doctrinam, ad hanc pertinere affirmant, plurimum eidem nocent, turpiter agunt: imò planè delirant. Sed esse traditionem Apostolicam, quod Deipara sit cum corpore in cœlos assumpta, non videtur pertinere ad sacram Catholicæ fidei doctrinam. Ergo qui affirmant, ad eam pertinere hi eidem plurimum nocebunt, &c. Consequentia tenet. Major est expressa Div. Augustini lib. 5. in Confession. & in 1. super Genes. ad litt. & Div. Thomæ opuscul. 10. in procem. Minor autem probatur. Quod Deipara sic sit assumpta: est historia pure humana: Apostolica autem traditio est doctrina sacra. Ergo.

1163 Non est facile discernere, quæ res, vel quæstiones pertineant, vel non pertineant ad sacram fidei Catholicæ doctrinam: id solum possunt præstare viri doctissimi, in Scholis diu versati. Sed non omnibus contigit, adire Corinthum, vt inquit Melchior Cano. Quæ Deus Ecclesiæ suæ, aut verbo, aut scripto dedit, ista ad fidem, seu doctrinam sacram eiusdem fidei immediate pertinent. Quæ verò ex illis duobus per Scholasticam, & Theologicam conclusionem deducuntur: mediate tantum spectant ad sacram fidei doctrinam. Ita Cano lib. 12. cap. 6. in fine. Et Turrecremata relatus ab eodem Cano cap. 7. Septem gradus, aut genera ponit propositionum ad Catholicæ fidei doctrinam pertinentium. Primus gradus est earum, quæ in Scriptura sacra expressè habentur. Secundus earum, quæ ex eadem per Theologicam Conclusionem legitimè deducuntur. Tertius earum, quæ verbo tenus Christus Dominus Apostolis: Apostoli Ecclesiæ tradiderunt. Quartus earum, quæ in Concilijs Generalibus definitæ sunt. Quintus earum, quæ à Sede Apostolica sunt propositæ fidelibus ad credendum. Sextus earum, quæ de fide, & refutatione Hæreticorum Sancti Doctores vna mente, vnaque voce docuerunt. Septimus illarum, quæ ex tertio, quarto, quinto, & sexto generibus consecutione firma, & necessaria derivantur. Iuxta quæ septem genera Catholicarum propositionum alia septem distinguntur genera propositionum Catholicæ fidei repugnantium, & alicuius censuræ Theologicæ dignarum. Quarum prima, & potissima est hæretica. Secunda, erronea. Tertia, hæresim sapiens. Quarta, piarum aurium offensiva. Quinta, te-

Digitized by Google

temeraria. Sexta, scandalosa. Septima, schismatica. Octava, seditiosa. Nona, maledica, seu contumeliosa: vt num. 1153. dictum est. Hæc est doctrina horum Theologorum, & quidem insignium Iuxta quam neganda est minor argumenti cum sua probatione. Sicut enim pertinent ad fidei doctrinam veritates istæ: *Deipara nunquam peccavit venialiter*: *Deipara semper fuit Virgo*: & aliæ ex num. 1146. ita & ista: *Deipara cum corpore assumpta est in cœlos.* Quod si adhuc Excellentissimus Marchio de Mondexar veritatem huiusmodi dissuadere conetur: vereor, ne frustra nitatur, & nihil aliud, quam odium, & indignationem plurium, laborando, consequatur. Quod esse extremæ dementiæ notat Melchior Cano. Ego, vt cum Div. Augustino loquar, *de veritate ista quia aliter sentire non audeo, aliter dicere non præsumo:::: si dixi, vt debui, approba Christe tu, & tui: si autem non vt debui, ignosce obsecro tu, & tui. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Quæ superius dicta sunt, bona venia tanti, & tam eruditi Principis dicta sint. Eloquentissimus Melchior Cano asserit, fidei minimè adversum esse, asserere, Beatam Virginem non esse in cœlos cum corpore assumptam, vt supra dictum est. In quo ipse eloquentissimus Cano nobis non contradicit iuxta dicenda §. seq. Sunt enim plures veritates probabiliter tantum de fide, licet alias sint certissimæ. Quia nimirum subiudice lis est, an contineantur expressè in Scriptura sacra, vel sint traditiones Divinæ, & Apostolicæ.

§. TERTIVS.

Traditiones probabiliter Divinæ, vel Apostolicæ designantur.

1164 SVnt plures propositiones, quæ probabiliter sunt de fide, Theologicæ, certæ, &c. Sunt item propositiones, quæ iuxta quosdam probabiliter sunt hæreticæ, erroneæ, hæresim sapientes, &c. Imò ex dictis num. 849. propositio, quæ in sacris litteris, aut Sanctis Patribus est de fide, vel saltem vera, & dulcis super mel, & favum, vt vtar verbis Cani, in aliorum libros transmissa, est hæretica, vel erronea, gustui amarissima. Vide Cano lib. 12. cap. 11. in expositione propositionis sapientis hæresim. Quã similiter sunt quędam propositiones, quæ iux-

Digitized by Google

ta quosdam Sanctos PP. Scholasticos, & Interpretes sunt traditiones Christianæ, aut Apostolicæ: & iuxta alios non sunt tales.

1165 Sapientissimus Lyncæus tract. 1. in præsenti à n. 44. plura refert exempla. Aliqua breviter indicabimus. Zacharias occisus est, quia Mariæ Virgini, post felicissimum eius partum, in templo inter Virgines locum dedit. Magi tredecim diebus venerunt ad adorandũ Christum. Fuerunt tres, Melchior, Gaspar, Balthasar. Primus, aurum: secundus, thus: tertius obtulit Myrrham. Sancti Innocentes ab Herode propter Christum interfecti, fuerunt quatuordecim millia. Christus baptizatus est mense Ianuarij in die Epiphaniç. Crux Christi fuit ex quatuor lignis. Fuit ex duobus. Fuit ex vno. Christus Crucifixus est, vbi Adam est sepultus. Mundus est creatus die 25. Martij. Eodem die Christus est conceptus, mortuus, & sepultus: & erit mundus iudicandus.

1166 Notant Theologi, aliquas Divinas, & Apostolicas traditiones fuisse tantum temporales, & mutatis circunstantijs, iam non esse in vsu. Licet enim leges Ecclesiæ ad fidem & mores spectantes variari nequeant: quæ tamen pertinent ad disciplinam, variari, & mutari valent. Plura exempla refert Lyncæus loc. citat. V. g. Perceptio Eucharistiæ temporibus antelucanis. Communio omnium fidelium in Missa. Communio laicorum sub vtraque specie. Communio infantium vsu rationis carentium. Exhibitio Eucharistiæ etiam mortuis, & quod Eucharistia simul cum illis sepeliretur. Fœminæ propria manu sumebant Eucharistiam. Eucharistiæ particulas secum ferebant ad domos suas, vt eas ante alium cibum primo mane sumerent. Agapes, seu cœnæ, quæ fiebant in Ecclesijs, &c.

1167 Clerici fornicarij, vel deponebantur, vel pœnitentia decem annorum sine vlla redemptione hoc pacto plectebantur. Primis tribus mensibus, privato loco à cæteris remoti, pane tantum, & aqua à vespere in vesperam vtebantur. Postmodum vnum annum, & dimidium in pane, & aqua explebant. Postea vsque ad expletionem septimi anni, toto tempore: exceptis Paschalibus diebus, tres ferias in vnaquaque hebdomada: in pane, & aqua ieiunabant, & deinceps vsque ad expletionem anni decimi sexta tantum feria ieiunabãt in pane, & aqua. En quanto rigore castigabantur Clerici fornicarij!

Digitized by Google Vti-

Vtinam & nunc aliquantulum severius, quam puniuntur, plecterentur!

1168 Publica peccatorum confessio fiebat ad propriam humilitatem, & aliorum ædificationem. Fœminæ, solū velatis capitibus, in Ecclesia Divinis Officijs assistebant. Ieiunantes in Quadragesima etiā à vino abstinebant. Ieiunantes non sumebant cibum, vsque ad horam nonam: id est: tertiam post meridiem: & in quadragesima vsque ad Vesperam. In Quadragesima nō celebrabatur Missa vsque ad horam nonam. Omnes Sacerdotes consecrabantur Episcopi, esto non omnes Episcopalem haberent iurisdictionem. Sed de his hactenus.

QVÆSTIO XIII.

An traditiones Diuinæ, & Apostolicæ sint via ad explorandum legitimum Scripturæ sacræ sensum?

1169 QVæ in superioribus à n. 1112. hucusque diximus, occasione huius quæstionis tradidimus. Respondeo ergo affirmativè, & quidem certissimè cum omnibus Catholicis. Et probatur efficaciter ex Sophronio in epist. & Actione 13. Concilij 6. Gener. dicente: *Multa extra Apostolicam, atque paternam traditionem asseruerunt* (origenistæ) *Paradisi plantationem proijcientes: in carne Adam formatum fuisse nolentes: ex eo Euam formatam fuisse vituperantes: serpentis sonitum refutantes, &c.* Origines enim, & multi eius discipuli in sensu solum mystico intelligebant, quæ in principio Geneseos leguntur de plantatione Paradisi, creatione Adæ, Evæ, &c. Quæ tamen in sensu litterali proprio debere intelligi, constat ex traditione Divina: ab Adam vsque ad Apostolos: ab Apostolis vsque ad nos protracta. Alia omitto exempla brevitatis causa. Vbicumque igitur Scripturæ sacræ sensus fuerit obscurus, consulēdæ sunt traditiones Divinæ, & Apostolicæ, si extent. Ex his petenda est legitima illius intelligentia. Scriptura sacra, & traditiones Divinæ, & Apostolicæ sunt propria, legitima, fontalia, & capitalia loca Theologica, vt optimè notat Melchior Cano lib. 12. de locis cap. 3. in fin. sed de his satis.

(*)

(*)

****
****
****

Digitized by Google

QVÆSTIO XIV.

An auctoritas Ecclesiæ Catholicæ Romanæ sit via ad explorandam verum Scripturæ sacræ sensum?

1170 CONclusio affirmativa est fide sancta ex dictis à num. 186. Eadem enim est ratio de sensu legitimo Scripturæ sacræ, ac de eadem Scriptura sacra. Et sicut liber, qui pro Canonico definitur ab Ecclesia, talis est, ita sensus Scripturæ sacræ, qui pro vero, & Catholico declaratur ab eadē Ecclesia, est talis. Et patet ex Trid. Sess. 4. ad illa verba: *Contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum.* De hac materia videndi sunt Cano lib. 4. de loc. Bellarm. lib. 3. & 4. de Ecclesia militante, Suarez tract. 1. de fid. disp. 9. Becanus part. 2. tract. 1. cap. 5. & alij.

1171 Fidei articuli (qui à Deo Divinitus revelati sunt, & partim habentur ex Scriptura, partim ex traditione) secure, & infallibiliter credi nequeunt, nisi legitimè & infallibiliter proponantur nobis. Et Ecclesia est, quæ eos nobis ita proponit ex dictis à n. 186.

1172 Ecclesiæ nomine intelligimus cœtum hominum eiusdem Christianæ fidei professione, & eorumdem Sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè vnius Christi in terris Vicarij Romani Pontificis.

1173 Ecclesia ista tres præcipuas habet conditiones; Est visibilis. Si enim invisibilis foret: nec nobiscum agere, nec fidei articulos nobis proponere posset. Est infallibilis. Alias non redderet nos in fide secutos, & in conscientia tutos & quietos. Est nota. Nam si nobis certo nō constaret ex notis, signis, testimonijs, & argumentis, vbi, & quæ esset visibilis, & infallibilis Ecclesia, nec certo nobis constare valeret, an fidei articuli certo, & infallibiliter nobis proponerentur.

1174 Ecclesia est quoddam corpus vivum, in quo est anima, & corpus. Anima sunt interna Spiritus Sancti dona: fides, spes, charitas, &c. corpus sunt externa fidei professio, & Sacramentorum communicatio. Qua parte est ornata illis donis, est invisibilis. Qua autē constat hominibus, est cœtus illorum visibilis, & palpabilis, sicut Hispaniæ Regnum, & quodlibet aliud. Hinc confirmantur quæ à num. 803. dicta sunt.

1175 Eiusmodi visibilis Eccle-

Digitized by Google

Ecclesia est vna, sancta, Catholica, Apostolica, Sponsa Christi, Domus Dei, columna, & firmamentũ veritatis. Extra hanc visibilem Ecclesiam nemo potest salvari. Quod Calvinus, & Melanchthon peringenue fatentur.

1176 Hæc visibilis Ecclesia nequit deficere, vel errare in fide. Intelligitur autem Ecclesia num. 1172. definita: id est: tota Christi Ecclesia, sive tota Christianorum multitudo ex Pastoribus, & ovibus conflata. Nec Christus D. permisit, aut permissurus est, vt ipsa tota Ecclesia, prout toto orbe diffusa est, publicè profiteatur dogma aliquod, quod sit contra fidem, vel Evangelium. Quia alias Ecclesiæ error Christo, & Spiritui Sancto tribueretur.

1177 Lutherani, & Calvinistæ blaterant, totam Christi Ecclesiam visibilem, quę primis quingentis, vel quadringentis, vel trecentis annis verā habuit fidem, & religionem, postea errasse: & propter Pontificis crimina (quem Anti-Christum appellant) vsque ad tempora Lutheri, & ad annum 1517. in errore perseverasse: vel latuisse, vel defecisse, & perijsse. Vid. sup. num. 206. & à n. 384.

1178 Falluntur tamen apertissimè. Nemo enim salvari potest extra Ecclesiam visibilem; vt cum Catholicis fatetur Calvinus. Sed semper aliqui salvati sunt. Ergo est falsum, Ecclesiam visibilē ab anno 100. vsque ad 1517. non extitisse. Alias enim toto illo tempore nemo salvatus fuisset.

1179 Visibilis ista Christi Ecclesia, non est alia, quam Romana, seu Pontificia, toto orbe diffusa, & quam Lutherani, Calvinistæ, & eorum sequaces *Papisticam* vocant. Nec sumitur Romana Ecclesia pro sola illa Ecclesia particulari, quæ olim fuit Romæ, & nunc est, sed pro collectione omnium fidelium, qui toto orbe dispersi, adhærebant olim Romano Pontifici, & nunc etiam adhærent.

1180 Hæc est vera Christi Ecclesia ex num. 196. & 197. Visibilis enim Christi Ecclesia nequit deficere, aut errare in fide. Ergo à tempore Apostolorum, ad nos vsque semper permansit visibilis Christi Ecclesia sine vlla interruptione, aut errore. Imò & in triduo mortis Christi D. Quia tunc etiam remansit fides vera in Deipara, & Apostolis, vt optimè notant Cano, Bellarminus, & alij. Et illa candela, quæ in tribus noctibus maioris Hebdomadæ, inextincta servatur, reliquis extinctis, non significat, in sola Deipara, non verò in Apostolis remansisse fidem: sed fidem expressam de Resurrectione in so-

Digitized by Google

la Deipara manſiſſe. Tunc vltra Nulla alia viſibilis Eccleſia, præter Romanam, ſeu Pontificiam, manſit ſine vlla interruptione, & errore. Ergo ſola Romana, Apoſtolica, Catholica eſt vera viſibilis Chriſti Eccleſia. Probatur minor inductione. Quia Iudaica abrogata, & repudiata eſt per mortem Chriſti. Qui eſt verus Meſsias in lege promiſſus, naturalis Dei Filius, & verus Deus, qui opus redēptionis noſtræ peregit. Turcica, ſeu Mahometana non ſemper fuit ex n. 387. Quia anno 616. orta eſt Lutherana, & Calviniana, quam Reformatam vocant, nova eſt. Quia ex num. 206. cœpit anno 1517. & 1540. Sola Pontificia hactenus perſeveravit. Ergo.

1181 Huic argumento multipliciter ſatisfacere conātur Hæretici, Mahometani, & Iudæi. Irritus tamen eſt eorum conatus. Omnes Hæretici tam veteres, quam recentes vocantur Athei à Sanctis PP. & Scholaſticis. Nulla eſt iam ſecta, ſi noſtram Catholicam, Apoſtolicam Romanam excipias, quæ in Atheiſmum tandem non ducat.

1182 Vide Elizalde de forma veræ Relig. quærendæ, quæſt. 22. à num. 369. & 373. Læſium lib. 1. de Provid. Theophylum Raynaudū tom. 5. diſt. 5. à num. 213. Beyerlinck in theatro vitæ hum. verbo *Athei*, & Suarez de fid. tract. 1. diſp. 4. & ſect. 4. & diſp. 10. ſect. 4.

QVÆSTIO XV.

An auctoritas Conciliorum Generalium à Summo Pontifice approbatorum ſit via ad inveniendum legitimum Scripturæ ſacræ ſenſum?

1183 REſpondeo affirmativè cum omnibus Catholicis. In quo omnes conveniunt. Probatur: Eiuſmodi Concilia circa fidem, mores, & Religionem errare nequeunt. Ergo ſunt via tutiſsima ad inveniendum legitimum Scripturæ ſacræ ſenſum: Conſequentia eſt legitima. Et antecedens de fide. Alias enim Hæteſes omnes redirent: nulla via relicta fuiſſet ad dirimendas quæſtiones pertinentes ad fidem, mores, & religionem: actum eſſet de noſtra fide, & Religione Catholica. Deus in neceſſarijs ad ſalutem neceſsitate medij defuiſſet. Concilij Generalis à Summo Pontifice approbati, & conformati, & conſequenter totius Eccleſiæ error attribueretur Chriſto, & Spiritui Sancto. De hoc argumento tractant Canō lib. 5. de loc. Bellar. lib. 1. & 2. Suarez de fid. tract. 1. diſp. 11, & alij.

Digitized by Google Hic

1184 Hic nonnulla breviter prælibare placet. Et quia definitio est principium omnis certæ cognitionis de qualibet re: & cum illa traditur, nomen in significatione propria intelligitur. Nomine Concilij in Ecclesia significatur id ipsum, quod nomine Comitiorum in Regnis. Concilium ergo sunt Sacerdotes, præsertim Episcopi (qui successerunt Apostolis in Episcopali potestate, licet non in Apostolica) in vnum locum congregati, vt fidei, religionis, & morum causas tractent, decernant, & definiant. Conciliorum origo in Ecclesia non est humana, sed Diuina: ortum ducit à traditione Apostolica. Tria Concilia celebrarunt Apostoli ex cap. 16. & 15. Actor. Concilia alia sunt Generalia, alia Nationalia, alia Prouincialia, alia Diœcesana. Generalia, nec definiri, nec Congregari valent, si standum foret nuperæ declarationi illustrissimi Cleri Gallicani, anno 1682. editæ: vt notat Auctor tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib 5. cap. 2. à n. 3. pag. 219. Nihilominus sunt definienda. Concilium ergo Generale dicitur, cui intersunt omnes Episcopi totius orbis legitime non impediti, à Summo Pontifice convocati, & quibus præsidet ipse Pontifex per se, aut per suos legatos. Dicitur *Œcumenicum*: hoc est totius orbis. *Nationale*: in quo conveniunt Archiepiscopi, & Episcopi vnius Regni, vel Nationis, quibus Patriarcha, vel Primas. *Prouinciale*, in quo conveniunt tantum Episcopi vnius Prouinciæ, quibus præest Archiepiscopus, vel Metropolitanus. *Diœcesanum*: in quo conveniunt Presbyteri vnius Episcopatus, quibus præest Episcopus.

1185 Concilia Generalia sunt valde vtilia ad extinguendas hæreses, reformandos mores: tollendum schisma, &c. Plausibiliusenim acceptātur quæ in Concilijs Generalibus per summum Pontificem confirmatis decernuntur, quam quæ à solo Summo Pontifice seorsim a Concilio definiuntur: licet Pontifex seorsim ab eodē Concilio Generali summam, & maximam habeat infallibilitatem in omnibus, quæ ad fidem, mores, & religionem spectant. Quare nec Concilij Generalis Congregatio præiudicat infallibili Pontificis auctoritati. Nihilominus Concilia Generalia simpliciter necessaria non sunt. Et tribus primis sæculis nullum celebratum est. Ad solum Pontificem Romanum non verò ad Imperatorem, vt blaterant Lutherus, Calvinus, & Carolus Molineus num. 197 referendus: privativè spectat indicere, & convocare ad Concilij Ge-

Digitized by Google

ne-

nerale. Summus Pontifex, est supremus iudex in Cõcilijs Generalibus. Eminent. DD. Cardinales: Episcopi omnes, totius orbis Catholici: sacrorum Ordinum Generales: aliqui Abbates exercent etiam munus iudicis, & decisivum habent suffragium: Theologi ad Concilium Generale convocati solũ habent votum consultivũ. Imperatores, & Reges per se, vel per suos legatos solum assistunt, vt testes, aut defensores, nõ verò tanquam Præsides, vt mentiuntur Hæretici. Concilium Generale nondum confirmatum à Summo Pontifice errare potest in fide, & moribus. Superest enim adhuc ille, pro cuius fide oravit Christus D. Si autem cõfirmatum est: errare non potest. Ideo Concilia Generalia à Summo Pontifice semel confirmata nunquã sunt correcta, aut emẽdata per posteriores Summos Pontifices, aut Concilia Generalia. Nec vllum, nisi fictum assignabitur exemplum.

1186 Concilia Provincialia, Nationalia, & Diœcesana quousque confirmentur à Summo Pontifice similiter errare possunt. Item & Sanctissimæ Inquisitionis Tribunal quousque à Summo Pontifice eius decisiones confirmentur. Eiusdem tamẽ Inquisitionis iudicia sunt maximè probabilia, & maximi semper habenda. Vtinam Gallia similibus Inquisitionis, & fidei Tribunalibus prædita esset! Nullæ in ea hæreses forent, nec dogmata, quæ ad illas latam aperiunt viam: vt ingenue fassus est Floremundus Christianis. Regum Consiliarius lib. 5. de orig. Hæresum. Galli Tribunalia ista gravi prosequuntur odio: vt testantur Eminentiss. Aguirre in defens. Cath. S. Petri disp. 40. num. 20. & Auctor tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. & cap. 10. n. 7. 8. & 9. Ast contra Hispani summa in veneratione habent tribunalia ista, eisque opẽ ferunt. Quia nihil eis vtilius excogitari potuit pro stabiliẽda Catholica religione: pro extirpandis hæresibus. Vide eumdem Aguirre disp. 12. num. 15. His tribunalibus, & quidem gravissimis debet Hispania quod de illa dixit Baronius tom. 7. anno 1103. per hæc verba: *Hoc planè sibi laudis vindicavit Ecclesia Catholica in Hispania, vt non de erroribus tantum, sed à suspicionibus etiam voluerit, nos immunes.*

1178 Nobilissimum, & gravissimum Inquisitoris officium, & munus primus omniũ exercuit adversus Hæreticos Albigenses N. Sanctissimus Pacens, & Patriarcha Ioannes de Matha ex speciali commissione Summi Pontificis Innocentij III. & postea vna cũ Sancto

Do-

Digitized by Google

Dominico illustrissimo, & sanctissimo Ordinis Prædicatorū institutore adversus eosdē Albigenses prædicavit: vt testantur Historici eiusdem N. Patētis; Macedo in vitis PP. NN. cap. 19. Alphonsus Andrade part. 1. cap. 27. N. P. Didacus à Iesu in Annalibus lib. 1. cap. 24. num. 13. & alij. Sed de his obiter.

QVÆSTIO XVI.

An definitiones Concilij Generalis à Summo Pontifice approbati ad sacram pertineant Scripturam?

1188 AFfirmativā tenuit sententiam quidā gravis Theologus, suppresso nomine relatus à Cano lib. & cap. 5. quæst. 3. quem ipse, & reliqui Theologi summo iure reijciunt ex dictis supr. num. 16. & alibi. Vide Bellarminum lib. 2. cap. 12. in præsenti.

QVÆSTIO XVII.

An Concilium Generale sit supra Papam?

1189 QVæstionis sensus, qui duplex esse potest, explicatur. Primus est. Sume ex vna parte solum Papam ritè, & rectè electum; certum, & indubitatum: ex altera vero Concilium Generale: cui idem Papa per se, aut per suos legatos præsit: ita taliter, vt nihil definiatur à Concilio sine consensu, & approbatione eiusdem Papæ. Secundus est. Sume solum Papam certum, & indubitatum ab vna parte: ab altera vero Concilium Generale: cui Papa nec per se, nec per suos præsit legatos. Et intellige, Papam non præsidere per suos legatos, etiam quando legati ab eo missi præsunt: sed contra eius voluntatem agunt. Tunc enim non sunt veri Papæ legati, esto vt tales se gerant.

1190 Potissima quæstio non est in primo sensu. Sive enim Concilium Generale sit supra Papam: sive non: sive Cōciliū Generale cū Papa sit maius solo Papa: sive sit minus: Cōciliū Generale Papā invitū, nec damnare, nec iudicare, nec deponere valet. Qui enim fieri potest, vt Papa velit, se ipsum invitum damnari, iudicari, aut deponi? Et qui docent, Papam esse supra Concilium sine Papa celebratum, pariter docent, æqualem esse auctoritatem in solo Papa, & in Concilio cum Papa intensivè; esto extensivè sit maior in Concilio. Qui verò tradunt, Concilium sine Papa esse supra Papam: consequenter tradunt, Concilium cum Papa esse supra Papam: & Papam à Con-

Digitized by Google

Concilio Generali obligari posse, corrigi, & puniri, si male se gesserit.

1191 Quæstio ergo præcipua est in secundo sensu. Et ita comparatur Concilium Generale ad Papam, non incluso Papa: vt puta, quia non est, aut si sit, nō potest comparere, quia est detentus apud infideles tanquam captivus: aut si possit, vocatus assistere non vult. Et explicatio ista præ oculis habenda est pro dicendis à n. 1205. Et circa illam triplex potest referri opinio. Prima asserit, Cōcilium Generale esse supra Papam. Ita Okamus, Gerson, Almainus, Ioannes Maior, Petrus de Aliaco, Abulensis, Camerarensis, Nicolaus Cusanus, Panormitanus, & novissimè illustrissimus Clerus Gallicanus in sua declaratione. Qui omnes consequenter aiunt, Papam seorsim à Concilio Generali, vel consensu Ecclesiæ non habere infallibilitatem in definiendis quæstionibus fidei, & morum.

1192 Secunda sententia affirmat, Papam esse quidē supra Concilium: & invitum à nemine iudicari posse: nihilominus eumdem Papam posse voluntarie semetipsum subijcere Concilio Generali: dando huic potestatem supra se: & si hoc fecerit, debere acquiescere sententiæ Concilij, licet in isto ageretur de illius depositione. Ita Glos. in Can. *Nos si incompetenter.* 2. quæst. 7. & in *Synodo* dist. 63.

1193 Tertia sententia docet, Papam ita esse supra Concilium, vt nequeat etiam sponte, & voluntarie se subijcere sententiæ eiusdem Concilij; si sermo sit de sententia rigorosè coactiva. Ita comuniter Theologi præsertim D. Thomas 2.2. quæst. 33. art. 8. N. Henricus de Gandavo (quorum meminit Emin. Aguirre disp. 33. n. 20.) Caietanus, Alvarus Pelagius de planctu Ecclesiæ lib. 1. art. 6. Dominicus Iacobatius lib. 10. de Concilijs art. 7. vbi solvit 63. adversariorum argumenta: Cano lib. 5. de loc. Bellarm. lib. 2. de Concil. auctor. Suarez tract. 1. de fid. disp. 5. sect. 8. n. 4. vt alios innumeros prætermittam. Qui consequenter defendunt Papam seorsim à Concilio Generali, & consensu Ecclesiæ summam, & maximam habere infallibilitatem in definiendis quæstionibus fidei, & morum.

1194 Quæ tertia sententia sit vnica nostra conclusio. Itaque summus Pontifex absolutè simpliciter est supra Ecclesiā vniversam, & supra Cōciliū Generale, ita vt nullum in terris supra se iudicē agnoscat. Quam conclusionem infra à n. 1205. demonstrabimus.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO XVIII.

Quot fuerint Concilia Generalia hactenus celebrata in Ecclesia?

1195 REspondeo, fuisse decem, & octo. Primum Nizenū, anno 330. Secundum Constantinopolitanum anno 389. Tertium Ephesinum primum anno 430. Quartum Chalcedonense ann. 451. Quintum Constantinopolitanum secundum, ann. 553. Sextum, Constantinopolitanum tertium, ann. 680. Septimum, Nizænum secundum, ann. 787. Octavum, Constantinopolitanum quartum, ann. 869. Nonū, Lateranense primū, ann. 1122. Decimum Lateranense secundum, ann. 1139. Vndecimū Lateranense tertiū, ann. 1179. Duodecimū Lateranēse quartū, ann. 1215. Sub Innocentio III. (cui interfuturus erat N. Sanctissimus Parens, & Patriarcha Ioannes de Mattha, vt Theologus designat⁹ à Christianissimo Philippo Augusto Galliæ Rege, nisi fuisset morte præoccupatus, & ad cœlum evocatus) Decimum tertium, Lugdunense primum, an. 1245. Decimum quartum, Lugdunēse secundum, ann. 1274. Decimum quintum, Viennense in Gallia, ann. 1311. (in quo extincti sunt Templarij.) Decimum sextum, Florentinum, ann. 1438. Decimum septimum, Lateranense quintum, ann. 1512. Decimum octavum, vltimum, & omnium celeberrimum fuit Tridentinum, quod inchoatum est anno 1545. & concluſum, atque confirmatum ann. 1563. Concilia Constantiense, & Basilienſe prætermisimus. Quia licet ab anno 1414. celebrata sint, de eorum legitimitate, vel illegitimitate dubitant plerique Theologi, & illorum decreta sunt dubiæ auctoritatis, & de tempore schismatis intelligenda veniunt. De quibus videndi sunt Eminētisimus Cardinalis Aguirre in defensione Cathedræ S. Petri disp. 16. & 36. & Auctor tractatus de libertatibus Ecclesiæ lib. 8. cap. 15. Hæc sunt Concilia Generalia de quibus, & de Nationalibus, Provincialibus, & Diœcesanis: & de sacris illorum Canonibus, quibus Ecclesiæ ordo, & disciplina stabilitur: vide novissimam Labbeam Conciliorum Editionem, & Cabassutiū in notitia Conciliorū, vbi exactissimè, & compendiosè eluciduntur ijdem sacri Canones tam veteres, quam recentiores, & ritus Ecclesiæ cum præcipua parte Historiæ Ecclesiasticæ,

Digitized by Google

QVÆ-

QVÆSTIO XIX.

An Sacrosanctum Tridentinum Concilium sit receptum in Gallia necdum quoad decreta, quæ contra Lutherum, Caluinum, & alios hæreticos sunt de fide: verumetiã penes omnes Canones ab eodem Tridentino circa Ecclesiæ ordinem, & disciplinam constitutos?

1196 NEmo nescit, quæ fuerint principales causæ celebrandi Concilium Tridentinũ. Fuerunt enim ingruentes hæreses, & sectæ Lutheri, Calvini, & eorum sequacium à n. 101. relatorũ: morum in Clero pravitas: magna disciplinæ sacræ relaxatio. Quibus exitialib⁹ malis Sacrosanctum Tridentinum Concilium efficacissima, quæ desiderari poterant, adhibuit remedia, tum circa Catholicæ fidei articulos; tum circa plenam sacræ disciplinæ instaurationem. Quærimus ergo, & satis opportune. An Tridentinũ Concilium quoad omnia prædicta sit receptum in Gallia? Et quod attinet ad fidei dogmata, illud esse receptum omnium Catholicorum applausu, dubitat nemo. Quoad Canones circa Ecclesiæ ordinem, & disciplinam institutos, illud non esse in Gallia receptum, existimant plerique, qui Galliarum res gestas non legerunt. Historiæ cognitio Theologis valde necessaria est. Eius ignoratio fuit causa plurium errorum, vt dicemus infra quæst. 29. Consulamus ergo diligentissimos atque Recentes Galliæ Scriptores: res in Gallia gestas rescire satagentes, & harum testes oculares: & omni exceptione maiores.

1197 Igitur eruditissimus Ioannes Cabassutius in notitia Conciliorum Sanctæ Ecclesiæ in fin. sic ait: quamvis olim Curiæ Regni Franciæ, consulente, & instigante Carolo Molinæo Parisiensi Advocato, qui suum etiam qualecumque consilium typis edi curavit, huius Synodi Tridentinæ receptioni, præterquam in decretis solis, quæ de fide sunt, obstiterint: singuli tamen Episcopi intra proprias Diœceses recipi, & observari curaverunt huius Concilij Canones, quotquot etiam circa Ecclesiæ ordinem, & disciplinam constituerunt. Quo factum est, vt iam inde ab integro sæculo graduum consanguinitatis, & affinitatis, tam spiritualis, quam carnalis restrictio: quoad legitima connubia: annì etiam ad professionem validam requisiti: annus quoque probationis: forma reclamandi à facta dudum professione: ætas quoque ad singulos ordines requi-

Digitized by Google

quisita: formæ provisionum beneficialium: declarationes potestatis Ordinariorum in multis rebus, & personis, maximè verò circa casus occultos, quorum olim absolutio, aut dispensatio Papæ reservabatur: aliaque eiusmodi quam plurima, vigorem, nemine opponente, in Gallia habuerunt iam inde ab ipso Pij quarti Pontificatu, etiá si Canones hisce Tridentinis anteriores, atque olim in Regno Galliæ vigentes diversa omnino statuissent, vt facile compertum fiet prædictos Canones percurrenti, & conferenti cum antiquioribus iuribus, quæ in ipsis, & cum ipsis exacte contulimus, quæ abrogata, & mutata videmus in hoc Regno à tempore Tridentini Concilij. Quod est argumentum evidens receptarum in Gallijs Trldentinarum Sanctionũ. Ad postremum, anno Christi 1615. Lutetiæ in Generali Conventu Gallicani Cleri sub regno Ludovici XIII. de novo receptum fuit communi decreto Concilium istud, vt ex Generalibus actis constat Gallicani Cleri, & scribit in suis Annalibus Petrus a Sancto Romualdo, Ordinis Fulienſium Monachus Hactenus ibi. Vbi plura possent notari. Scripsit Cabassutius anno 1670.

1198 Sed recentius exhibebimus testimonium, Tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, Auctore M. C. S. Theolog. Doctore, impressus Leodij anno 1684. lib. 10. cap. 6. num. 11. & 12. supponens, Concilium Tridentinum obligare in Gallia, sic ait: Anno 1625. Clerus Gallicanus sequẽs edidit Decretum: Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, & alij Ecclesiastici viri, repræsentantes Clerum vniversum Franciæ, congregati, annuente Rege, Parisijs in Conventu Augustinianorum, post maturam circa publicationem Concilij Tridentini deliberationem, vnanimiter agnoverunt, & declararunt, agnoscunt, & declarant, se obligari pro suo officio, & conscientia ad recipiendum, sicut reipsa receperunt, & recipiunt præfatum Concilium, & spondent, se illud observaturos, quantum possunt, per iurisdictionem suam, & auctoritatem spiritualem, & pastoralem. Quæ deliberatio, singulorum subscriptionibus, & iuramento ad sancta Evangelia, confirmata fuit. Hæc ibi.

1199 Videant nunc, quam conscientiæ securitatem habeant: qui contempta sanctione Tridentini Concilij Sess. 14. in Decreto Reform. Matrim. cap. 1. *Decreuit nulla, & irrita connubia, in quibus non interuenerint testes duo, & proprij Parochi præsentia*: circa nulli-

Digitized by Google

nullitatem matrimonij: ad Gallias se conferunt, causa contrahendi matrimonia clandestina!

QVÆSTIO XX.

Cur Galli restiterint receptioni Concilij Tridentini?

1200 SAcrosanctum Tridentinum Concilium Sess. 14. cap. 10. decrevit, quod Regularia beneficia Regularibus solis conferantur: & vetuit, eadem Beneficia Regularia in commendam tradi Gallis non Regularibus: cum Rex Galliæ huiusmodi commendis plures Primates viros sibi devinciret, quorum auxilio tunc indigebat. Idcirco igitur Galli restiterunt receptioni Concilij Tridentini: ideo istud ægre receperunt. Receperunt tamen. Carolus Molinæus ideo noluit Concilium Tridentinum admittere, quia non ab Imperatore, sed a Romano Pontifice convocatum, & coactum est. Cui subscribere videtur illustris. Petrus Marca, iuxta Auctor. tract. de liberrat. Eccles. Gallic. lib. 11. cap. & num. 3.

(?)

(?)

*****

QVÆSTIO XXI.

An auctoritas Romani Pontificis sit via ad inveniendum legitimum Scripturæ sacræ sensum?

1201 ROmanus Pontifex: Romana Ecclesia: Sedes Apostolica: & qui insidet eidem Apostolicæ Sedi: sunt omnino idem, quidquid alij dixerint, vt notat Melchior Cano lib. 6. de loc. cap. 8. Vno verbo: Est Cathedra Sancti Petri. Respondeo igitur affirmativè. Quod constat ex praxi, quæ semper in Ecclesia floruit ab exordio nascentis Ecclesiæ ad hæc vsque tempora. Romanus enim Pontifex, vt talis errare nequit in quæstionibus fidei, & morum, ad vniversam Ecclesiam spectantibus: vt mox dicemus. Ergo est via securissima ad inveniendum sensum legitimum Scripturæ sacræ, vbi ille fuerit obscurus. Ideo Innocentius X. Innocentius XI. Alexander VII. & Alexander VIII. hoc nostro sæculo tot Hæreticorum, & aliorum dogmata damnarunt, tanquam contraria vero sensui Scripturæ sacræ, traditionum, & Ecclesiæ.

(?)

QVÆ

Digitized by Google

QVÆSTIO XXII.

An Romanus Pontifex habeat summam infallibilitatem in definiendis rebus fidei, & morum seorsim, & independenter à Concilio Generali, & consensu Ecclesiæ?

1202 NEgarunt iam pridē Okamus, Gerson, Almainus, Ioannes Maior, Petrus de Aliaco, Illustrissimus Abulensis, & alij n. 1191. relati. Negarunt etiam Lutherus, Vvicleffistæ, & omnes Hæretici, teste Melchiore Cano lib. 6. de loc. cap. 1. in fin. Negat novissime illustriss. Clerus Gallicanus in sua nupera declaratione.

1203 Affirmant, & affirmarunt semper reliqui omnes Theologi, præsertim verò D. Thom. N. Henricus de Gandavo, N. Leander à SS. Sacramēto part. 4. tract. 3. disp. & q. 2. Melchior Cano dicto lib. 6. de loc Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. Suarez tract. 1. de fide disp. 5. sect. 8. n. 4. Theophilus Raynaudus tom. 20 de appellation. Eminentissimus Princeps, ac D. D. Ioseph de Aguirre, amplissimus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis: in hac Salmanticensi Academia Primarius doctrinæ morum Antecessor, & immortale decus, & ornamentum illius, in suo aureo libro, cuius titulus est: *Auctoritas infallibilis, & summa Cathedræ S. Petri, extra, & supra Concilia quælibet, atque in totam Ecclesiam*: & Auctor tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicani. Sequeiros in sua Eurythimia Pontificali. & R. P. M. Franciscus de la Lastra, Ordinis Sacri Clericorum Regul. Minor. huius vbique terrarum celeberrimæ Salmanticensis Academiæ in sacra Theologia Doctor, & Decanus, in Recol. Moral. tom. 2. sup. tit. XXXIII. à num. 49.

1204 Hæc secunda sentētia sit nostra conclusio vnica. Quam esse de fide dicimus cū Eximio Doctore P. Francisco Suarez vbi supra. Quæ probari, & demonstrari potest ex sacris litteris, traditionibus, Concilijs Generalibus, Summorum Pontificum Decretis: Sanctorum PP. & Scholasticorum auctoritate, & testimonijs: historia Ecclesiastica, damnatione omnium præcipuarū hæresōn, ab exordio nascentis Ecclesiæ ad hæc vsque tempora: & multiplici ratione, & ita probatur, & demonstratur à prædictis Doctoribus. Ergo

1205 Probatur primò, ex illo Luc. 22. v. 32. *Ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Et si-

Digitized by Google

militer demonstratur ex illis textibus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claves Regni cœlorum. Quodcumque solueris super terram. Pasce agnos meos. Pasce oves meas*, &c. In quibus testimonijs Christus D. concessit D. Petro, & omnibus legitimis eius successoribus summam, & maximam infallibilitatem, omnino independentem tam à Concilijs Generalibus, quam à consensu Ecclesiæ per orbem dispersæ, in omnibus, & singulis quæstionibus, controversijs, & casibus fidei, & morum ad vniversam Ecclesiam spectantibus. Vide Eminentiss. Aguirre disp. 22. à sect. 2.

1206 Probatur secundò eadem conclusio ex traditionibus Divinis, & Apostolicis, apud eumdem Emin. D. Aguirre videndis disp. 23.

1207 Probatur tertiò ex Concilijs Generalibus, præsertim Florentino Sess. 25. celebrato anno 1432. Vbi expressè definitur, Romanum Pontificē esse omnium Christianorum supremum, & vnicum Caput, Patrem, & Doctorem: tenereque primatum in vniversum orbē. Non esset autem tale supremū, & vnicum Caput, si in definiēda, vel vna sola fidei, vel morū controversia dependeret à Cōcilio Generali, vel consensu Ecclesiæ. Aguirre disp 24.

1208 Probatur quartò: Quia D. Petrus sine Concilio Generali edidit decreta fidei ab omnibus fidelibus credēda, vt constat ex Actibus Apostol. cap. 1. & tribus primis sæculis, ab exordio nascentis Ecclesiæ vsque ad S. Silvestrum sine Cōcilio Generali Summi Pontifices plures fidei articulos definierunt, & eos vniversæ Ecclesiæ credendos proposuerunt. Imò per quatuordecim sæcula ante Tridentinum paucæ propositiones sunt damnatæ à Concilijs Generalibus: plurimæ verò à Summis Pontificibus: quas eo ipso vniversa Ecclesia pro certissimis hæresibus semper reiecit. Ergo.

1209 Probatur quintò, & explicatur nostra conclusio. In primis non expediebat Ecclesiæ (propter quam, & propter cuius filios data est hæc potestas Papæ) vt illam ei daret Christus Dominus quasi alligatam, & dependentem à Concilio Generali, seu à consensu Ecclesiæ per orbem dispersæ. Ergo verò simile non est, quod sic eam dederit. Ergo Christus Dominus dedit immediatè Petro, & cuilibet legitimo eius successori eiusmodi summam, & maximam infallibilitatem, auctoritatem, potestatem, seu iurisdictionem ad definiendam quamlibet fidei,

Digitized by Google

dei, vel morum quæstionem, vel veritatem omnino inde pendenter à quolibet Concilio, & Ecclesiæ consensu. Consequentiæ sunt legitimæ. Et antecedens probatur primò. Quia Concilij Generalis Congregatio est difficillima: & ratiſsimè congregatur Concilium Oecumenicum sine magno labore, & dispendio Ecclesię, vt notat Suarez tract. 1. de fid. disput. 5. sect. 8. num. 6. Et aliquando potest esse moraliter impossibilis congregatio Concilij Generalis, propter persecutiones, bella, pestes, aut alia similia impedimenta. Aliunde verò gravis imò graviſsima potest vrgere necessitas damnandi novam aliquam hæresim noviter emergentem, vel surgentem: & declarandi veritatem aliquam, quæ in dubium vocata est. Et cuius definitio differri non posset vsque ad Concillum Oecumenicum absque gravi Ecclesiæ præiudicio. Ergo convenientiſsimũ fuit Ecclesiæ, vt Papa hanc haberet potestatem omnino inde pendentem tam à Concilio Generali, quàm à consensu Ecclesiæ. Et nisi eam Christus D. dedisset D. Petro, & legitimis eius successoribus: non providisset ei de omnibus simpliciter necessarijs iuxta communem providentiam.

1210 Probatur secundo idem antecedens. Quia nullibi legitur, quod Christus D. dedit Papæ potestatem istam dependentem à Concilio: cum potius constet, datam esse Concilio dependenter à Papa. Cuius iudicium sequitur semper Cõcilium, & vt rem aliquam de fide definiat, eiusdem Papæ expectat approbationem, & confirmationem. Et sine ista non habet summam, & Catholicam infallibilitatem. Ergo.

1211 Probatur tertiò idẽ antecedens. Quia ita erat vtilius ad maiorem Ecclesiæ vnitatem. Et nisi supremum Ecclesiæ caput eiusmodi infallibilitatem haberet, schismata facile orirentur, & difficillime extinguerentur. Ergo.

1212 Vt sextò probetur conclusio nostra, quædam præmittenda sunt. Primò ergo præmittendũ est, omne dominans, aut vnum esse, aut paucos, aut multos. Paulo aliter. Omne regimen, aut est Monarchicum: aut Aristocraticum, aut Democraticum. *Democraticum*, quod etiam dicitur *Anarchicum*, est illud, quod caret Principe, & vnusquisque libere vivit, nulli, nisi fortunę suę subiectus. Olim sic vivebant Athenienses, & Helvetij. *Aristocraticũ* appellatur, quod pluribus constat Principibus, & vbi optimates Rempublicam gubernant. Ita cõtingit hodie apud Venetos *Monarchi-*

Digitized by Google

cum, denique regimen, seu Regale est illud, in quo omnes vivunt sub vno Principe, vel capite. Quare tres inveniuntur regiminis, vel politicæ species, Monarchia, Democratia, Aristocratia, & optimũ, & excellẽtissimũ regimen est Monarchicũ, vbi tota multitudo regitur per vnũ. Natura enim Principũ singularitatẽ amat, & omnis potestas impatiens est cõsortis. Ita Aristoteles 3. Polit. Vnde etiam naturaliter demonstrãt Philosophi, regimen huius vniversi esse Monarchicũ: vnumque solũ verum huiusmodi creatorẽ, & Rectorem existere.

1213 Præmittendum est secundo, Ecclesiam Catholicã, Apostolicam, Romanã non esse Democratiã, nec Aristocratiã, sed dumtaxat Monarchiã. Probatur primo ex proximè dictis. Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ regimẽ est omniũ optimũ, præstantissimũque. Ergo est Monarchicũ, nõ verò Democraticũ, aut Aristocraticũ. Cũ istæ tres species regiminis, sive politiæ ex opposito distinguãtur: in vno Principatu simul esse nõ possunt. Et necesse est omne dominans, aut vnum esse, aut paucos, aut multos, vt ait Philosophus.

1214 Probatur secundò. Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana est Regnũ Christi D. Sed istud est Monarchicum in sua institutione. Ergo & nunc? Quia semper est idẽ. Ergo, sicut vbicumq; floret Monarchia, omnes ab vno regũtur, ita, & in Ecclesia Christi debent ab vno Principe omnes regi, & gubernari. Consequẽtiæ tenẽt. Maiór passim habetur in sacris litteris, in quibus Christus D. vocatur *Rex*: & Ecclesia eius *Regnũ*. Sic dicitur Psal. 2. *Ego autẽ constitutus sum Rex super Syõ montẽ Sãctũ eius*. Luc. 1. *Regni eius nõ erit finis*. Et Ioann. 18. interrogatus Christus: An esset Rex: *Ergo Rex es tu?* Nõ negavit: nec dixit: *Nõ sum Rex: Regnũ meũ nõ est in hoc mũdo*: sed: *Regnũ meũ non est ex hoc mundo*. Hoc est: licet Regnũ meũ sit in hoc mundo: sed non est illud, quale tu putas, & qualia sunt Regna Herodis, & aliorũ similiũ: sed spirituale. Minor autẽ est certissima ex n. 1172. 1274. & 1275. Nec de hoc dubitant contrarij.

1215 Tertio præmittendũ est, spirituale Regnum Christi valde differre à temporalibus huius mundi Regnis. Nec Ecclesia est tale Regnũ, quale est Hispanũ v. g. aut quodvis aliud. In quibus quamquam suprema, & summa potestas resideat in Rege: v. g. in Carolo II. nihilominus à populis derivata, & profecta est eiusmodi potestas. Quare radicaliter, & consequenter supplet ive, licet non formaliter ea:

Digitized by Google

eadem potestas est etiã in Hispaniæ populis,& Regno. Populi faciunt Regem, qui alioquin esset homo privatus, sicut sumus cæteri. Omnes enim naturaliter sumus nostri iuris, liberi & æquales: nec valet vnus cæteris imperare, aut præesse, nisi se sibi illi libere subijcerent, & supra se potestatem, auctoritatem, & iurisdictionem dedissent. Vide D. Thomam pluribus in locis, præsertim de regimine Principis, vbi inquit, solum Deum esse supremum Dñm vitarũ, & honorũ hominũ. Ast in Regno spirituali Christi summa potestas est in Christo D. & nullo modo derivatur, dimanat, aut proficiscitur a populis, vel fidelibus. Sed Christus D. cum sit Deus, & homo: prout Deus, est naturaliter Dominus, & Rex omnium creaturarum: & prout homo, habet à Deo omnem necessariam potestatem ad sui populi spiritualis regimen. Christum populi non fecerunt Regem supra se: Ecclesia sua eum Regem non constituit nec elegit imo potius Christus D. fecit populum, & Ecclesiam suã esse suum Regnũ. Potestatis spiritualis, & temporalis distinctionem vide apud Auct. de libert. Eccles. Gallic. lib. 10. cap. 1. & 7. & lib 4. cap 1.

1216 Ex quibus infertur primo, Ecclesiam ex se, nec per orbem dispersam, nec Conciliariter congregatam habere auctoritatem, sed omnem esse in Christo D. & in illo, cui Christus D. eam communicavit: & post mortem suam, sui Vicariũ in terra reliquit, & qui eius vices gerit. Qui fuit D. Petrus, & quilibet legitimus eius successor, ritè, & rectè electus, certus, & indubitatus. Nullibi enim legitur, quod Christus talem potestatem dederit Ecclesiæ, sive per orbem dispersæ, sive in Concilio Generali congregatæ.

1217 Infertur secundò, Papam non esse Vicarium Ecclesiæ, sed Christi D. & Papæ, vt Papæ, seu ex Cathedra loquentis Tribunal, & Consistorium, & Christi, vel Dei Tribunal in terris esse vnum, & idem, sicut Tribunal Episcopi, & Vicarij eius est vnum, & idẽ.

1218 Infertur tertiò, Papam non accipere potestatem suam ab Ecclesia, adhuc Conciliariter congregata, sed immediatè à solo Christo, super Ecclesiam, quam regendam suscipit. Mox enim atque Emin. DD. Cardinales, aut ij, ad quos pertinet Papæ electio, aliquem tanquam legitimũ Christi Vicarium recipiunt: saltem moraliter certum est, eum esse legitimum Christi Vicarium, totius Ecclesiæ Caput, Principẽ, Patrem, & Pastorem. Quia illa communis receptio est quædã

Digitized by Google

Divina quasi revelatio. Et cum in tali eventu Deus Ecclesiam per aliud caput gubernare nequeat: quia deest: eam per se, aut per illam receptionem regit. Ex industria dixi *Saltem moraliter certum est.* Sentio cum eum Eximio D. P. Franc. Suarez tract. 1. de fid. disp. 10. sect. 10. n. 2. certa fide Divina tenendum esse, & constare, hunc numero hominem, Innocentium XII. nunc fœliciter in Ecclesia regnantem: esse verum, & legitimum Pontificem, Christi Vicarium, & Petri successionem, visibile Caput Ecclesiæ, cui ipsa tenetur obedire.

119 Infertur quartò, omnes alios Episcopos, & Prælatos, & ipsum Concilium Generale accipere à Papa totam, quãtam habent potestatem, seu iurisdictionem. Imò licet Apostoli omnes acceperint immediatè à Christo potestatem ordinis, nihilominus solus Petrus immediatè accepit à Christo potestatem plenissimam iurisdictionis: & cæteri Apostoli à Petro, seu mediante Petro. Apostolis aliis, excepto Petro, Christus D. immediatè nullos dedit subditos. Nec illis Christus populos immediatè divisit, nec illis potestatem aliquam etiam limitatam iurisdictionis contulit. Et gratis dato, quod Apostoli iurisdictionis potestatem, sicut ordinis à Christo immediatè recepissent, non tamen concedendum est, quod alij Prælati Ecclesiæ eamdem potestatẽ, nunc à Christo immediatè acciperent, sed mediatè Papa, & Romano Pontifice, Christi in terris Vicario, Principe, & Monarcha in Ecclesiæ Principatu primo, in ordine Prælatorũ Ecclesiæ, in quo residet plenitudo potestatis omnino independens ab illis, quorũ est Princeps, Monarcha, Caput, & Pastor: & quibus etiã in Concilio, cõgregatis præest, loco Christi D.

120 Et Sicut Christus D. invisibiliter præest de facto omnibus illis, & si visibiliter interesset Concilio Generali, etiã visibiliter præesset: vt Monarcha. Ita Papa indubitatus visibiliter præest toti Ecclesiæ tam per orbem dispersæ, quam conciliariter congregatæ, & vniversalem Ecclesiam repræsentanti, tanquam supremus Monarcha in terris, nullum agnoscens superiorem, nisi solũ Christum, cuius est Vicarius.

121 Ex quibus omnibus sic probatur textus nostra conclusio. Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ Romanæ regimen est Monarchicum, & Papa est illius Caput, & Princeps habens immediatè à Christo omnem potestatem, cui omnes obedire tenentur in omnibus. Ergo sicut Christus habet omnem potestatem, & infallibilitatem seorsim

à Con-

Digitized by Google

à Concilio Generali, & cõsensu Ecclesiæ, ita, & Papa. Et implicat omnino, quod existente Papa indubitato, Concilium Generale habeat talem potestatẽ à Christo. Quia vel esset eadem, vel diversa. Non diversa. Quia pluralitas Principatuum nõ est bona, & est Aristocratia ex n. 1212. Non eadem. Quia tunc nulla superioritas posset designari in Concilio Oecumenico respectu Papæ, ratione cuius Papa esset dependens à Concilio, seu huic subiectus. Cum par in parem non habeat imperiũ. Concludendum ergo est, Papam habere summam, & maximam infallibilitatem, & auctoritatem independentem à Concilio Generali, & consensu Ecclesiæ in omnibus, quæ pertinent ad rectum regimen eiusdem Ecclesiæ ex speciali concessione, & promissione Christi D. Ipse Christus D. est primarium fundamentum infallibilitatis Ecclesiæ D. Petrus, & quilibet legitimus eius successor est secundarium cum eadem infallibilitate, derivata à primario. Huic innititur tota Papæ infallibilitas in definiẽdis quæstionibus fidei, & morum. Et ita errare nequit. Cuius iudicium, etiã ante Ecclesiæ assensum est infallibile. Vide Auctorẽ tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 7. per tot.

(71)

§. PRIMVS.

Primum, & principale argumentum; & quod Achilleum *vocant Aduersarij, proponitur.*

1222 ILlud fundatur in cap. 18. Matth. v. 15. 16. & 17. vbi dicitur: *Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos: Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* Hactenus ibi. Omnes SS. PP. Scholastici, & Interpretes conveniunt, Christũ D. loqui in hoc textu de correctione fraterna. Vide D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 8. & N. Leandrũ part. 5. expositionis nostræ Regulæ cap. 34. & part. 6. tract. 6. per tot. Differunt tamen in explicatione eiusdem textus. Auctores n. 1191. & 1202. memorati supponunt duo. Primũ est, Christus D. alloquutus est D. Petrum in dicto loc. pro tempore, quo ipse futurus esset Papa, licet tunc temporis non esset Papa, sed quædam privata, & particularis persona. Secundum. Per ly *Dic Ecclesiæ* Christus D. intellexit, & significare vo-

voluit solum Concilium Generale vniversalem Ecclesiam repræsentans: non autem Prælatos particulares, seu singularum Ecclesiarum Pastores, vel ordinarios. Ex quibus duabus suppositionibus sequens efformant argumentũ. Tribunal, ad quod reus in extremo casu remittitur iudicandus ab alio Tribunali: maius est illo, à quo remittitur. Reus in extremo casu à Tribunali Pontificis, seu Papæ remittitur ad Tribunal Concilij Generalis. Ergo Tribunal Concilij Generalis maius est Tribunali Papæ, vel Summi Pontificis. Maior est per se nota. Remissiones enim, sive appellationes, & recursus semper, & vbique fiunt à Tribunali inferiori ad superius. Vide Illustrissimum Araujo in Decisionibus Moral. tom. 2. disp. 4. diffic. 1. à num. 1. Minor constat ex Evangelio. Consequentia est legitima. Ex qua sequentes inferunt adversarij.

1 Ergo vltimum, supremũ, & infallibile Tribunal Ecclesiæ in quæstionibus fidei, & morum non est Summus Pontifex seorsim à Concilio Generali, & consensu Ecclesiæ: sed potius è contra Concilium Generale independenter à Papa, & excluso Papa.

2 Ergo Concilium Generale est supra Papam in quæstionibus fidei, & morum.

3 Ergo super Statu Papæ potest adiri Concilium Generale, & ad istud ab illo appellari.

4 Ergo D. Petrus, & quilibet eius successor legitimus, & indubitatus est subditus iurisdictioni Concilij Generalis etiam quoad vim coactivam.

5 Ergo Summi Pontificis definitiones in quæstionibus fidei, & morum extra Oecumenicum Concilium latæ, sunt retractabiles, & fallibiles, quousque accedat consensus eiusdem Oecumenici Concilij, seu Ecclesiæ.

6 Ergo auctoritas, & infallibilitas Cathedræ Sancti Petri non est summa, & maxima extra, & supra Concilia quælibet, atque in totam Ecclesiam.

7 Ergo Papa non est proprie Caput Ecclesiæ Vniversæ, in Concilio Generali simul cõgregatæ; esto sit Caput, & Pastor singulorum Christianorũ, & singularum Ecclesiarum, si seorsim sumantur.

8 Ergo suprema potestas Ecclesiastica immediatè principaliter, & omnino immobiliter est in Ecclesia, vel in Concilio Generali eam repræsentante. Quod Concilium Generale, quia semper nequit esse actu congregatum, & per se actualiter potestatẽ istam exercere, Christus D. instituit Papam, tanquam quoddam instrumentum Generale ad omnes Ecclesiæ actiones: & in eo posuit

Digitized by Google

sulè poteſtatem iſtam ſummam, vt eam exerceat nomine Eccleſiæ, quaſi membrum, & pars nobiliſsima eiuſdem Eccleſiæ: ſicut Dux Venetiarum in Veneta Republica: N. Miniſter Generalis in noſtro Ordine: & quilibet in ſuo. Licet enim N. P. Generalis ſit ſupra ſingulos noſtri Ordinis Religioſos, etiã Miniſtros, Provinciales, & Definitores Generales; non tamen ſupra Capitulum Generale, cui ipſe obedire tenetur. De quo N. P. Fr. Ludovicus à Conceptione in Exam. Verit. Moral. tom. 3. lib. & tract. 1. concluſ. 5. idem dicendum de Veneta Republica. Vide Abulenſem in libello defenſorio trium concluſionum 2. p. à cap. 68. vſque ad 76. & in Matth. cap. 18. q. 108. Gerſonem 1. part. pag. 431. & ſeqq. vſque ad 447. & à pag. 705. 877. & pag. 110. 164. & alibi, vbi habentur opera Almaini, Maioris, & aliorũ. Quod argumentum confirmant multipliciter. Et

1223 Primo ex Concilio Generali Conſtantienſi, in cuius Seſſ. 4. & 5. celebrata die 6. Aprilis, anno 1415. ſic habetur. Et primo declarat, quod ſancta Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, & Generale Concilium faciens, & Eccleſiam Catholicam repreſentans, poteſtatem à Chriſto immediate habet, cui quilibet, cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis (etiam ſi Papalis exiſtat) obedire tenetur in his, quę pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schiſmatis, ac Generalem reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris.

1224 Item declarat, quod quicumque cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis (etiam ſi Papalis exiſtat) qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus huius, aut pręceptis ſanctæ Synodi, & cuiuſcumque alterius Concilij Generalis legitime congregati (ſuper premiſsis, ſeu ad ea pertinentibus factis, vel faciẽdis) obedire contumaciter cõtempſerit, niſi reſipiſcat, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo. Hactenus ibi. Secunda autem Seſsio Concilij Baſilienſis per omnia ſimilis eſt duabus Conſtantienſis; vt Emin. Card. Aguir. diſp. 15. 16. & 36. & Auctor tract. de libert. Eccl. Gallic. lib. 5. cap. 16. num. 11. & 12. lib. 7. per totum adverti tunt.

1225 Quam Conſtantienſis Concilij determinationem, ſive conſtitutionem illuſtriſsimus Clerus Gallicanus in ſua nupera declaratione, aſſertione ſecunda, Gerſon, Abulenſis, & reliqui ſupra relati aſſerunt, eſſe veritatem Catholicæ fidei. Et hunc efformant diſcur-

Digitized by Google

cursum in confirmationem sui assumpti. Quidquid declarat atque definit Concilium Generale in Spiritu Sancto legitimè congregatum, est veritas Catholicæ fidei. Sed Concilium Generale Constantiense fuit legitime in Spiritu Sancto congregatum, & declaravit, atque definivit veritatem istam de potestate Concilij Generalis vniversalem Ecclesiam repræsentantis supra Papam, & quemlibet alterum. Ergo veritas ista est fidei Catholicæ. Maior constat ex n. 1183.

1226 Minor ex prædicta Gallicana declaratione ad hæc verba: Sic autem inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri successoribus Christi Vicarijs rerum spiritualium plenam potestatē, vt simul valeant, atque immota consistant sanctæ Oecumenicæ Synodi constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsorumque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ vsu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum Generalium, quæ Sessione quarta, & quinta continentur, nec probari à Gallicana Ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilij dicta detorqueant. Hactenus ibi.

1227 Consequentia vero prædicti discursus videtur legitima. Ex qua inferunt adversarij octo illas consequentias, quas num. 1222. retulimus, & nullo negotio possent inferre alias plures, eis annexas. Nos contenti erimus referendo quartam, & quintam illustrissimi Cleri Gallicani assertionem inde deductam.

1228 Hinc (ait illustriss. Clerus Gallicanus) Apostolicæ potestatis vsum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos: valere etiam regulas, mores, & instituta à Regno, & Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, vt statuta, & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consentione firmata, propriam stabilitatem obtineant.

1229 In fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes eiusque decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere, nec irreformabile esse iudicium, nisi consensus Ecclesiæ accesserit. Hæc ibi. Et hactenus de prima confirmatione.

1230 Confirmatur secundo idem argumentum ex Glossa Ordinaria, quæ ad prædictū Matthæi locū sic habet:

Digitized by Google

Vel

vel dic Ecclesiam id est suam Ecclesiæ. Cuius nomine non venit intelligendus solus Summus Pontifex, sed vniversalis Ecclesia, vel per orbem dispersa, aut concilialiter congregata. Tunc vltra. Nequit intelligi pro vniversali Ecclesia per totum orbem dispersa. Quia esset omnino impossibilis adimpletio præcepti circa fraternam Correctionem, de qua ibi agitur iuxta SS. Patres, Scholasticos, & Interpretes. Ergo intelligitur pro vniversali Ecclesia cõciliariter congregata Ergo.

1231 Confirmatur tertiò. Si per ly *dic Ecclesiæ* non intelligeretur Concilium Generale, sed Prælatus ordinarius, posset dari casus fraternæ correctionis, in quo Divus Petrus, & quilibet legitimus eius successor ad se ipsum remitteretur, & in sua propria causa deberet esse simul reus, & iudex. V. g. si ipse delinqueret. Potest enim peccare. Non est confirmatus in gratia. Circundatus est infirmitate nostra. Subiectus est legi Divinæ, vtpotè frater noster, & filius Ecclesiæ. Et siquis coram Papa delinqueret, idem deberet esse accusator, seu delator, testis, & iudex Sed implicat, quod vna, & eadem persona ad se ipsam mittatur, sit simul reus, & iudex in causa propria, & accusator, testis, & iudex in aliena. Ergo.

1232 Confirmatur quartò. Quando sunt duæ potestates eius generis, vt vna sit fallibilis, & deviabilis; altera verò nõ fallibilis debet dirigi per infallibilem. Sic se habent Papa, & Concilium iuxta prædictum testimonium. Ergo.

1233 Confirmatur quintò. Quando potest appellari à potestate A, ad potestatem B, & potestas B, potest pro demeritis deponere, exauctorare, & punire potestatem A, coactivas leges ei præscribendo; potestas B. est maior, quam potestas A. Sic se habent iuxta prædictum textum potestas Papæ, & potestas Concilij Generalis Ergo.

1234 Confirmatur vltimò. Omne permanens invariabile, & perpetuum ex natura sua præfertur variabili, & temporali. Suprema potestas Ecclesiastica est in Ecclesia, vel Concilio Generali continuo, permanenter, & perpetuo; non verò in Papa, qui potest mori, vel propter delicta sua Papali dignitate privari. Ergo potestas Ecclesiastica residens in Ecclesia, vel Concilio Generali explicata in prædicto testimonio Matthæi debet præferri potestati in Papa existenti.

(*)

****

****

Digitized by Google

§. SECVNDVS.

Singularis doctrina Eminentissimi Principis, ac Domini Cardinalis de Aguirre circa Achilleum istud aduersariorum argumentum debita cum reverentia breviter expenditur.

1235 EMinentissimus, mihique semper colendissimus D. D. Iosephus de Aguirre S. R. E. Cardinalis, huius Salmantinæ Academiæ sydus fulgentissimum, & cui iure summo adptare possem omnia illa elogia, quę ipse Eminentissimus Dominus iam pridem adaptavit Salmanticensibus D. D. in suis ludis prælud. ; insuper, & alia, quibus, & ipsa Pontificia dignitate (absit invidia verbo) dignissimus est, in libro *Defensio Cathedræ Sancti Petri* disp. 7. n. 2. loquens circa potissimam præiacti argumenti difficultatē, Romanique Pontificis auctoritatē extra Concilium Generale ad dirimendas quæstiones fidei, & morum, advertit, præ oculis habendum esse, non vnicam, sed duas celebres, & veluti capitales disputationes expectare ad tractatum de auctoritate Pontificis. Altera, & prior est, an Summus Pontifex extra Concilium habeat auctoritatem prorsus infallibilem in definiendis quæstionibus fidei, & morum. Altera, & posterior, an Pontifex Romanus ritè electus, & indubitatus sit supra Concilium Oecumenicum, seu potius ècontra. Licet enim ex decisione alterius ex ijs controversijs non parum pendeat resolutio alterius quoad quædam capita, absolutè tamen diversæ sunt : posset quis aliquis ita tueri infallibilitatem Summi Pontificis in definiendis controversijs fidei, & morum, vt tamen assereret, subditum esse Concilio Oecumenico in alijs rebus, vel licere aliquando appellationem à sententia ipsius in casu singulari, si iam sit reipsa congregati, tanquam ad superius. Posset, inquam, aliquis ita opinari absque vllo inconsequentiæ nævo, quāvis longè à veritate. Sunt formalissima Eminentissimi Cardinalis verba.

1236 Doctrinam istam, & quidem profunditsimam, atque subtilissimam, nunquā capere potui (absdubio propter magnam ingenioli mei tarditatem. Ipsius enim scripta subtilitatibus plena, vividos, piperatosque Lectores exigunt.) Semel enim atque permitteretur contrarijs, Papam, vt Papam in re minima, vel in aliquo casu particulari subditum esse Oecumenico Concilio : & ad istud ab illo appellationem licere, nō au-

Digitized by Google

auderem ego sine inconsequē tiæ nævo eiusdem Papæ infallibilitatem extra Concilium in definiendis quæstionibus fidei, & morū defendere. Quod confirmari potest, & quidem efficaciter ex dictis num. 117. 120. & 301. ex Magno P. Augustino. Si enim Scriptores sacros vt tales, vel in re minima esse subditos, & obnoxios errori, quis assereret, difficulter sine inconsequentiæ nævo defendere posset, eosdem non esse subditos, & obnoxios errori in alijs, & alijs rebus. Quare tota Scripturæ sacræ firmitas etiam vacillaret.

1237 Deinde adversarij facilè dicerent, rem illam, vel casum particularem, in quo Papa esset subditus Concilio Oecumenico, & liceret appellatio, pertinere ad fidem, vel mores Ecclesiæ. Probareque possent suum assumptum haud leviter ex eo, quod omnis Ecclesiastica doctrina, vel disciplina ad fidem, & bonos mores expectat, iuxta Auctor. tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 11. cap. 3. num. 4. Casum illum non designat, nec determinat Eminentissimus Cardinalis Aguirre. Nec capio: quis alius esse possit, quam sequens, v. g. sint Patres vniversæ Synodi vnanimiter convenientes in eo, quod aliquam fidei faciant definitionem, cui sola persona Pontificis contradiceret. Casum istum ego censeo impossibilem, moraliter loquendo, iuxta suavem, & ordinariam Divinam Providentiam. Si in isto casu Pontifex esset subditus Oecumenico Concilio, iam in rebus fidei esset eidem subditus.

1238 Insuper adversarij dicent, casum illum, in quo Pontifex debeat esse subditus Oecumenico Concilio, esse præsentem, de quo est quæstio. Quia in nullo alio magis expedit in illorum errore, Papam esse subditum Concilio, quam in præsenti. Casus enim ille, vel esset gravioris, vel æqualis, aut levioris momenti, quam quilibet casus fidei, vel morum. Primum dici non potest. Quia casus fidei, vel morum sunt omnium gravissimi, cùm pertineant ad Religionem. Si secūdum, eadē militabit ratio. Tertium deniq; dici non potest. Incredibile namque est Papam in negotijs levioris, vel parvi momenti fuisse à Christo constitutum, & relictum subditum Oecumenico Concilio, & fuisse ab illo exemptum, esseque omnino independentem in negotijs, casibus, vel causis maximi momenti, pro quibus decidendis ex natura rei maior requiritur consultatio, atque deliberatio. Ad hæc. In rebus, vel casibus ad dignitatem Pontificiam, eiusque actus pertinenti-

bus

Digitized by Google

bus nulla est res parvi momenti, vt in simili dictum est n. 129. de Scriptura sacra.

1239 Et vtcumque res se habeat, semel atque casus eiusmodi permitteretur, potissima eiusdem Eminentissimi Cardinalis, & nostræ Catholicæ conclusionis fundamēta à n. 1205. stabilita vehementer infirmarentur, imò labefactarentur, & adversariorum validè firmarētur. Certissimè ergo tenendum est, vt cuiuslibet inconsequentiæ nævus procul relegetur, Papam in omnibus, & singulis casibus, causis, rebus, & negotijs ad Ecclesiasticam iurisdictionem, potestatem, vel infallibilitatem pertinentibus esse omnino independentem à Concilio Generali, & consensu Ecclesiæ, quia in omnibus, & pro omnibus est Vicarius Christi, à quo immediatè accipit supremam potestatem, vt supra habitum est, ne Hæreticis, & adversarijs nostris cavillandi detur occasio. Ita sentit Auctor tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ. Hæc omnia dicta sint, venia Emin. Card. Aguirre, cuius doctrina Eminentiæ suæ erit clarissima: & mihi propter tarditatem meam obscura: vt in simili notat Theophyl. Raynaudus tom. 20. Syntag. & memb. 1. de D. Thom.

1240 Ipse Eminentissimus Cardinalis expressè affirmat pluribus in locis, præsertim vero disp. 7. n. 13. & disp. 8. num. 29. & 30. & disp. 36. à n. num. 13. appellationes à definitionibus Papæ ad Concilium Generale semper fuisse proprias Hæreticorum, & Schismaticorum. Quod iam pridem notavit eloquentissimus Melchior Cano lib. 6. de locis, cap. 7. & quidem verissimè Et videri debet Auctor tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 5. cap. 13. à num. 1. & lib. 10. cap. 6. Insuper demonstrat evidentissimè, nuperam illustrissimi Cleri Gallicani declarationē esse expressè contrariam Scripturæ sacræ, Apostolicis traditionibus, communi sensui Episcoporum Galliæ expresso in litteris ad Innocentium X. anno 1653. antiquis Patribus Ecclesiarum eiusdem Galliæ, Gallicanis Concilijs, plerisque Parisiensis Academiæ celeberrimis Theologis, tam recentibus, quàm veteribus, præsertim verò Sanctis Doctoribus Thomæ, & Bonaventuræ, & nostro Henrico Gandavensi, omnibus Sanctis Ecclesiæ Doctoribus, & Patribus, Oecumenicis Concilijs, quibus interfuerunt Gallicani Episcopi, & reliqui orbis vniversi, Summorum Pontificum rescriptis, & definitionibus, cunctis Scholasticis, Academijs, & rationi Solvit, & quidem evidentissimè, & quasi in radice sine scru-

pu-

Digitized by Google

pulo vlterioris veræ replicæ cuncta adversariorum argumēta, & sophismata. Demonstrat disp. 22. sect. 1. & alibi, assertionem nostram, & suam esse certam secundum fidem Divinam, non modo iuxta plerosque Theologos, aut ferè omnes, sed etiam iuxta Doctores Ecclesiæ, Concilia, & Patres celebriores Galliæ, professoresque præclarissimarum Academiarum Parisiensis, & Lobanensis, iuxta quam doctrinam nupera illustrissimi Cleri Gallicani declaratio assertioni nostræ contradictoriè oppositæ erit hæretica. Nullum autem est acerbius, aut gravius crimen, quod Christiano obijci possit, quam crimen hæreseos. Licet ipse Eminentissimus Cardinalis, qua solet modestia, à directa censura declarationis Gallicanæ abstineat, & nos cum ipso iuxta dicta num. 727. quousque Sedes Apostolica eam pronuntiet.

1241 Insuper demonstrat Eminenstissimus Cardinalis disp. 40. à num. 7. nuperam illustrissimi Cleri Gallicani declarationem primo quidem ob Okamo Theologo stipendiario Ludovici Bavari Imperatoris. Deinde à Basilienſibus, Gersone nimirum, Abulense, & alijs, tandemque ab impijssimo Hęretico Carolo Molinæo num. 1197. & 1200. supra relato, & alijs hypercriticis Catholicæ communionis, Paschierio, Pithæo, Ormano, Servino, alijsque libertatum Gallicanarum consarcinatoribus esse desumptam, & esse etiam damnatam à reliquis Catholicis, & nuper ab Inquisitione Hispaniæ. Actū igitur erit de illustrissimi Cleri Gallicani declaratione, præsertim, cum præcipui Auctores illius opinionis (si opinio dici potest, quæ adeò certis refellitur testimonijs) ex intentione minus sincera, & tempore schismatis, scripserint, vt notat idem Eminentissimus Cardinalis disput. 16. sect. 4.

1242 Auctor tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 3. cap. 9. num. 1. sentit Gersonium fuisse ex Theologis Catholicis primum omnium, qui docuit, Summū Ponticem Concilio Generali inferiorem, & errori obnoxium. Et quod Gerson habuit aliquos sectatores in Gallia, quia antiqua, & avita reverentia Sedi Apostolicæ remissa est à tempore disidij Bonifacij Octavi, & Philippi IV. Galliæ Regis. Quoniam aliqui Pontificis iam schismatici, iam dubij, & fortè legitimi, vera necessitate compulsi, asperum iugum imposuerunt circa Beneficia, & redditus. Quia corruptio Ecclesiasticæ disciplinæ, & regiminis Ecclesiastici confusio diu permansit ob diuturnum schisma.

Quia

Digitized by Google

Quia naturalis hominum propensio ad imminuendā auctoritatem superiorum, quorum præceptis promptius, ac frequētius vrgentur, veluti innata est. Et denique, quia Gerson erat vir doctissimus pro sua pietate, doctrina, & zelo eximius. Nec desunt qui Gersonem (qui bacante schismate scripsit) benigne interpretentur, licet revera Gersonus doctrinam illam docuerit, & longius, quam par erat abreptus fuerit zelo schismatis extinguendi. Sed de his hactenus.

§. TERTIVS.

Achilleum Illustrissimi Cleri Gallicani argumentum dissolvitur.

1243 AVctoritas illa Matthæi num. 1222. proposita cui nititur Achilleum argumentum, non rectè exponitur ab huius Patronis. Per ly *dic Ecclesiæ* nō debet intelligi Concilium Generale. Nec Christus D. illud intellexit, aut significare voluit, sed Pastores Ecclesiæ, & Prælatos ordinarios, quibus statim dixit: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata, & in cœlo.* Quod constat clarissimè ex intentione Christi D. & legislatoris supremi, qui ibi loquitur de correctione fraterna, vt loco citato diximus cum D. Thoma, & nostro Leandro. Fraterna correctio, circa quam docet Christus D. Divum Petrum, & reliquos omnes generalem doctrinam, cadit sub præcepto. Ergo impossibile est moraliter loquendo, quod possit accipi pro Concilio Generali propter impossibilitatem moralem tale præceptū adimplendi. Hieronymus ait, anathema esse eum, qui dixerit, Deū aliquod impossibile præcepisse. Cum ergo congregatio Concilij Generalis pro singulis fraternis correctionibus sit impossibilis, fit inde, adimpletionem talis præcepti fore impossibilem, si ly *dic Ecclesiæ* accipiendum foret pro Concilio Generali. Insuper & foret onus gravissimum, & insupportabile. Cum tamen iugū Christi, vt inquit idem Matthæus cap. 11. sit suave, & onus eius leve. Hinc etiam constat, non posse intelligi ly *dic Ecclesiæ* pro tota Ecclesia per orbem dispersa, tum propter impossibilitatem, tum propter oneris insupportabilitatem.

1244 Secundò. Quia Glossa cōtinua sic exponit prædictum textum *dic Ecclesiæ*, id est: *His, qui Ecclesiæ præsunt.* Similiter Sanctus Chrisostomus. Similiter D. Th. in 4. dist. 19. & 2. 2. q. 33. art. 8. ad 3. sic exponit ly *dic Ecclesiæ*; idest:

Digitized by Google

Prælato in iudicio præsidenti. Albertus Magn. *Dic Ecclesiæ*: hoc est, *Prælato, in Conventu, vel in Synodo.* Hugo Cardin. *Dic Ecclesiæ: id est, his, qui Ecclesiæ præsident. Si priuata persona corrigit, sic exponi debet: Dic Ecclesiæ: id est, coram Prælato Ecclesiæ, eum convince per testes, quos noluit audire corripientes. Si vero Prælatus corripiat: sensus est: Dic Ecclesiæ: id est: coram Ecclesia ipsum excommunica: id est coram congregatione fidelium.* Nicolaus de Lyra: *Dic Ecclesiæ: id est, Prælato.*

1245 Glossa Decreti in cap. si peccaverit 2. q. 1. *Dic Ecclesiæ*: id est, *Sacerdoti.* Innocentius Papa in cap. *Novit* extra de iudicijs exponit illud *Dic Ecclesiæ* de Pastore, & Prælato vniversalis Ecclesiæ, nimirum de Romano Pontifice. N. Leander in expos. Regulæ cum Div. Thom. vbi sup. n. 1222. exponens nostram Regulam: *Dicat Ministro*: ait: *Non vt iudici, sed vt Patri.* Videatur Magn. Parens Augustinus serm. 16. de *Verbis Domini.*

1246 Tertiò constat eadem intelligentia ex perpetua praxi ab exordio nascentis Ecclesiæ ad hæc vsque tempora per Sanctos Patres, & vniversos fideles semper observata. Praxis enim eiusmodi in correctione fraterna non fuit, nec est, denuntiare fratris nostri errantis peccatum vniversali Ecclesiæ, sive per orbem dispersæ, sive conciliariter congregatæ, sed Prælato ordinario: prius, iuxta leges eiusdem fraternæ correctionis, semel, & iterum illo admonito. Consuetudo autem approbata observantiæ optima est legum Interpres: vt inquit Augustinus lib. de mendacio: & constat ex cap. *cum dilectus* 8. de consuetudine. L. *si de interpretatione* 37. ff. de legib. Barbosa cum communi Doctor. axiom. 56. num. 6. Et generalis Ecclesiæ consuetudo se habet tanquam lex, & vt talis, ab omnibus observari debet ex cap. *Pernicios* 13. de celebrat. Missar. cap. fin. de observ. ieiun. (& vtrobique Glossa) cap. *in his* 7. 11. dist. cap. *Diurni* 6. 12. dist cap. contra morem 8. 100. dist., & alibi, vide supr. num. 1125. in fin. & N. P. Fr. Ioseph à Iesu Maria in Respons. Moral. resp. 15. num. 194. & resp. 27. n. 31. 37. & 71. Insuper ex Sanctorum factis inferre debemus legitimum Scripturæ sacræ sensum, & quid in illa sentiendum sit. Cum igitur sensus, genuinus, legitimusque illius textus: *Dic Ecclesiæ* sit, vt per ly *Ecclesiæ*, cui tanquam iudici facienda est denuntiatio, Ordinarius Prælatus Ecclesiæ intelligatur, non vero Ecclesia vniversa per orbem dispersa, aut concilia-

Digitized by Google

riter congregata : iuxta Sanctos Patres, ita exponi debet. Et rogo ab illustriſ. Clero Gallicano, & alijs, vt dicant mihi, quomodo obſervent de facto præceptum iſtud Divinum? quam illius habeant praxim? Spectant ne Oecumenicum Concilium, vt frater errans, & delinquens induratus, & incorrigibilis iudicetur? Minime gentium. Si enim Concilium Generale ſpectandum eſſet, nunquam, aut rariſsime fratris peccatum corrigeretur. Quod eſt valde inconveniens, & à ratione, & veritate alieniſsimum. Per ly ergo *Dic Eccleſiæ* intelligitur particularis Eccleſia, Prælatus, Epiſcopus, iudex ordinarius. Eſt expreſſa ſententia Hieronymi, Auguſtini, Chriſoſtomi, Div. Thomæ, & aliorum Sanctorum Patrum, Scholaſticorum & Interpretum ad prædictum textum: & poteſt videri Cornelius à Lapide.

1247 Illa Domini noſtri Ieſu Chriſti doctrina de correctione fraterna generalis eſt: nos omnes reſpicit, & non ſolum Petrum, eſto ad ipſum ſpecialiter directa ſit vice omnium, in ſignum principatus ſui ſuper omnes alios. Quare tam Prælati, quam ſubditi tenemur ad illius præcepti obſervantiam. Aliter tamen, & aliter, vt num. 1244. diximus cum Hugo Cardinali. Si enim perſona privata corrigit: tunc ſenſus eſt: *Dic Eccleſiæ*: hoc eſt: Prælato. Si publica corrigit: *Dic Eccleſiæ*: id eſt, coram congregatione eum obiurga: vt maiorem patiatur erubeſcentiam: vel coram Congregatione eum excommunica: vt multorum deteſtationi habitus, qui pudore ſalvari non potuit, ſalvetur opprobrijs: vt aiunt Hieronymus, & Hugo Cardin. En iam textus Matthæi ſufficienter, ni fallor, expoſitus eſt.

1248 Ex cuius legitima expoſitione conſtat, quam imbecille ſit illuſtriſsimi Cleri Gallicani argumentum. Quali, quantaque facilitate repelli poſsint arietes omnes, quibus Catholicæ Sanctæ, Apoſtolicæ, Romanæ Eccleſiæ infallibilitatis mœnia adverſarij concutere, & diruere conantur. Eorum Goliath occiſo, cæteri Philiſthiim abſque dubio fugient. Ex dictis autem relinquitur percuſſus, & occiſus gladio ſuo. Secunda illa ſuppoſitio numer. 1222. facta eſt apperte falſa. Et conſequenter quidquid in illa fundatur, corruit. Conceſſa ergo maiori, negatur minor Achillei argumenti, quæ nunquam probatur ab adverſarijs, nec probari poteſt. Cum careat ſolido fundamento. Quare

Digitized by Google

re omnes illæ consequentiæ sunt nullæ,& illegitimæ.

1249 Ad primam confirmationem num. 1223. adductam respondeo, Concilium Constantiense, eiusque decreta esse dubiæ auctoritatis: vel de tempore schismatis esse intelligenda. Vide Bellarminum lib. 2. de Concil. auctor. cap. 19. Eminentissimus Aguirre disput. 15. num. 12. inquit, multa peccare eos, qui hoc erundineo Constantiensis Concilij fulchro nituntur. Cõcilium Basilienſe initio fuit legitimum; sed paulo post transijt in conciliabulum. Et tale est quodlibet, quod, existente certo Papa, sine huius consensu celebratur, prosequitur, aut concluditur. Quod totum evidenter convincunt idem Eminentissimus Aguirre dicta disput. 15. 16. & 36. per totas, & Auctor tractat. de libertat. Eccles. Gallican. lib. 8. cap. 15. & advertunt, frustra, & immerito nunc fuisse excitatam ab illustrissim. Clero Gallicano opinionem Patrum Conciliorum Constantiensis, & Basilienſis millies convulsam; cum sit immane paradoxon: quo vti pudere deberet eumdem illustrissim. Clerum Gallicanum. Quare in forma negatur minor illius syllogismi. Neque inconvenit, Concilium alias initio sui legitime congregatum, in progressu in errores prolabi, antequam à Papa confirmetur: vt notat Araujo in Decis. Moral. tom. 2. disput. 4. difficult. 1. num. 7.

1250 Ad secundam confirmationem num. 1230. adductam respondeo, Glossam bene intellectam adversarijs nihil favere. Imò illorum intentionem infirmat. Glossa enim ait: *Dic toti Ecclesiæ, vt maiorem erubescentiam patiatur. Post hæc omnia sequatur excommunicatio, quæ fieri debet per os Ecclesiæ: id est per Sacerdotem: quo excommunicante, tota Ecclesia cum eo operatur.* Ergo per ly *Dic toti Ecclesiæ* non intelligit Glossa Concilium Generale: & multo minus vniversam Ecclesiam per orbem dispersam. Quia foret præceptum de re impossibili: vt num. 1243. expensum est. Ly erga *Dic toti Ecclesiæ*: & totalitas Ecclesiæ strictius intelligi debent per quamdam quasi distributionem accommodam, iuxta qualitatem congregationis. Quandoque pro Collegio Cardinalium, quandoque pro Congregatione nationali, vel Provinciali, vel Conventuali, aut vnius parvæ familiæ accipiuntur. Et est vsitatus modus loquendi Scripturæ sacræ. Et

Digitized by Google

quando Paulus ad Roman. vltim. vers. 23. dicit: *Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersa Ecclesia*: eadem Glossa, solam Provinciam Caij, non verò Ecclesiam per orbem dispersam, aut in Concilio Generali congregatam intelligit. Quæ doctrina satis constat ex verbis eiusdem Glossæ supra relatis: *Et post hæc sequatur excommunicatio, quæ fieri debet per os Ecclesiæ: id est: per Sacerdotem.* Hoc est: per iudicem ordinariū. Vide Turrecrematam.

1251 Ad tertiam confirmationem num. 1231. adductam dicendum est, inconveniens non esse, quod quis ad se ipsum remittatur secundum aliam, & aliam habitudinem consideratum. Licet hæc remissio non tam sit appellatio stricte dicta, quam supplicatio: vt notat, & explicat illustris. Araujo in Decision. Moral. tom. 2. disput. 4. Difficult. 1. num. 2. Prælatus namque potest considerari in iudicio, & extra iudicium. Secundū quod est in iudicio, præsidet, & sic illud *Dic Ecclesiæ* est dicere Prælato. Ast extra iudicium existens, non debet sic considerari, sed vt persona privata. Vtque persona privata potest remitti ad se; vt est persona publica. Et tunc dicere Ecclesiæ, est exire in actum iudicij. Papa extra casum hæresis nunquam potest denuntiari Ecclesiæ. Quia non habet in terris superiorem, cui denuntiari possit. Si ergo prout frater noster, nostraque infirmitate circundatus deliquerit, vel erraverit, simplici, & fraterna admonitione corrigendus est. In quantum vero est caput, & Princeps Ecclesiæ, eius peccata soli Dei iudicio sunt reservata, & nulli iudici in terris constituto sunt denuntianda. Quia nullum talem iudicem habet. *Prima Sedes a nemine iudicatur*: iuxta Concilia Sinuessanum sub Marcellino, & Romanum sub Sancto Silvestro. De quo Bellarmin. lib. 2. de auct. Concil. cap. 17. Sed ipsa prima Sedes, seu Papa est Princeps totius Reipublicæ Christianæ. Ipsi soli principaliter, & immediatè concessa est à Christo Domino suprema Ecclesiastica potestas. Hæc non est primario data Ecclesiæ, & ministerialiter tantū Summo Pontifici, licet primario data sit propter Ecclesiā, tanquam propter finē, vt notat Auctor tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 9. cap. 1. num. 5. & cap. 5. num. 18.

1252 Casus Hæresis iuxta dicenda num. 1279. ex gravissimis Doctoribus nunquam extitit, nec existet iuxta suavem

Di-

Digitized by Google

Divinam Providentiam. Et permisso, quod existeret, & tunc à Deo deponeretur Pontifex sua dignitate, & redderetur minor Concilio Generali. Nec tamen Ecclesia tunc Pontificem deponeret. Quia ad hoc non habet auctoritatem. Ecclesia tunc casus deberet Deum orare, vt ipse remedium adhiberet. Et absque dubio Dominus provideret, Pontificem malum, vel convertendo, vel de medio tollendo. Insuper Ecclesia, vel Patres cõciliariter congregati debita cũ reverẽtia deberent Papã admonere, & modestè corripere, & si Ecclesiam destruere vellet, vi, & armis ei resistere. Nulla enim auctoritas requiritur ad vim vi repellendam. Vide Ioannem de Turrecremata lib. 2. cap. 106.

1253 Hinc constat quomodo Papa sit frater noster, & membrum Ecclesiæ. Est enim membrum tanquam caput, & Princeps. Et vt Papa, totam habet auctoritatẽ immediatè acceptam à Christo. Et licet in corpore physico caput sit minus minoritate mollis, quam reliquum corpus. Tamen Papa solus est maior quoad auctoritatẽ, quam Concilium sine Papa. Et Concilium, incluso Papa, solum est maius extensivè, quam solus Papa. Hinc etiam constat quomodo possit ipse Papa esse accusator, testis, & iudex.

1254 Ad quartam, & quintam confirmationem, concessa, maiori, negatur minor: Cuius ratio patet ex dictis.

1255 Ad vltimam confirmationem respondeo, dicendum, eam potius nobis favere, quam aduersarijs. In illa quippè non est sermo de Ecclesia per orbem dispersa, seu formaliter accepta, sed Conciliariter congregata, & Ecclesiam ipsam repræsentante. Quod peringenuè fatetur illustrissimus Clerus Gallicanus in sua secunda assertione, quam retulimus n. 1226. ibi: *Immota consistant sanctæ Oecumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata ::: Decreta de auctoritate Conciliorũ Generalium, quæ Sess. 4. & 5. continentur.* Quare confirmationem merito retorquebimus in aduersarios hoc pacto: Omne permanens, & continuum præfertur variabili, & temporali. Sed Papa est magis permanens, & continuus, minusq; variabilis, & temporalis, quam Concilium Generale. Et facilius eligitur Papa, quam congregatur Concilium Generale. Ergo Papa præferendus est Concilio.

1256 Hinc patet ad octavam, & vltimam consequentiã num. 1222. in fine propositam. Dignitas enim, auctoritas, & iurisdictio attendi debent non in persona ipsa, quæ obnoxia est mor-

morti, alijsque humanis casibus, sed in Pontifice: & ipso Papa mortuo, virtualiter perseverant. Sicut etiã immota permanent omnia dogmata, quæ ipse ex Cathedra definivit. Et si aliqua nova oriatur difficultas circa fidem, solvetur à successore legitimo, de cuius electione in primis agendum est. Concilium Generale poterit providere vrgentibus necessitatibus. Vt à suo capite separatum, si aliquid docear, esse de fide, non ideo est de fide, quia præcisè ipsum docet. Quia infallibilitas ista non est promissa Ecclesiæ, vel Concilio Generali illam repræsentanti, nisi vt vnito suo capiti. Dixi autem superius, omnem Ecclesiam, vel Concilium Generale illam repræsentans, vel omnes Sanctos Patres vnanimiter nunquam aliquid docturos, quod non sit de fide, & cui Sũmus Pontifex legitimè electus contradicet. Et Papæ certo, & legitimo nunquam tota resistit, aut resistet Ecclesia, vt notat Auctor tract. de libertat. Eccles. Gallic. lib. 9. cap. 5. n. 12. Et ipse non exercet suam potestatem, sicut Generales sacrarũ Religionum, aut Dux Venetiarum ex dictis à num. 1215. vsque ad 1222.

(?)

(?)

*****

§. QVARTVS.

Illustrissimus Clerus Gallicanus perperam, & frustra confugit tanquam ad aram ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ, vt tueatur auctoritatem Concilij Generalis supra Papam. Vbi plura scitu digna referuntur ex Recentioribus, & celeberrimis Gallie Scriptoribus.

1257 EMinentissimus D. Cardinalis Aguirre in suo aureo libro: *Defensio Cathedræ S. Petri*, contra Declarationem illustrissimi Cleri Gallicani: in Epistola dedicatoria alloquens SS. D. N. Innocentium XI. Pontificẽ Maximum: iam nunc, vt pie creditur, in cœlis regnantem: Sic ait: Paucis mensibus postquam Declaratio Cleri Gallicani Parisijs edita fuerat XIX. Martij M. DC. LXXXII. aliquot eius exemplaria ad hanc Salmanticensem Academiam pervenerunt. Beatissime Pater. Quanto horrori illa fuerit tot eximijs Professoribus, zelo Religionis Catholicæ, veneratione Apostolicæ Sedis, pietate, doctrina, & eruditione claris, non facile explicare queam. Cum enim nihil antiquius fuerit huic celeberrimæ omnium disciplinarum Scholæ, quam Veneratio Cathedræ Sancti Petri, eiusque

Digitized by Google

que successoris Romani Pontificis; non potuit sine ingenti dolore, & commotione animorum, videre eius auctoritatem palam impetitam, & ab ijs quidem ipsis, quorum officij, & partium erat, illam tueri vsque ad sanguinem. Hactenus ibi. Dubio procul maiori horrori, & dolori erit eisdem, & cunctis sinceris Catholicis audire, legere; aut videre praxim eiusdē declarationis in Gallia. Relatoris munere dumtaxat fungar: Quæ autem referam, adeò certa videntur, vt de illis dubitare prudenter non possit, eo quod ea tradant Recentiores Gallicani Scriptores gravissimi. Ad rem ergo.

1258 Illustriss. Clerus Gallicanus declarationem suā sic exorsus est: *Ecclesiæ Gallicanæ decreta, & libertates à maioribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta Sacris Canonibus, & Patrum traditione nixa, multi diruere moliūtur.* Ab exordio dignoscitur finis principalis. Qualis iste fuerit, facile colliges. Est communis, & frequens Scholæ Gallicanæ sententia, quæ docet præcipuam libertatum Gallicanæ Ecclesiæ regulam, & rationem in eo consistere, vt Oecumenicum Concilium sit superius Romano Pontifice, quod iste illius subijciatur auctoritati. Ita referunt illustriss. D. D. Petrus de Marca, & ipse Gallus, Archiepiscopus Parisiensis, lib. 3. de concordia Sacerdotij, & Imperij, cap. 7. n. 1. Stephanus Baluzius, charissimus eius discipulus, Petrus Puteanus, Ioannes Launoius, & cæteri Gallicarum libertatum vindices, quos citant Emin. Aguirre disp. 34. num. 10. 11. & alibi, & Auctor tract. 1. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ ferè tertio quoque verbo, præcipue lib. 5. cap. 1. n. 3. Bene verum est, Marcam, & Baluzium indicare, opinionem istam sibi displicere. Quod notat Emin. Aguirre in prædicta epist. dedic. ad Innoc. XI. ferè in princ. relata disp. 34. n. 11. & disp. 37. Quam tamen speciosō prætextu convincit manifeste Auctor tract. de libert. Eccl. Gallic. pluribus in loc. præsertim lib. 3. cap. 12. lib. 11. cap. 1. & seqq. cap. 6. num. 7. & infra: Christianissimi Regis multo magis, quam Ecclesiæ causam agendo: vtque vtrique satisfecisse: & iniuriam Ecclesiæ illatam ab alijs Galliæ Scriptoribus reparasse videatur: modo in hanc, modo in illam partem se se inflectendo. Quod ex dicendis manifeste patebit. Interim scito, quod iuxta eumdem Auctor. tract. de libert. lib. 11. cap. 1. num. 8. Galliæ Scriptores quam plurimi, & inter ipsos Marca summi Pontificis auctoritati parum favent, & persua-

Digitized by Google

dere conantur, nullã esse Summi Pontificis auctoritatem in Ecclesia Gallicana, nisi Gallia, & præcipue Rex consentiat. Imò libertates Ecclesiæ Gallicanæ ad reijciendos etiam Cõciliorum Generalium Canones adhibentur: & in Pragmatica Sanctione repositæ sunt: Ita tract de liber. lib. 1. cap. 16. n. 3. lib. 3. cap. 7. num. 1. Quarum prætextu plures propria quæruntcõmoda. In summa Scriptores Galli communiter asserunt, Papam Concilio Generali supponere, ad Gallicanam libertatem spectare: licet libertatis nomen ad plura alia ab eis extendatur.

1259. Libertatis nomen olim cunctis erat valde iucundum. Nunc in Gallia est suspectum, odiosum, & infensum omnibus sinceris Catholicis, quia ferè non nisi Summo Pontifici opponitur, quasi supremus Ecclesiæ Pastor, & Pater amantissimus, Tyrani loco à Christianissima illa gente haberetur. Videndus est tract. de liber. lib. cap. & num. 1. & 2. Libertas Ecclesiastica sic definiri debet: *Est immunitas rerum, locorum, & personarum Deo specialiter consecratarum.* Libertas autem Ecclesiæ Gallicanæ ab eius vindicibus, ita definitur: *Exacta iuris antiqui observatio.* Tract. de libertat. lib. 1. cap. 3. & 4. Si autem attentius consideretur praxis libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, eas non haud inepte definiat, qui dicat *Oppressionem iurisdictionis Ecclesiasticæ à laica, & depressionem auctoritatis Romani Pontificis à Clero Gallicano.* Et non incongrue dicuntur: *Arbitrium ex antiquis Ecclesiæ Decretis retinendi, & ex novis admittendi quæ videntur utilia.* Tract. de libert. lib. 1. cap. 13. n. 6. & 7.

1260 Illustr. Marca lib. 3. de concordia Sacerdotij, & Imperij cap. 7. refutata (quoad speciem) communi illa Pragmaticorum opinione n. 1258. relata, sentit, Gallicanæ Ecclesiæ libertates in eo esse situs, vt expendatur, an nova constitutio, vel novum rescriptum, vel novum decretum tam Romanorum Pontificum, quam Conciliorum Generalium ab eisdem Romanis Pontificibus confirmatorum, rebus Gallicanis cõsulat, aut noceat. Si receptos Canones, vel receptos mores infringat aliquo pacto, eius ratio non habebitur, nisi consensu publico accedente. Si Romani Pontificis, & Concilij Generalis statuta offendant regulas, mores, & instituta à Regno, & Ecclesia Galliæ recepta, omnino contaminabũtur, nisi prius à Rege, eius Parlamento, & Regno, (addit quidam Theologus Parisiensis Recentior relatus ab Eminentiss. Aguirre) prout istud lai-

Digitized by Google

laicos etiam comprehendit, ac ceptentur. Vide Eminent. Cardin. Aguirre disp. 4. à n. 15. & disp. 17. sect. 4. disp. 38. sect. 6. disput. 39 num. 18. & 29. & disp. 40. sect. 2. tractatum de libert. Ecclesiæ Gallic. pluribus in loc. præsertim cap. 2. n. 2. 3. 6. & 7. cap. 5. num. 2. 4. & 12. cap. 8. num. 10. cap. 10. num. 12. & 13. cap. 11. num. 9. cap. 12. num. 1. lib. 11. cap. 1. num. 1. 2. 4. 7. 8. 9. & 12. cap. 2. 8. 10. 13. Ex industria vero dixi *Quoad speciem*: loquens de Marca. Communè quippe opinionem, vel definitionem de superioritate Concilij Oecumenici supra Papam absolutè non impugnat, sed vt non convenientem omni suo definito, seu vt manu non admittit. En eius verba: Scio quid Basilienſis Synodus &c. quidque à Gallicanæ Ecclesiæ Theologis passim docetur. Attamen, si cum bona Magistrorum venia, id, quod sentio, libere profiteri liceat, existimo, libertates Ecclesiæ Gallicanæ hoc axiomate non omnino niti. Hæc ille. Vide Aguirre disp. 34. num. 16. Ideo dixi n. 1258. communem illam opinionem *specioso prætextu non admitti à Marca, & Baluzio.* Si rebus Gallicanis consulat inferioritas Papæ, admittitur à Marca: si noceat: non admittitur. In Gallia viget illud vulgare proloquium: *Quo volunt Reges, vadunt leges*: vt notat Auctor tract. de libert. lib. & cap. 10. num. 13.

1261 Illustris Marca tribuit Principibus Sæcularibus facultatem convocandi Ecclesiam ad Concilia Generalia: proponendi Concilijs, quæ in eis tractanda sunt: ita vt de alijs deliberare non liceat: ordinē, & modum præscribendi, à quo si recedatur, inane sit quidquid fiat: decreta Conciliorum confirmandi: sine qua confirmatione robur non habeant: indicata suspendendi: donec novo iudicio, novoque examine probata fuerint, & publico recepta Edicto: Concilia ex quibus voluerit, conflandi: iurisdictionem aliunde non habentibus conferendi: causam vnius Provinciæ, alterius Provinciæ Episcopis definiendam committendi: aliaque similia præstandi. Iuxta illustris. Petrum de Marca nulla est lex Summi Pontificis, aut Concilij Generalis in Gallia, nisi Gallia ipsa, & præcipue Rex consentiat: Apud Gallos eadem est ratio de Papa, ac de Concilio Generali; Suprema Regia potestas Ecclesiasticæ potestati nullo modo subiacet: & Ecclesiastica sæculari supponitur.

1262 Omnia Apostolica decreta, sive à Romano Pontifice, sive à Concilio Generali profecta omnia privilegia, Bullæ-

Digitized by Google

læ, omnes dispensationes nutant, vacillant in Gallia, dum libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ adversantur. Illa non obligant, nisi publico edicto accepentur: vel vt loquitur Puteanus: *Absque parentis à Rege, vel ab eius officialibus concessio.*

1263 Sed causam, & originem libertatum Gallicanæ Ecclesiæ inspiciamus. Ipsæ absque dubio à schismate inter Pontifices Romanos, & Avenionenses originem ducunt. Clemens V. opera Philippi pulchri Galliæ Regis Pontifex electus fuit. Sedē suā Avenione, prout Regi promiserat, anno 1305. collocavit. Vbi perseverauit 70. annis vsque ad annum 1375. quo Gregorius XI. opera Em. Cardin. Albornoz natione Hispani, & eximijs virtutibus ornati, Apostolicam Sedem Avenione Romam retulit. Quo mortuo, Cardinales, qui maiori ex parte erant Galli, Prignianum, qui Vrbanus VI. vocatus est, elegerunt Papam. Quem quia ferre non potuerunt, Fundis elegerunt alium, qui Clemens VII. est vocatus: & Vrbani VI. electionem fuisse irritam, & gravi metu extortam, declararunt. Clemens autem VII. Sedem Avenione posuit. Hinc exortum est illud schisma, quod duravit vsque ad annum 1417. quo Martinus V. electus est. Vterque Papa, Vrbanus nimirum VI. & Clemens VII. Beneficijs gravia imposuit onera. Gallicanus Clerus, & Parisiensis Academia ægre tulerunt ista gravamina, & onera. Quippe Beneficia conferebantur amicis, & potentibus, non vero viris doctis. Clerus ergo Gallicanus, & Parisienses Doctores ab isto iugo se liberare voluerunt. Et ab eisdem libertas Ecclesiastica contra Pontificum exactiones, ac Beneficiorum reservationes, tanquam antiquis moribus, & Canonibus contrarias, in medium adducta est. Et harum libertatum prætextu multi commoda propria quærere cœperunt: & libertates ipsæ Gallicanæ in dies creverunt, aut per tacitum Summi Pontificis consensum, aut per ius non parendi legibus iniustis. Tract. de libert. Eccl. Gallic. lib. 1. cap. 16. n. 1. & 2. & lib. 2. cap. 12.

1264 En libertatum Ecclesiæ Gallicanæ origo, progressus, & virtus. Praxim inspiciamus. Earum prætextu indiscriminatim quæcumque à Sede Apostolica proficiscuntur, sub arbitrio laicalis potestatis pendent. Eorum vsus, & exercitia Regi Galliæ, eiusque officialibus subijciuntur. Auctor tract. de libert. Ecclesiæ Gallic. lib. 1. cap. 13. num 1. ait, libertates Ecclesiæ Gallicanæ à variis variè accipi pro cuiusque com-

Digitized by Google

commodo, aut studio, nemi nem latere eorum, qui res gestas in Gallia rescire satagunt.

1265 Appellatio ab abu su in Gallia introducta est sub prætextu libertatum ad impediendos iudices Ecclesiasticos, ne potestate sua in cæteris negotijs abuterentur. Sed iam eo processit, vt nulla sit causa, quantumcumque spiritualis, & Sacramentalis, quæ eidem appellationi obnoxia non sit, & quæ Parlamentorum iurisdictionem effugiat: si fuerit contra libertates Ecclesiæ Gallicanæ, contra edicta, regulas, constitutiones, placita curiarũ supremarum, concilia recepta in Gallia: iurisdictionem Regiam, & temporalem, mores, leges, Senatusconsulta Gallicana. In summa. Regiæ Coronæ ius, seu potestas iudicibus sæcularibus concessa, de qualibet, quantumcumque spirituali re iudicandi, dummodo appellationis ab abusu nomine vestiatur, aut insigniatur, in tuto positum est. Omnes Pontificiæ cẽsuræ contemnuntur: iudices sæculares cassant, & annullant cẽsuras Ecclesiasticas, vt declarent, verè excommunicatos nõ esse Reges Galliæ, illorumque officiales: hos, & illos ab alio, quam à Romano Pontifice excommunicari non posse. Nulla potestatis Papæ habetur ratio. A quocumque iudice Ecclesiastico appellatio ab abusu licita est. Principio appellationes ab abusu non vsurpabantur, nisi quando notorius erat, & manifestus Ecclesiasticorum iudicum excessus. Ideo dicebantur *Appellationes ab abusu notorio, & certo.* Iam ferè nullus est actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, etiam post tres sententias conformes, & post centum annos, & post quodlibet tempus, qui sit securus ab huiusmodi appellationibus, quique eis non sit obnoxius.

1266 Actus à iurisdictione Episcopali procedentes directè impetuntur, & irritantur à iudicibus sæcularibus in Gallia; A Summi Pontificis iurisdictione procedentes reverentius destruuntur. Non enim à sententia, Decreto, vel Rescripto Papæ, sed ab eorum publicatione, vel executione appellari solet ad Galliæ Parlamenta. Ista, eorumque iudices, non obstante trito illo axiomate: *Actor sequitur forum rei.* Episcopos, Clericos, & quoslibet Regulares ad sua tribunalia ob quælibet negotia trahunt. Et sub prætextu libertatum, & appellationum ab abusu, Sæculares Magistratus se se immiscent spirituali Regularium regimini, tam circa electiones, sive in Capitulo Generali, sive extra illud, quã circa delictorum correctionem imò circa ingressum iuvenum,

Digitized by Google

&

& Virginum in Religionem. Et cum adhuc, repugnantibus Parentibus statum istum libere suscipere possint: repugnante Principe Sæculari, non possunt: contra illud Hieronymi epist. 1. *Licet spurso crine, & c. Per calcatum perge Patrem: per calcatam perge matrem.* Auctor tract. de libert. lib. 10. cap. 11. num. 1. 2. & 3. & lib. 12. cap. 3. n. 6. & 7. Iuxta Puteanum ne indulgentiæ quidem publicari possunt in Gallia sine Regio consensu. Tract. de libert. lib. 10. cap. 9.

1267 Galliæ Rex, nullo expectato Summi Pontificis cōsensu, ex bonis Ecclesiæ, & Clericorum accipit, quæ sibi necessaria videntur. Et ipse Summus Pontifex sine consensu Regis, & eius officialium accipere nō potest bona, quæ Clerici, & Ecclesiæ eidem Pontifici tribuunt in subsidium belli contra infideles. Loc. cit. lib. 10. cap. 12. num. 1.

1268. Regij officiales in Gallia in id conspirasse videntur, vt Ecclesiasticam auctoritatem deprimant, limitent, cōstringant: Regiam amplificent, exaltent. Paulo aliter. Ita conspirasse videntur, vt potestatem Ecclesiasticam, & Pontificiam in Regem, ac in se transferant. Loc. cit. lib. 11. cap. 7. Et Petrus Puteanus Christianissimi Regis dominium non solum in plura Regna, & in omnem Europam, sed etiam in Ecclesiam videtur protendere voluisse, loc. cit. lib. 3. cap. 12. n. 5. lib. 10. in proœm. & cap. 2.

1269 Libertates Ecclesiæ Gallicanæ, & appellationes ab abusu impugnare in Gallia, est crimē læsæ Maiestatis. Quia fit iniuria supremæ Regiæ Maiestati, fuminoque eius dominio. Vtque omnis Gallorum resistentia Summorum Pontificum, Conciliorumque Generalium Decretis minus culpabilis appareat: trito illo prætextu excusantur Galli: *Quod iura Principum læsa sint.* Ita illustris Marca, apud Auct. tract. de libert. Eccl. Gal. lib. 11. cap. 1. & num. 8. & lib. 12. cap. 2. n. 8. 9. 10. & 11. & Iacobus Duhamel in opusculo inscripto: *Politia Regia in personas, & res Ecclesiasticas.*

1270 In Gallia se arbitram decretorum Ecclesiæ, Summorum Pontificum, & Conciliorum Generalium, earumque infallibilitatis constituit. Et definitiones à Romano Pontifice, & ipso Concilio Generali editæ in quæstionibus fidei, & morum in Gallia non erunt irrefragabiles, nec obligabunt, nisi præterea a toto cœtu fidelium, prout laicos etiam comprehendit, admittantur, approbentur. Potestatem infallibileni decernendi, aut constituēdi Canones

Digitized by Google ad

ad laicos, & mulieres etiam expectare: contendit Richerius relatus ab Auctor. tract. de libert. lib. 9. cap. 3. à num. 1. Quæ doctrina fuit Marci Antonij de Dominis, impij Apostatæ: & iam pridem damnata tanquam hæretica ab Vniversitate Parisiensi, vt notat Emin. Cardin. Aguirre disp. 39. num. 25. Qui videndus est à num. 1. eiusdem disput. 39. & num. 29. sic ait: *Deinde rejcitur idem paradoxon, iuxta illud enim cœtus populi Christiani, etiam prout ex laicis constans, adæquatur Sedi Apostolicæ, & Concilio Vniversali in auctoritate circa doctrinam fidei, quin imò & præfertur, veluti iudex superior.*

1271 Sed omnia hæc adeo manifestè pugnant cum Scriptura sacra, traditionibus Divinis, Apostolicis, & Ecclesiasticis, Summorum Pontificũ, & Conciliorum Generalium definitionibus, rationis, ac fidei regulis, vt proposuisse: & more luriſperitorum tradidisse, confutasse sit. Si crude dicantur: horrorem Christianis sinceris incutiunt animis. Nisi benigne exponantur, ac in eo sensu non intelligantur, quem præseferre videntur verba, hæretica sunt: & Galliam manifesto schismatis periculo exponunt. Horret omnis veri, & sinceri Christiani, & Catholici animus ad doctrinam, quæ fidei, ac disciplinæ negat posse consuli, nisi ex præscripto Principum Sæcularium, laicorum, & mulierum. Quantum enim periculi subitura foret Religio Catholica, si (quod avertat Deus) Principes Sæculares essent mali, Hæretici, Pagani, Tyranni, iurati Ecclesiæ inimici? Quomodo Papa posset collabentem Ecclesiæ disciplinam firmare: collapsam restituere: abusus corrigere: crimina plectere? Mature, & diligenter considerent hoc quotquot Ecclesiasticatum legum vim à Principum Sæcularium arbitrio pendere arbitrãtur: sub prætextu suarum libertatum tuendarum debitã Summo Pontifici obedientiam negant: miserrimam Ecclesiasticæ iurisdictionis servitutẽ inducunt: Ecclesiasticam potestatem opprimunt: sæcularem exaltare contendunt: Ecclesiam in rebus Divinis Regiæ, & Sæcularis potestatis servam faciunt.

1272 Mirũ certè est, quomodo iudices Sæculares Gallicani, qui calicem, aut aliud vas Divinis ministerijs consecratũ non solũ rapere non auderent, sed nec nudis manibus contrectare, iurisdictionem sacram ad se trahere nõ verẽtur, quasi nõ sit etiam res sacra, & Ecclesiæ maximè necessaria, & chara.

1273 Diximus n. 1240. Cum Emin. Cardin. de Aguir-

re

Digitized by Google

re appellationes à definitionibus Papæ ad Concilium Generale semper fuisse proprias Hæreticorum, & Schismaticorum. Quid ergo dicemus de appellationibus à definitionibus Papæ, & Concilij Generalis per Papam certum, & indubitatum confirmati ad Parlamenta Sæcularia: ad totum cœtum fidelium, prout laicos, & etiam mulieres comprehendentem? Certè verò si Papæ, & Concilij Generalis definitiones in Gallia essent fallibiles: Regis verò Christianissimi, eius Supremi Parlamenti, & cœtus laici iudicium esset infallibile, verax, & certum, naturæ, rationi, veræ Theologiæ, & Iurisprudentiæ is adversaretur, qui appellationes à Papa, & Concilio ad Regem, eius Parlamentum, & cœtum laicum denegaret. Qui Papam, & Concilium Oecumenicum eidem Regi, Parlamento, & cœtui laico non subijceret. Quanta autem absurda, & incommoda inde sequantur: nemo non videt.

1274. Sciant ergo libertatum Gallicanæ Ecclesiæ vindices, Papam immediatè à Deo, & Christo totam suam spiritualem potestatem accepisse: non verò à Principibus Sæcularibus: & hos, ipsorumque subditos in spiritualibus eidem Papæ esse subditos directè quidem in spiritualibus: & saltem indirectè etiam in temporalibus: vt n. 1286. explicabimus. Sciant item Principum potestatem nō esse immediatè à Deo, sicut Pontificis, & maiorem esse necessitatē continendi intra proprios terminos Principum potestatem, quàm restringendi Papæ iurisdictionem spiritualem. Sciant insuper ijdem vindices, non esse doctrinam odiosam Principibus, hos Ecclesiasticæ potestati etiam quantum ad temporalia, modo explicando subijcere, sed solum malis Principibus. Contraria doctrina est iniuriosa, & noxia ipsis Principibus: dissona Verbo Dei. Tantus fuit olim Principum, præsertim Gallorum cum Sede Apostolica consensus, vt mutuis potius officijs inter se decertarent, quàm potestatis limites scrupulosè observarent. Et Philippus Augustus cum à suis officialibus moneretur, iurisdictionem Regiam à iudicibus Ecclesiasticis vsurpari: respondit, *Melius id perpeti, quam a Sacerdotibus cum scandalo dissidere.* Potestatem spiritualem à Sæculari Christus D. divisit, distinxit, separavit. Vtraque seorsim in cœlum vsque evehi potest, & debet: cum vtraque sit suprema: altera in spiritualibus, in temporalibus altera: Vnaquæque tamen in suo genere, Sæcularis, & temporalis cum subordinatione ad spiritua-

Digitized by Google

tualem. Non è contra. Gallicanæ Ecclesiæ libertatum vindices sæcularem Christianissimi potestatem tali studio, & moderamine exaltent, tueantur, vt sciant, pari quoque ratione tuēdam esse spiritualem Summi Pontificis. Nec possunt alias sibi, alias Ecclesiæ leges ponere, quin Divinam in se concitent iram, vt non tam iuvetur Rex, Regnum Galliæ, quam destruatur.

1275 Sciat etiam illustrissim. Clerus Gallicanus, Cōgregationem suam non fuisse legitimam, nec ipsum fuisse legitimum materiæ definitæ iudicem, declarationem suam retractare debere: & propositiones illas fuisse falsas, aut minus probabiles. Audiat Eminētissimum Cardinalem Aguirre disput. 16. à num. 2. per tot. & disput. 40. num. 21. dicentem: Supereſt, vt illustrissimi Galliæ Præsules, quam ediderunt declarationem, saniori consilio revocent, & à finibus eius nobilissimæ Nationis exterminari omnino curent. Ad id enim eos teneri sub gravissimo conscientiæ reatu, nullo iure, aut ratione dubitari potest. Nec debet ijs pudori esse publica erroris retractatio, quæ gravissimis etiam Ecclesiæ Patribus in gloriam cessit, vbi se aliquid humani passos, & in doctrina lapsos invenerunt. Inter quos maximè imitandus Augustinus ::: Prima laus docentis, nunquā errasse. Secunda, errorem correxisse. Qui priorem illam nacti non fuimus, posteriorem hanc mereri studeamus; ne forte errantes, & facientes alios errare, in iudicio Dei inveniamur cæci, & duces cæcorum. Hactenus ibi.

1276 Nec mirum, quod illustris. Clerus Gallicanus tam strictè teneatur ad revocationem. Eius enim doctrinam Romani Pontifices: innumeri Theologi, Canonistæ, & Iuristæ iudicant, esse omnino contrariam Scripturæ sacræ, traditionibus Divinis, & Apostolicis, Oecumenicis Concilijs certis, & indubitatis: manifestis rationibus convulsam: in se ipsa enervem: nullius, nisi erratici, aut acephali Concilij testimonio munitam: non à Patribus traditam: à nullo Romano Pontifice toleratam: à paucis Theologis male contentis tempore schismatis, pro illo extinguendo in defectum alterius remedij excogitatam: omni solido rationis, & auctoritatis fundamento destitutam: saltem à tempore Concilij Lateranensis sub Leone X. Sess. 11. diris, & execrationibus traditam. Facessant ergo illustrissimi Galliæ Præsules, qui suscitare volunt opinionē antiquatam, & millies convulsam, seu imma-

Digitized by Google

immane paradoxō de poteſtate Concilij Generalis ſupra Papā certū, & indubitatū: & ſciant, ſe pro tuenda iſta opinione perperam, & fruſtra recurrere tanquam ad aram ad libertates Eccleſiæ Gallicanæ, ad appellationes ab Abuſu in Gallia practicatas, & prout hic, & nūc in Gallia practicatas: vt teſtificantur ſupra relati Recentiores, & celebertimi Auctores Galli in media Gallia ſcribentes.

1277 Conſulto autem dixi: *Prout hic, & nunc in Gallia practicatas.* Non enim fuit, aut eſt, vel erit animus noſter damnare praxim Sæcularium Senatuum ſecundum ſe, & vniverſaliter ſumptam ab Eccleſiaſticis Tribunalibus ad Regia recurſus admittentem, ob cauſam auferendi violentiā, dummodo Iudices Sæculares à iuriſdictionali forma omnino abſtineant: & ſolum declarent: *An appellatio à Tribunali Eccleſiaſtico inferiori ad Tribunal Eccleſiaſticum ſuperius ritè, & rectè ſit interpoſita per partem: nec ne? An Eccleſiaſticus in Tribunali Eccleſiaſtico inferiori damnatus, & ad ſuperius, etiam Eccleſiaſticum via appellationis recurrere volens, violentiam paſſus ſit à iudice inferiori Eccleſiaſtico, vel non?* Dummodo intra hos terminos ſe contineant Iudices Sæculares; non eſt, inquā animus noſter, talem praxim abſolutè damnare: ſicut nec fuit illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Magiſtri Araujo in ſuis deciſ. Moral. tom. 2. diſp. 4. difficil. 2. vbi plures refert, & refellit modos iuſtificandi hos recurſus ob cauſam auferendi violentiam. Quorum primus eſt, facultatem iſtam cognoſcendi cauſas à iure Canonico eſſe conceſſam Regibus, & horum Miniſtris. Secundus, ob difficilem recurſum ad Sedem Apoſtolicam: propter longam itineris diſtantiam, & imminens peticulum in mora. Tertius, ob privilegium à Sede Apoſtolica Regibus conceſſum. Quartus, ob tacitum conſenſum, & tolerantiam Summorum Pontificum. Quintus, ob immemorabilem conſuetudinem, Hiſpaniæ, & Galliæ. Quibus reiectis, pro iuſtificanda huiuſmodi praxi duos aſſignat titulos. Quorum primus dimanat ex perenni fonte iuris naturalis, cunctiſque competit hominibus. Secundus eſt donatio exemptionis, & immunitatis facta Clericis à Supremis Principibus. Ad primum ergo Achilleum illuſtriſſimi Cleri Gallicani argumentum, ſatis, vt arbitror, reſponſum eſt. Et quoniam in eo diſſolvendo tota eſt difficultas, nō potuit à nobis verbis paucioribus ei ſatisfieri. Iam cætera perſequamur.

§. V.

Digitized by Google

§. QVINTVS.

Reliqua soluuntur argumenta.

1278 ARguitur 2. Omnis homo errare potest, & est mẽdax. Romanus Pontifex est homo. Ergo errare potest. Confirmatur quibusdam exemplis Pontificum, qui in fidei, & morũ dogmatibus aliquando errasse, & à fide Catholica defecisse videntur.

1279 Respondetur retorquendo argumentum aduersus contrarios, nec dum in ipso Concilio Generali, cui etiam interfunt homines, verumetiam in Scriptoribus sacris, qui etiã erant homines, & vrgentius retorquetur in Lutheranos, & Vvicleffistas, qui etiam sunt homines, & potiori iure errare possunt, & errant Distingo ergo maiorem: Omnis homo errare potest, si non habeat specialem Dei assistentiam: cõcedo. Si eam habeat, nego maiorem. Ad confirmationem ab Hæreticis quidem impudenter, à nonnullis verò Catholicis imprudenter exemplificatam, in primis permitto, aliquos Summos Pontifices, vt personas privatas, & particulares, aliquando errasse: nego tamen, eos vt Summos Pontifices, Christi Vicarios, & ex Cathedra Sancti Petri loquentes vnquam errasse. Deinde censeo, esse probabilissimum, pieque credendum, nullum Papam adhuc vt personam privatam hactenus à fide Catholica deviasse, aut de cætero deviaturum. Ita Pighius, Bellarmin lib. 4. de Romano Pontifice cap. 6. Suarez, Aguirre disput. 33. sect. 1. num. 3. Auctor tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 7. cap. 15. & 16. & alij insignes Theologi. Quæ immunitas ab omni errore spectat ad Divinam specialẽ providentiam erga Sedem Apostolicam.

1280 Arguitur 3. Olim erravit Summus Pontifex cum Iudæorum Synagoga in fide, repudiando Christum Dominum verum Messiam, naturalem Dei Filium, eiusque doctrinam. Ergo & Papa cum sua Ecclesia errare potest. Par enim videtur esse ratio. Respondeo cum Becano negando consequentiam. Quia Synagoga non habuit promissiones Divinas, quas habet Sedes Apostolica Romana, & habitura foret Antiochena, si Cathedra Sancti Petri Antiochiæ permansisset. Insuper Ecclesia ista est Catholica, seu vniversalis. Synagoga verò erat particularis pro solo populo Israelitico.

(?)

Digitized by Google

§. SEXTVS.

Nonnulla corollaria breviter inferuntur ex dictis.

1281 PRimum corollariũ. Summus Pontifex est infallibilis fidei, & morum regula seorsim, & independenter à Concilio Generali, & alijs quibuscumque.

1282 Secundum. Summus Pontifex errare non potest in canonizatione, & beatificatione Sanctorũ. Quia istæ pertinent ad fidem, & mores vniversæ Ecclesiæ. Similiter errare non potest in approbatione Religionis. Nec vllus Hispanus sincerus, & verus Catholicus contrarium dixit, vt quidem Advocatus in Curia Regia satis notus minus rectè instructus, & informatus in quodam iuridico allegato asseruit. Quod in supplici libello directo ad nostrum Catholicũ Regem Carolũ II. anno 1689. demonstravimus, & quidẽ evidentissimè.

1283 Tertium. Summus Pontifex errare non potest in definiendo, & vniversis fidelibus proponendo legitimum Scripturæ sacræ sensum, nec in definienda, & approbanda doctrina alicuius Auctoris Catholici, nec in definiendo hæretico sensu alicuius libri, & in qualificandis doctrinis.

1284 Quartum. Summus Pontifex in definiendo ex Cathedra semper præmittit examen, & consultationem, quam dictat prudentia. Ita Suarez disp. 5. de fide, sect. 8. num. 11. Cano de locis, lib. 5. cap. 5. Et si per impossibile in suis definitionibus nullam præmitteret diligentiam humanam, adhuc non erraret: Quia Spiritus Sanctus speciali sua providentia illum regeret, ne erraret. Ita Cardenas in crisi cõtra Caram disp. 11. n. 33.

1285 Quintum. Summus Pontifex habet infallibilitatẽ summam, & maximam in definiendis quæstionibus necdum iuris, verumetiã facti mixti, seu connexis cum fide, & ad vniversalem Ecclesiam spectantibus. Non tamen in quæstionibus facti particularis. Vide Bellarm. lib. 3. de Pontifice cap. 2. Richardus Arsdekin q. 3. de auctoritate Pontificis contrarium sentire videtur.

1286 Sextum corollarium: Romanus Pontifex non habet directum dominium temporale totius mũdi. Ita communiter Theologi, & Iurisperiti, præsertim D. Thom. noster Henricus de Gandabo Quodlib. 6. q. 23. Bellarm. Aguirre disp. 35. Suarez lib. 3. contra Regẽ Angliæ, cap. 22. & Reverendiss. P. Franciscus de la Lastra tom. 2. recollect. Moral super tit. 33. q. 1. con-

Digitized by Google

contra Magistrũ Sequeiros Augustinianum,& Complutensem in suo discursu apologetico. Habet tamen Summus Pontifex supremam potestatem spiritualem directam, & immediatam totius vniversi, & etiam in ipsos Imperatores, & Reges Christianos. Et ratione huius immediatæ,& directæ spiritualis potestatis,habet indirectam, & mediatam potestatem temporalem, summam, & maximã, quatenus scilicet res temporales sunt vtiles, & necessariæ ad finem spiritualem: ad præservandam Ecclesiam Catholicã ab erroribus, aut doctrinis in viam latam deducentibus: in praxi perniciosis: bonos mores corrumpentibus. Ad quem finẽ Romanus Pontifex potest quoslibet Christianos,etiam Imperatores, & Reges per censuras Ecclesiasticas coercere, & punire, imò propter apostasiam, hæresim,vel schisma eos dominio temporali,& dignitate Regia, vel Imperiali privare: eorũ subditos à fidelitate, & obedientia etiam sub iuramento Regibus præstita eximere. Hoc enim dominium indirectum,& mediatum ex vna parte est perneccssarium medium,vt Pontifex suum consequatur finem spiritualem, & aliunde est sufficientissimum.

1287 Nullus Hispanus verus, & sincerus Catholicus hactenus dixit, nullam,laicam, vel sæcularem personam eximi posse à laica, & sæculari potestate per Papam sine consensu Principis sæcularis ratione ordinis sacri, approbatæ Religionis, aut alicuius similis qualitatis Ecclesiasticæ, vel spiritualis, vt minus rectè informatus existimavit supra relatus Advocatus, quando etiam dixit, non deesse, qui asereret, Romanũ Pontificem errare posse in approbatione Religionis, nisi præcederet consensus Principis Sæcularis. Quod similiter demonstravimus in prædicto libello suplici, n. 1282. relato.

1288 Septimum. Romanum Pontificem definire, loqui, vel proponere aliquid ex Cathedra,vtque Romanum Pontificem,nihil aliud est, quam ipsum proponere Ecclesiæ omnia ea, quæ servare, & tenere debet, non tanquam hominẽ privatum, & vt vnum è multis, sed vt Pontificem,vtendo nimirum auctoritate Omnipotentis Dei, sibi in Beato Petro concessã, vt Dei, & Christi Vicarium,legitimum D. Petri successorem,Apostolicæ Sedis præsidem,Ovilis Christiani Pastorem, caput, & Patrem.

1289 Alexander VIII. vt Romanus Pontifex,vtque ex Cathedra loquens, & non solũ, vt Doctor privatus,& præses cõgregationis Eminentissimorũ

Digitized by Google

Cardinalium Sanctæ, & vniuersalis Romanæ Inquisitionis: ex plenitudine Apostolicæ potestatis: ex certa scientia, motu proprio, & in Bulla speciali damnavit nuperam illustrissimi Cleri Gallicani declarationem, singulasque illius propositiones proscripsit tanquam temerarias, scandalosas, in praxi pernicioſas, & hæreticas: vt didicimus ex epistolis fide dignissimis.

1290 Octavum. Expedit plurimum, quæstiones concernentes Romani Pontificis auctoritatem, & nuperam illustrissimi Cleri Gallicani delarationem à cunctis Scriptoribus, opportuna oblata occasione, tractari, eamdemque Romani Pontificis auctoritatem, summam, & maximam infallibilitatem in definiendis quæstionibus fidei, & morum seorsim à Concilio, & consensu Ecclesiæ propugnari. Est enim Romanus Pontifex, eiusque auctoritas fundamentum spiritualis ædificij Ecclesiæ: dominici gregis Pastor: Christiani exercitus Imperator Orbis Catholici Sol mystici, & spiritualis corporis caput. Si ab ædificio removeatur fundamentum: à grege pastor: ab exercitu Dux, vel Imperator: ab orbe Sol: à corpore caput: statim ædificium ruet: dissipabitur grex: destruetur exercitus: obtenebratur orbis: & morietur corpus. Plurimum ergo expedit, vt à cunctis propugnetur Romani Pontificis auctoritas, & infallibilitas, sicuti ab Ecclesiæ Catholicæ hostibus, & Hæreticis, aperto marte, totis viribus, summa conventione, maximaque animi contentione semper oppugnatur, & impetitur.

§. VLTIMVS.

Numerus Summorum Pontificum à Diuo Petro, vsque ad Innocentium XII. refertur, & specimen prophetiæ Sancti Malachiæ de successione futura singulorum Pontificum vsque ad finem mundi proponitur.

1291 ROmani Pontifices, qui post Sanctum Petrum continuato ordine successerunt vsque ad Innocentium XII. nunc fœliciter regnantem, sunt 246. Ex his 32. martyrio coronati sunt. 37. inter Sanctos Confessores relati. 52. ex Sacris Religionibus fuerunt assumpti. Quatuor fuerunt Hispani: quindecim Gallicani: quatuor Germanici: vnus Anglicanus: vnus Belgio Flandricus: quindecim Græci: septem Syrij: tres Africani: duo Sardij, & duo Siciliani: reliqui 189. Itali.

San-

Digitized by Google

1292 Sanctus Malachias discipulus Sancti Bernardi reliquit prophetiam de futura successione singulorum Pontificum vsque ad finem mundi, qua exprimitur vnico lemmate, sive sententia congruente de singulis Pontificibus successuris à tempore eiusdem Malachiæ (qui vixit anno 1158.) vsque ad extremum mundi iudicium. Nonnulla specimina in medium proferemus. Inchoabimus ab Innocentio XI. cuius hoc est lemma: *Bellua insatiabilis* Innocentius XI. *Pœnitentia gloriosa* Alexander VIII. *Rastrum in porta* Innocentius XII. Symbola Pontificum, qui sequentur, sunt ista. *Flores circũdat. De bona Religione. Miles in bello. Columna excelsa. Animal rurale. Rosa Vmbriæ. Vrsus velox. Fides intrepida. Peregrinus Apostolicus. Aquila rapax. Canis, & coluber. Vir Religiosus. De Balucis Æthruriæ. Crux de cruce. Lumen de cœlo. Ignis ardens. Religio depopulata. Fides intrepida. Pastor Angelicus. Pastor, & Nauta. Flos florum. De medietate Lunæ. De labore Solis. Gloria oliuæ.* En viginti quatuor symbola totidem viginti quatuor sequentium Pontificum, quæ tractu temporis explicabuntur. Desumpta autem sunt ex Arnaldo Vvione lib. 2. ligni vitæ cap. 40. pag. 307. à Richardo Arsdekin vbi supra quæst. 7. pag. mihi 78. Est hactenus de quæst. 22. & quinta via ad explorandum legitimum Scripturæ sacræ sensum.

QVÆSTIO XXIII.

An auctoritas Sanctorum Patrum sit via ad inveniendum legitimum Scripturæ sacræ sensum?

1293 REspondeo certissimè quod sic, ex dictis in proœmialibus Theologiæ. Ita omnes Scholastici, & constat ex Tridentino Sess. 4. Et videndi sunt Eminentissimus Cardinalis Aguirre tom. 1. in Anselm. disp. 2. à num. 28. & Cano lib. 7. de locis. Vnus, vel alter ex Sanctis Patribus errare potest in quæstionibus fidei, & morum. Quia nemo eorum fuit Scriptor Canonicus. At omnes Sancti Patres, nullo excepto, errare non possunt in expositione sacrarum litterarum, vel alicuius textus sacri, & in fidei, & morum dogmatibus. Alias Ecclesia Catholica, quæ illorum sequitur consensum, etiam posset errare, & fideles in errorem inducere. Sicut ergo ad specialem Dei providentiam spectat, ne tota Ecclesia erret; quia aliàs huius error Deo tribueretur. Ita ad eamdem providentiam spectat, ne omnes

Digitized by Google

Sancti Patres antiqui, qui Prophetis, Apostolis, & Evangelistis successerunt, errent in fidei dogmate. Caietanus contrarium sensisse videtur, quem suus Frater Melchior Cano iure reprehendit, vt vidimus num. 298. Auctoritas communis Sanctorum Patrum est locus Theologicus.

QVÆSTIO XXIV.

An auctoritas Scholasticorum sit via ad assequendum legitimum Scripturæ sacræ sensum?

1294 REspondeo affirmativè, & quidē certissimè, propter dicta quæst. præc. Sicut enim veteres Sancti Patres in Ecclesia successerunt Apostolis, ita eisdē SS. PP. successerunt Theologi Scholastici, quorum auctoritatē iure, quasi hæreditario sibi vēdicarunt. Concordem omniū Scholasticorum sententiam cōtradicere, si hæresis non est, at hæresi proximum est. Vide Melchiorem Cano lib. 8. de locis per totum.

QVÆSTIO XXV.

An auctoritas Canonistarum sit via ad inveniendum legitimum Scripturæ sacræ sensum?

1295 REspondeo affirmativè. Theologis Scholasticis adiunguntur Pontificij iuris periti. Nam huius iuris doctrina Scholasticæ correspondet Theologiæ ex altera parte. Illorumque auctoritas magni facienda est à Theologo. Et qui ius Canonicum penitus ignorat, ægrè Episcopi, Parochi, & Confessoris munere fungi potest. Ad specialem Dei providentiam spectat, ne omnes Canonistæ nullo excepto, errent in expositione legum Ecclesiasticarū. Quia Ecclesia in dubijs ad hanc facultatem pertinentibus eos consulere, & sequi debet vtpotè peritos in arte. Quare si omnes isti errare possent: Ecclesia quoque posset errare. Cumque hoc impossibile sit: similiter & illud. Vide Melchiorem Cano lib. 8. de locis cap. 7. concl. 3. circa finem.

QVÆSTIO XXVI.

An ratio naturalis sit via ad assequendum legitimum Scripturæ sacræ sensum?

1296 REspondeo affirmativè. Christiana religio, & doctrina non ex omni parte est similis Pythagoricæ, Mahumetanæ, Ethnicæ, & Hæreticæ, quarum sectatores, nulla rationis antecepta informatione, nulla omnino reddita causa, auctoritatem Præceptoris mordicus te-

Digitized by Google

tenent: & dogmata sua securitate temeraria sine iudicio, & examine amplectuntur Non sic Catholici. Licet enim nostræ fidei dogmata evidenti ratione demõstrari nequeant congruẽtijs, & rationibus probabilibus persuadentur. Quare naturalis ratio via est ad assequendum legitimum Scripturæ sacræ sensum. Vide Melchiorem Cano lib.8 de loc. per tot. Auctoritas autem rationis naturalis includit notitiam omnium disciplinarum naturalium Philosophiæ, Geometriæ, Arithmeticæ, Astrologiæ, Medicinæ, &c. Quia in Scriptura sacra agitur de Deo, Angelis, hominibus, elementis, & mixtis, sideribus, meteoris, Regionibus, vrbibus, lacubus, morbis, ponderibus, & mensuris vasorum, & vtensilium templi: de huius, & Arcæ Noe fabrica, de præceptis politicis, Æconomicis, Ethnicis, moribus, virtutibus, vitijs, &c.

1297 Est quæstio valde celebris, an Scriptores sacri, & ipsa Scriptura sacra aliquando vtantur rationibus dumtaxat probabilibus? Affirmant Melchior Cano lib.9. de loc. cap.8. Bellarmin. lib.1. de Verb. Dei, cap.17. Antonius de Saura in voto Platonis de examine propositi. cap.4. & alij. Quia illa ratio, quam D. Petrus cap. 2. v. 15. Act. Apost. tradidit: *Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia*: non videtur evidens, demonstrativa, aut certa, vel infallibilis; sed ad summum probabilis, & facillimè solubilis: cum multi ante horam tertiam diei, imò & primo manè soleant inebriari. Quam sententiam tenere videtur D. Chrisostomus. Sentio nihilominus cũ Lyncæo tract. 10. num. 5. & 22. rationem illã D. Petri fuisse gravissimam, & certissimam, & non levem, aut probabilem tantum, si attendatur ad ratiocinantis dignitatẽ, supernaturalemque eius elevationem per specialem Spiritus Sancti assistentiam, & gratiam; Quia impossibile est, rationem supernaturali elevatione elicitam posse esse falsam ex n.707.

QVÆSTIO XVII.

An auctoritas Philosophorum sit via ad assequendum legitimum Scripturæ sacræ sensum?

1298 REspondeo affirmativè ex dictis. Ad specialẽ Dei providentiam spectat, ne omnes, omnes Philosophi, nullo excepto, simul errent in his, quæ pertinent ad naturam, & humanos mores. Quia periti in arte semper sunt consulendi, & eis credendum est. Cum ergo plura dubia excitari possint in

Ecclesia ad Philosophiam spectantia: v. g. ad naturalem historiam animalium, hervarum, lapidum mixtorum, &c. Eadem Ecclesia, vt procedat iuxta suavem Dei providentiam, Philosophos consulere, & sequi debet. Et si omnes possent errare, Ecclesia quoque posset errare. Quod est falsum. Vide Cano lib. 10. de locis, Lyncæum tract. 9. à num. 16.

QVÆSTIO XXVIII.

An auctoritas peritorum in iure Cæsareo sit via ad assequendum legitimum Scripturæ sacræ sensum?

1299 REspondeo affirmativè. Sicut Philosophi, qui non solum barba, & palio tenus, sed revera sunt tales, naturam ducem sequuntur. Ita & Cæsarei Iurisconsulti, qui veram & ipsi (vt Iurisconsultus ait) Philosophiam profitentur. Ad specialem Dei providentiam pertinet, ne omnes Iurisconsulti in sua facultate errent. Quia alias Ecclesia, quæ sæpè illos consulere debet (sicut etiam Theologos) quando dubitatur de contractibus, dominio, vltimis voluntatibus, iustitia, iure, iudicio, reo, teste, iudice, restitutione, & alijs sexcentis eius generis: errare posset. De his omnibus agitur in Scriptura sacra; Ergo pro eruendo legitimo illius sensu, optima via erit Iurisconsultorum auctoritas. Ad hæc. Canonistarum auctoritas ad hunc finem conducit ex n. 1295. Ergo & Iurisconsultorũ. Canonistæ enim nomine indignus est, qui Cæsareum ignorat ius. Hinc apud Italos proloquium: *Il Legista senza capitulo vale poco: ma il Canonista senza lege vale niente.* Excesit autem Ludovicus Vives, quando dixit, olim Iurisconsultos, quia erant insignes Philosophi, summo in honore fuisse: postea vero quando illorum facultas in eorum manu esse cœpit, qui nulla Philosophia instructi ad eam, & ornati accesserant, scientiæ huius splendorem omnem deletum esse, neque eius Professores haberi in pretio, nisi à vulgo, quod litibus plenum est omne. Excesit, inquam, & quidem plurimum. Curandum verò est, ne Iuriscanonici, & Cæsarei principia à Theologis subvertantur, & è contra ne Theologiæ principia à Canonistis, & Iurisconsultis labefactentur. Qui subvertunt, non tã Theologi, Canonistæ, aut Iurisperiti, quam Theologastri, aut Leguleiei sunt appellãdi. Vide Melchiorem de Cano lib. 10. cap. 7. 8. & 9. Qui monet, Canonistas, & Iurisconsultos magni esse faciendos à Theologis Scho-

Digitized by Google

Scholasticis, Expositivis, & Moralibus pro assequendo legitimo Scripturæ sacræ sensu. Vide illum lib. 8, cap. 6.

QVÆSTIO XXIX.

An auctoritas historiæ humanæ sit via ad assequendum Scripturæ sacræ sensum?

1300 REspondeo affirmativè cũ Melchiore Cano lib. 11. de locis. Historiæ etiam Ethnicæ sunt perneceſſariæ ad exponendam Scripturam, vt inquit Augustinus lib. 2. de doctrin. Christian. cap. 28. Theologi in historijs humanis etiam Ethnicis parum versati, sunt valde rudes iuxta Melchiorem Cano. Quando omnes historici in vnam, & eamdem rem consentiunt, eam certam, & fide dignam faciunt, præsertim si sint præclaris virtutibus præditi, & quales num. 166. descripsimus, & testificentur, se ea vidisse, vel audisse, sive accepisse ab his, qui illa viderunt, vel audierunt. Historici, quibus Ecclesia tribuit auctoritatem, reliquis sunt præferendi, vt supra habitum est.

(*)

****
****

QVÆSTIO XXX.

An linguarum peritia sit via ad assequendum legitimum Scripturæ sacræ sensum?

1301 REspondeo affirmativè, & certissimè ex num. 908. & 909. Qui enim ignorat linguæ Latinæ, Hebraicæ, & Græcæ significationes, inflexiones, idiomata, & proprietates, haud facile Scripturæ sacræ sensum percipiet. Ex dictis constat quanta scientiarum, & eruditionis suppellectile instructus, & ornatus esse debeat Theologus, tam Scholasticus, quam Expositivus, & Moralis hoc nomine dignus. Quanta eruditione præditus esse debeat. Sed viri alias magni quandoque ignorant, quod scire, ipsos interest: vt notat Serarius in Prologom. cap. 8. quæst. 18. loquens de D. Augustino. Hactenus de vijs, quibus legitimus Scripturæ sensus obtinetur.

QVÆSTIO XXXI.

Quibus virtutibus præditus esse debeat, qui legitimum Scripturæ sacræ sensum assequi vult?

1302 REspondeo, præditũ esse, debere, cha-

Digitized by Google

ritate erga Deum, & proximum, timore eiusdem Dei, cordis puritate, humilitate, pietate, reverentia, & studiositate, & assiduo studio: ita tamen, vt in legendis libris modum, & prudentiam præ oculis semper habeat. Vide Antonium à Matre Dei prælud. 4. à num. 1.

QVÆSTIO XXXII.

An Scripturæ sacræ intelligentia à solo Deo sit expectanda, soliſque precibus obtinenda?

1303 REspondeo, quod licet potissimum sic a Deo sit expectanda, & petenda iuxta monitum Iacobi in sua epist. cap. 1. nihilominus studium, & laborem precibus, & orationibus adiungenda esse. Quia Deus non facit miracula sine necessitate. Et est vetus proverbium: *Cum Minerva move manum.* Deus miraculosè infudit scientiã Adamo, Salomoni, Prophetis, Apostolis, & nonnullis Sanctis, & nostro etiam Venerabili Patri Fratri Thomæ à Virgine. Qui cum vix Latinam linguam didicisset, nec vnquam Philosophiæ, aut Theologiæ operam dedisset, nihilominus summa claritate resolvebat gravissimas difficultates, quas eidem proponebant Sapientissimi Magistri Salmanticenses, & Complutenses, & quas ipsi exponere nõ poterant. Quod testificatus est Illustriss. Araujo in hac celeberrima Academia Salmanticensi inter respondendum ad quoddam difficillimum argumentum. De quo plura exempla videri poterunt in eius vita.

QVÆSTIO XXXIII.

An à pueritia vacandum sit Scripturæ sacræ?

1304 REspondeo, quantũ fieri potest, à pueritia esse ei vacandum. Quibus autem ea felicitas non obtigerit, quam primũ postea possint, ad eam addiscẽdam se conferant. & ab eius studio nunquam supersedeant.

QVÆSTIO XXXIV.

An in addiscenda Scriptura sacra oporteat adhibere aliquos Magistros, & quales isti esse debeant?

1305 REspondeo affirmativè. Quia iuxta suavem, & ordinariam Dei providentiam nulla ars, vel scientia rectè addiscitur sine Magistro. Magistri autem huiusmodi debent esse Sancti Ecclesiæ Doctores, Scholastici, & Interpretes.

Digitized by Google

QVÆ-

QVÆSTIO XXXV.

Quæ regulæ observari debeant ad rectam Scripturæ sacræ intelligentiam?

1306 REspondeo, quod sequentes. Prima regula. Tota sacra Scriptura, ordinatè procedendo, attentè legenda est, præmissa oratione, & flexis genibus, si fieri potest. Et in eius lectione etiam minima notari debent.

1307 Secunda regula. Vbi littera fuerit obscura, vel connexio difficilis, consulendi sunt Interpretes, vt sciatur quomodo verba cum verbis cõparentur, an coniungantur, vel dividantur, an interrogative, an assertivè, an simpliciter, an ironicè, an propriè, vel impropriè pronuntiẽtur. An verba, & illorum syllabæ brevi, vel producto sono proferenda sint. An detur connexio cum antecedentibus, & consequentibus, an dentur digressiones ab Ecclesia militante, ad triumphantem, & ècontra? Attendendum insuper, an per figuram Enallage rerum, & temporum ordo, & genus mutentur. Sæpè namque Scriptores sacri à tempore præterito ad futurum: à numero plurali ad singularem: à genere masculino ad fœmeninum, trãsfeunt. Sæpè etiam res, quæ contigerant, postponuntur in enarratione his, quæ postea evenerunt. Vsus Antiphrasis in Scriptura est frequens. Qua figura ly *Benedicere* sumitur aliquando pro ly *Maledere*: vt lucus dicitur, quia non lucet: canis, quia non canit: Parcæ, quia nemini parcunt: Bellum, quia minime bellum.

1308 Tertia regula. Scriptores sacri sæpè loquuntur iuxta opinionem, quæ vigebat eo tempore, quo res, quæ refertur, gesta fuit. Aliquando eadem persona plura habet nomina propria. Aliquando idem nomen proprium pluribus convenit personis. Aliquando Scripturæ sacræ verba significant rei inchoationem: aliquando progressum: aliquando cosummationem, & si factam non referant, eam tamen factam esse, lectoris intelligentiæ relinquunt. Quando idem verbum in eadem clausula repetitur, sub diversa significatione communiter accipitur. Geminatur etiã idem nomen iam in eodem, iam in diverso casu. Et tunc significatur, vel multitudo rei, vel eius excellentia, excessus, emphasis, vel energia. Vide Antonium à Matre Dei prælud. 4. à num. 52. & me sup. à n. 972.

(1:)

(2)

Digitized by Google

QVÆ-

QVÆSTIO XXXVI.

Quotuplex sit methodus explicãdi Scripturam sacram?

1309 SIxtus Senensis lib. 3. suæ Bibliothecæ refert viginti quatuor methodos. Et tot poterant assignari, quot sunt hominum genia, & ingenia. Quatuor tantum referemus: Paraphrasticã, Scholasticam, Syllabicã, & Conceptualem, quæ præsenti sæculo concionatoribus familiarissima est. Videatur Antonius à Matre Dei prælud. 4. à num. 102.

QVÆSTIO XXXVII.

Quid sit Paraphrastica methodus?

1310 PAraphrasis, quæ etiã vocatur Ecphrasis, seu Metaphrasis, est interpretatio, declaratio, vel glossa. Glossa Hispanicè dicitur *lengua*, Latinè *lingua*. Glossa (quæ est vox Græca) accipitur pro interpretatione, quæ vice linguæ, & Doctoris fungatur, vt id, quod est obscurum, exponatur. Glossema idem significat, ac Glossa. Glossographi sunt Interpretes. Duo sunt genera Glossarum, seu interpretationum sermonum. Vnum pressius, & strictius; alterum aliquanto latius, aut fusius. Quia sunt Glossatores, vel Interpretes, qui diffusè, & breviter Scripturam exponant.

1311 Glossa vna dicitur *ordinaria*. Auctor ipsius fuit Strabus Monachus Fulliensis, qui floruit anno 840. Altera dicitur Glossa *interlinearis*. Quia ponitur inter lineas. Ob quam rationem dicitur *intrinseca*: id est intra textum posita. Auctor eius fuit Anselmus Laudunensis ad annũ 1120. Tertia Glossa nũcupatur *Marginalis*. Quia ponitur in margine sacri textus. Vocatur etiam *extrinseca*. Quia eidem textui est extrinseca. Auctor illius fuit idem Anselmus Laudunensis.

1312 Post istas tres Glossas, vel expositiones veniunt notandæ Glossæ, vel expositiones Nicolai de Lyra, quas ipse appellavit *Postillam* comprehensam quinquaginta libris, quibus postmodum adiecit triginta quinque alios libros Moralitatum. Vox *Postilla* componitur ex duabus dictionibus, & licet in re idem significet, quod adverbium *postea*: iam frequenter vsurpatur pro nova, & recentiori expositione, Glossa, vel interpretatione, quæ habetur post alias veteres. Quare libri Homiliarum, expositionũ, concionũ, & conceptuum prædicabilium, qui quotidie prodeunt in lucem, *Postillæ* nuncu-

Digitized by Google

cupari possunt. Et postillare Evangelium, nihil aliud est, quam illud exponere. Lyra natus est in Brabantia in oppido nuncupato Lyra. Et ex Iudæo factus Christianus in Ordinem S Francisci fuit ingressus. De quo minus verè, & nimis hyperbolicè dixit quidam: *Si Lyra nõ lyrasset, totus mundus delirasset.* Floruit anno 1320.

1313 Post Lyram ponit Serarius Illustrissimum Alphõsum Tostatum, faustissimam Academiæ Salmanticensis prolem, cuius fuit Doctor, Professor, & Cancellarius dignissimus, & sodalis, atque Rector Veteris Collegij D. Bartholomæo sacri, & qui iure summo appellatur *stupor mundi, qui scibile discutit omne.* Ipse Abulensis exemplo Lyræ totã Scripturam interpretari statuerat: sed ob ingenij sui fœcunditatem adeò diffusè eam exponere aggressus est: tot quæstiones supra singulos versus excitavit, vt anno quadragesimo ætatis suæ præmatura morte præventus, opus suum perficere non potuerit. Scripsit in Pentateuchum, Iosuæ, Iudices, Ruth, Reges, Paralipomenon, in Matthæum, & in Apocalypsim. Expositio in Apocalypsim hactenus nõ prodijt in lucem. Eam, & quidem, vt aiunt, originalem, legi in Bibliotheca eiusdem Veteris Collegij.

QVÆSTIO XXXVIII.

Quid sit Scholastica methodus exponendi Scripturam sacram?

1314 REspondeo esse illã, quam nos docuit Angelicus Præceptor in sua Aurea summa. De qua nos in Procœmialibus Theologiæ sacræ.

QVÆSTIO XXXIX.

Quid sit syllabica methodus exponendi Scripturam sacram?

1315 REspõdeo, esse eam quæ reperitur in Bibliorũ concordãtijs. Librum istũ concordantiarum primo composuit Cardinalis Hugo, suffragantibus quingentis Monachis diversorum Cœnobiorum, qui floruit anno 1262. Librum istum postea auxit Conradus Halberstadius Dominicanus adeò fœlicis memoriæ, vt totam sacram Scripturã memoriter teneret.

QVÆSTIO XL.

Quid sit conceptualis methodus exponendi Scripturam sacram?

1316 REspondeo, eam cõsistere in eo quod ex apparenti contradictione, vel Antilogia in duo-

Digitized by Google

duobus textibus Scripturæ sacræ; ratione similitudinis, aut dissimilitudinis circunstantiarum, loci, temporis, personæ, facti, &c. aliquis subtilis, & ingeniosus formetur conceptus, seu cogitatus ad laudandum Deum, Christum Dominum, eius Sanctissimam Matrem, aut aliquem Sanctum, ad promovẽdas virtutes, ad reprehendenda vitia, ad excitandum Dei amorem, timorem, &c.

1317 Ad hunc finem præsupponitur salutatio, qua implo ratur gratia Divina. Postea cõcionator proponit vnam, duas, tres, vel quatuor propositiones, quas vulgus appellat *discursos, propustus, assumptos, ò puntos.* Singulas earum probat, firmat, fulcit, & munit vna, duplici, vel triplici probatione desumpta ex sacra Scriptura, sicut probari solent conclusiones Philosophiæ, & Theologiæ efformatis discursibus, iam per modum enthymematis, iam per modũ syllogismi. Quæ probationes etiam desumi solent ex tredecim vijs, per quas dictum est, perveniri posse ad legitimam Scripturæ sacræ intelligentiã, nimirum ex traditionibus, ex auctoritate Ecclesiæ, Conciliorum, Summorum Pontificũ, Sãctorum Patrum, Scholasticorũ, Philosophorum, Canonistarũ, Iurisperitorum, Historicorum, ex ratione naturali, ex multiplici versione, & ex linguarum peritia. Proponuntur à Concionatore nonnulla dubia, ea subtiliter solvuntur: discursus ampliantur: audiẽtium voluntates ad virtutis amorem, & vitij fugam suaviter, delectabiliter, & fortiter excitantur. Et conciones solent habere novitatis gratiam coniunctam cum vetustatis gloria,

1318 Concionator studeat, quantum potuerit, suas probationes eruere ex sacra Scriptura in sensu litterario, vel mystico accepta. Probationes sint solidæ, efficaces, & probabiles saltim. Et sensus, in quo Scripturam accipit, non sit cõtrarius communi, & vnanimi Sanctorum Patrum sensui. Quia id prohibitum est à Tridentino. Poterit tamen aliquando præter illum sensum, licet non contra illum, alium novum solide fundatũ eruere. Quia hoc non prohibetur in Tridentino. Concionatores licet acri, subtili, vivacique ingenio præditi sint, ne nimium sibi indulgeant, aut plus iusto confidant. Quia sæpè plures falluntur, existimãtes esse legitimum Scripturæ sensum litteralem, mysticum, vel accommodatitium, qui revera talis non est, nec esse potest.

1319 Conceptus, atque discursus in concionibus proponendi in quoyis genere, sive de-

Digitized by Google

demonstrativo, sive deliberativo, sive iudiciali, debent esse subtiles, & ingeniosi, auditoribus tamen, & circunstantijs loci, temporis, &c. proportionati. Nec adeò subtiles, & ingeniosi, vt nullam habeant vtilitatem præter subtilitatem, quæ quandoque talis esse solet, vt viros etiam ingeniosos, subtiles, doctos, & acutos subterfugiat. Vt ergo conceptus sint vtiles, & fructuosi, audientiū captui sint proportionati.

QVÆSTIO XLI.

An methodus ista conceptualis exponendi Scripturam sacram, & concionandi sit noua?

1320 AFfirmativè respondet Antonius à Matre Dei prælud. 4. num. 114. Cui subscribunt plurimi Concionatores huius sæculi, ingenio, eruditione, floridoq; dicendi ornatu conspicui. Sapientissimus P. Fr. Franciscus de Ameyugo in sua Rethorica sacra, & Evangelica lib. 3. cap. 5. contrarium sentire videtur. Ibi refert plures methodos concionandi præsenti sæculo frequentissimas, & vsitatissimas, quas pro praxi varijs, subtilibusque illustrat concionibus. Et asserit, omnes huiusmodi methodos, quas Antonius à Matre Dei, & alij vocant novas, esse perantiquas, & à Sanctis Patribus, si attente legãtur, executioni mandatas. Est autẽ testis locupletissimus ipse Ameyugo, qui absdubio sequutus est methodum, quam Antonius à Matre Dei appellat novam. Vtrumque aliquando concionantem audivi. Si qui huius sæculi novam excogitarunt, aut sequuti sunt methodum, maximè duo fulgentissima Astra nostri sacri Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorũ Sapientissimi PP. MM. & huius Salmantinæ Academiæ DD. Ortensius, & Guerra. Et adhuc ista non tam nova, quam *Noua antiqua* dicenda est. Videndus est Venerabilis; & Doctissimus P. Fr. Ludovicus Granatensis, alter Cicero, cuius meminit Ameyugo.

QVÆSTIO VLTIMA.

Vtrùm perfecti Concionatores Euangelici præter prologomena ista discere debeant Rethoricam sacram, & Euangelicam?

1321 REspondeo affirmativè. Si enim reliquæ artes etiam Mechanicæ suas habent regulas, & præcepta, vt quis eas perfectè addiscat; qui fieri potest, vt ars concionandi suis regulis ca-

Digitized by Google

careat, aut sine Rethorica, & sine eius præceptis executioni possit perfectè mandari? Finis Concionatoris, & Rethoricæ vnus, & idem est, nimirum dicere bene, & appositè ad persuadendum. Ars concionandi est regina artium cui Rethorica præbet regulas, & præcepta. Sine his præceptis, & regulis Rethoricæ Evangelicæ nemo ad concionandum ascendere debet suggestum, si ex suis concionibus aliquem velit colligere fructum. Oro enixissimè omnes meos charissimos Fratres, vt antequam suggestum ascendant ad concionandum, diligentissimè legant sacram, & Evangelicam Rethoricam, quam prædictus venerabilis Ludovicus Granatēsis composuit, & Pater Ameyugo ad breviorē formam reduxit. Est enim omnibus numeris absoluta. Et qui sine eius præceptis, & regulis incipit concionē componere, vel eam è suggestu dicere, multos committet defectus, qui sine Rethoricę præceptis, & regulis moraliter excusari non possunt. Advertere lubet, quod notavit Anton Zœla Dei, pag. 78. col. 1. ex Magno P. Augustino, nimirum, quod Rethoricam & Oratoriam artem assequūtur perpauci: agunt de illa pauciores: clarescunt in ea paucissimi.

1322 Sufficiant ista de Prologomenis in Scripturam sacrā. Vtinam cedant, quæ hactenus dicta sunt, in gloriam Sanctissimæ Trinitatis, Domini nostri Iesu Christi, eius Sanctissimæ Matris Beatæ Mariæ Virginis, Dulcissimi ipsius Sponsi Sancti Ioseph, Sanctissimorum Parentum nostrum Ioannis de Matha, & Felicis de Valois, Angelici Præceptoris D. Thomæ Aquinatis, nostri Venerabilis Patris Fratris Ioannis Baptistæ à Conceptione Reformatoris dignissimi Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, omnium virtutū exemplaris clarissimi. Cedant etiam in gloriam omniū Cœlicolarum, & vtilitatem Fratrum meorum. Si quid verò sacræ Scripturæ, traditionibus Divinis, & Apostolicis, Catholicæ fidei, Sanctis Patribus, & Scholasticis minus conforme dictū fuerit, illud ex nunc humiliter retracto. & totum opus, & me metipsum correctioni Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ libenter submitto.

***

****
****

IN-

Digitized by Google

INDEX VERBORVM, ET RERVM NOTABILIVM, DE QVIBVS agitur in his Prologomenis, notatis numeris marginalibus.

A

ABBAS 1185.
Abulensis. 1019. 1036. 1202. 1313.
Abusus concionatorum. 1089.
Abusus appellationum. 1265. 1266. 1269.
Actor. 1266.
Accusator. 1251.
Aeromatia. 1212.
Adam vbi sepultus. 1165. Hebraicè loquutus. 309. 314.
Adoratio imaginum. 1146. Adorare versus orientem. Ibid.
Æmuli quid præstent. 565.
Æquivocatio. 718. 760. 763. & seqq. latè. V. Restrictio.
Agapes. 1166.
Aguirre laudatur. 1235.
Alcoranus. 14. 391. 1127.
Allegoria. 1012. 1043. 1044.
Amphibologia. 763. & seqq. V. Restrictio.
Ambrosius excelluit in sensu Allegorico. 1043.
Anagogicus sensus. 1043.
Angelus. 26. Nequit immutare mentem hominis 84.
Annorum computatio. 678. Quot trãsierint à creatione mũdi. 517.
Anselmus Laudunensis Glossæ Actor. 1311.
Antinomiæ. 905.
Antiphrasis. 1307.
Apocalypsis difficillima intellectu. 1017. 1066.
Apostoli omnes fidem non amiserunt. 1180.
Apostolicæ traditiones. 1112. & seqq.
Apostolica Sedes. 1201.
Apocryphus. 241.
Apologus. 946.
Appellationes à Papa. Hæreticorũ, & Schismaticorũ propriè. 1273. 1240. Ab abusu. 1265.
Apparitiones. 27.
Appollo dubius. 964.
Aqua miscẽda vino in Missa. 1146.
Aquilæ translatio. 489. 519.
Arias Montanus peritissimus. 913.
Aristotelis defensor D. Thomas. 727. Eius libri continent. 445. 270. Versus 254.
Articulus potissimus fidei Catholicæ. 233.
Assumptio Deiparæ est traditio Apostolica. 1148.
Athei. 201. 205. V. Hæretici. 1181.
Auctor principalis Scripturæ. 20. 163. Auctores sacri. 70. Quomodo scripserint. 86. Ab illis plura acceperunt profani. 935.
Auctoritas Scripturæ. 1110. Traditionum. 1112. Ecclesiæ. 1170. Concilij. 1183. Papæ. 1201. SS.

Digitized by Google

Patrum. 1293. Scholasticorum. 1294. Canonistarũ. 1295. Rationis naturalis 1296. Historię. 1300
Augustinus excellait in sensu Anagogico. 1043.

B

Bachanalia festa. 333.
Baptismi forma. 1146.
Barnesius. 734.
Beati. 316.
Beatificatio. 1282.
Biblia. 5. 6. Regia, Tygurina, Cõplutensia. 912. illorum translationes. 321.

C

Caietanus. 298.
Calvinus. 201. 205. 206. 390. 1128. 1185.
Calumnia Torrecillæ, & aliorum. 847.
Canon. 10. 182. Canones Apostolorum. 244.
Candela inextincta. 1180.
Capitum Scripturæ divisio. 254.
Cardinales. 1185.
Catholica Ecclesia. 186. 196. 197. 1175.
Causa Scripturæ multiplex. 17. 18. Obscuritatis illius. 1075. Pro restrictionibus. 837. 852.
Censura. 971. Abstinendum ab illa. 726. Illius varij gradus. 1159. Cui subiaceat declaratio Gallicana. 1276.
Christus D. 52. 64. 764. 1220. 1221. 988. 989. 1123.
Circulus Carbonarij. 1948.
Clerus Gallicanus. 1190.
Concilium, latè 1184.
Concordantiæ. 1515.
Constantinus. 1161.
Connexio. 1307. Corollaria plura. 1281.
Correctio. 1244.
Crux. 1146. 1165.

D

David. 72.
Declaratio Gallicana. 1191. 1202. Non prodijt à legitimæ iudice. 1275. Quibus subiacea censuris. 1276.
Democraria. 1212.
Demonstratio non semper quærenda. 1297.
Dæmon deludit sensus. 94.
Deus Auctor principalis Scripturæ. 20. 25. Ecclesiam scripto, & traditione docet. 1127. Immutat hominis mentem per illapsum. 84. Dictavit singula verba Scripturæ. 112. Neminẽ decipit. 696. Quomodo obcæcare, & indurare dicatur. 713. Physicè non prædeterminat. 94. 709. Commercium illius cum hominibus. 215. Illum existere negant Athei. 208.
Difficultates Chronologicæ. 653.
Digressiones. 1307.
Dilema difficillimũ. 728. 847. 903.
Doctores Scholastici. 573. 1294.
Dominium directum, & indirectũ. 1274. 1286.

E

Ecclesia, Quid. 1172. Est infallibilis regula. 186. 287. 288. 1125. 1170. 1180. 196. 197. 1171. 1175. 444. Veræ Ecclesiæ, & Religionis notæ. 196. 197. 1180. Ecclesiæ auctoritas. 195. 199.
Ecclesia Lutherana, seu Reformata. 206.

Digitized by Google

206. 384. 222. 1177. Iudaica. 1180.
Editio Vulgata. 531. 532. 539. 557. & infrà. 609. 611. 618. & infra.
Errare in scribendo facillimũ. 651.
Errare nequeunt Scriptores Canonici. 20. 75. 112. 679. & infra.
Errores Typographi. 592. 619.
Nulli alij. 653. Errorem Deus infundere nequit. 703.
Ethnici. 935.
Eucharistia. 206. 1166.
Evidentia. 1297.

F

Fabulæ Æsopi. 1042.
Fallere nequit Deus. 696.
Fœminæ. 383.
S. Felix de Valois. 1080.
Fœlicitas. 608.
Festorum celebratio. 1146.
Fides Catholica omnino infallibilis. 701.
Fides adhibenda. 687.
Figura. 931. 932. 1002. 1003.

G

Gallicanæ Ecclesiæ libertates. 1257 & seqq.
Galliæ Rex, & eius officiales. Ibid. Eius Scriptores. Ibi. 1274. 1286.
Gallicana declaratio damnata à Papa. 1289.
Generales Religionum suffragium habent in Concilio. 1185.
Glossa 1310. 1311.
Gradus censurarum. 1153.
Græci. 387.
Græcæ versiones. 483. 500. 503. 507. 508. 509. 514. 519. 524. 908. 319.
S. Gregorius. 68. 1043. Excelluit in sensu morali. 1043.
Grues. 310.

H

HAalma. 994.
Heber familia. 315.
Hebraica lingua. 314. 317. Hebraica vocabula. 908. 951. 1203.
Henricus de Gandavo nostri sacri Ordinis alumnus. 951.
Hæretici fere omnes Athei, & Machiavellistæ. 203. 385. & infra. 1181. 1182. Mutuo se damnant. 203. 385. Eorum odium in Papam. 1177. 1202. Variæ illorum sectæ. 385. & infra omnes illorũ sectæ evidenter falsæ. 221. 222. Quam apertè mentiantur. 226. Negant traditiones. 1127. Illorum ignorantia. 573. Hæreses, vnde sint ortæ. 825. Nulla hęresis in Papa. 1252. 1279.
Hieronymus Vulgatæ Editionis Auctor. Multa de illo, & de eius Vulgata Editione. 539. 718. & 905. Excelluit in sensu litterali. 1043.
H exapl. 912.
Historię in Officijs Divinis relatæ. 1160. Historiæ auctoritas. 1300.
Hierusalem. 1044.

I

S. Ioannes da Mattha, P. N. Inquisitor. 1187. Theologus pro Concilio Lateranensi. 1195. 1080.
Ioannes Gerson Papam Concilio Generali primus omnium supposuit. 1242.
Iacob non est mentitus 767.
Iesuah præ Iesu quis dixerit. 533.
Ieremiæ præfatiuncula. 247.
Illabi. 84.

Digitized by Google

Impius iustum figurat. 1060.
Inquisitionis munus. 1186. 1187.
Interpretes Septuaginta. 485. & infrà.
Interpretum verba inculta. 1451.
Quibus affectibus prædicti esse debeant. 1302. Quæ observare. 1306.
Interpretationes nominum. 294.
N. Ioseph à Iesu Maria laudatur. 723.
Iudæorum traditiones. 1120. Eorũ Ecclesia, & lex abrogata. 1180. Legẽ adulterarunt. 445. 447. 452.
Iudex infallibilis Ecclesia visibilis, vel Papa. 186. 1204. Nõ spiritus privatus. 206. Rex, aut Parlamẽtum. 218. Iuramentũ amphibologicũ. 721. & infra. Causæ ad licite iurandũ iuxta nostrã propriam, & specialẽ Regulã. 856.
Iurisdictio spiritualis omnimoda, & directa Summo Pontifici immediatè à Christo concessa: & indirecta in omnia temporalia. 1209. & infra.

L

Labor cum precibus. 1303.
Laica potestas. 1258. & infra. Præfertur spirituali. 1270.
Leãder N. defenditur. 724. 840. Papę infallibilitatẽ defendit. 1203.
Lectio scripturæ. 1306.
Leges Ecclesiasticæ murmurat. 1066.
Læsius non fuit primus Auctor restrictionum purè mentaliũ. 734.
Liber nullus Canonicus ante Moysem. 304. Libri Canonici. 182. 231. 186. Illorum titulis nõ sunt Canonici. 254. Puritani aliqui. Et cur. 257. 2691. Originales omnes. 271. Quo tempore. 2861.
Libertas Ecclesiastica. 1259. Libertates Ecclesiæ Galliæ. 1257. Earum origo. 1263. Praxis. 1264.
Libertini. 201.
Liberè scripserunt scriptores Canonici. 88. Quomodo. 75. & infra.
Libri Hereticorum. 170.
Lingua Hebræa omniũ prima. 314. 320. Non est vernacula. 351.
Lingua Græca. 320.
Lingua Latina. 320.
Linguæ Vernaculæ. 349.
Lingua Vasconica una ex 72. Linguis. 365. 366. Fuit Vernacula in vniversa Hispania. 371. Versio Vasconica Novi Testaméti. 361.
Linguarũ peritia. 908. 909. 1305.
Lyra. 1312.
Litteralis sensus. 917. & infrà.
Locutio Divina. 696.
Lutherus. 206. 1180. 1181. 1111. 1065. Qualis, quahtaque eius Theologia. 573.

M

Magistri adhibendi. 1315. Magister sententiarum. 573.
Mahomet. 114. 387. 1181. 1182.
Marchio de Mondexar quid senserit circa Assumptionem B. Mariæ Virginis. 1148.
Marca acerrimus libertatũ Ecclesiæ Gallicanæ vindex. 1258. & infra.
Miriam pro Maria quis dixerit. 533.
Nullam Scripturæ partem scripsit. 66. Fuit Apostolorum Magistra. 69. Expressam habuit, & retinuit fidem Dominicæ Resurrectionis. 1180. Eius Assumptio in cœlum est traditio. 1148. Eius

Digitized by Google

tur perpetua Virginitas, & ab omni peccato actuali immunitas. 1146. 1163.
Mendacium. 187. 684. & infra. Est scandalum. Ibid.
Metaphoricus sensus. 919.
Methodus multiplex. 1309.
Miraculis demonstratur veritas Catholicæ Religionis. 197.
Missæ ritus. 1123. Vernacula lingua celebrari nequit. 425.
Monarchia. 1212.

N

Nationale Concilium. 1184.
Nomina Scripturæ. 3. Nova. 571. Elegantia. 569. 573. Eorum geminatio. 1308. Æquivoca. 7182. & infra. Eorũ interpretationes. 291.
Norma recte credẽdi, & vivẽdi. 10.
Notæ veræ Religionis. 196. 197. 1180.
Numerici errores nulli in Scriptura. 650.

O

Obcæcatio. 713.
Obscuritas Scripturæ. 1064. 1077.
Octapla. 912.
Officium Inquisitionis in Hispania magni habetur, secus in Gallia. 1186.
Officia Divina non celebrantur in lingua Vernacula. 425. Okamus. 1241.
Opinio Cleri Gallicani damnata ab Alexandro VIII. 1289.
Origenes mystici sensus amicus, ubi bene nemo melius: ubi male, nemo peius. 1024.
Oratio una componitur ex terminis vocalibus, & mentalibus. 738. 800.
Ottingerus. 733.

P

Papa in definiendo ex Cathedra independenter à Concilio, & Ecclesiæ consensu accedente est infallibilis. 1202. Nullus Papa, adhuc vt persona privata hactenus deviavit à Fide Catholica. Nec id est possibile iuxta suavem Dei providentiam. 1252. 1279. Est supra Concilia Generalia. 1194. Supremam habet potestatem saltem indirectam in Regna, & Dominia temporalia ad exauctorãdos quoslibet Principes Hæreticos, & Schismaticos. Eorum infallibilitas non opponitur vtilitati Congregationis Cõcilij Generalis. Est valde necessaria ad extinguendas hæreses. 1209. Ea sine inconsequentiæ nævo defendi nequit, si admitteretur casus, in quo Papa esset subditus Concilio Oecumenico, & liceret appellatio. 1236. Opinio defendens hanc infallibilitatẽ est certa secundũ fidem. 1204. 1240. Contraria à multis appellatur hæretica. 1240.
Papa qualitate Ordinis Sacri, vel Religionis approbatæ eximit quoslibet à potestate laica, sine consensu Principis Sæcularis, & infallibiliter approbat Religiones sine eodẽ consensu. 1287.
Papa potest quẽlibet eximere à iuramento præstito Regibus. 1186.
Papa est Vicarius Christi, non vero Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiæ. 1217. Christi, & Papæ Tribunal idem. Ibid
Paparum numerus, & symbola. 1291. 1292.
Parabola. 919. 921. 948.
Paraphrasis Chaldaica. 470. 1310.
Pœna Clerici fornicarij. 1167.
Patrum auctoritas. 297. 1293.
Penula Pauli. 130.
Perfectio est, ijsdem, vel paucis signis multa significare. 953.
Philosophorum auctoritas. 1298.
Pythagoræ modus docendi. 1129.
Prædeterminatio Physica non datur. 95. 709.
Præfatio Bibliorum. 910. Threnorum. 249.
Prophetæ quos Scripturæ sensus cognoverint. 977. 1055. 1057.
Præceptum non est de re impossibili. 1250.
Propositiones 26. 27. 28. & reliquæ omnes iustissime sunt damnatæ ab Innoc. XI. 720. & infra.
Propositio ad fidē pertinens. 1163. Eadem penes voces, diversa penes sensus. 849. 1164. Propositionum gradus. 1153. 1163. Temeraria. 1150.
Publica peccatorū confessio. 1168.

Q

Quadragesimale ieiunium. 1146. 1168.
Quæstiones fidei. 1163.

R

Rabbini. 477.
Ratio naturalis. 1296. Evidens semper non est quærenda. 611. 615. Solum probabili non vitiatur Scriptura. 1297.
Recursus ad tribunalia secularia. 1277.
Reges Magi. 1165. Reges à Papa possunt excommunicari, & deponi. 1286. Non pertinet ad illos Concilij Generalis convocatio. 1186. 1261.
Regulæ infallibiles, 186. 197. 220. 222. 983. 1141. 1170. 1306.
Res eadem figura, & figurata. 1004. Varias habet significationes. 1019. Bona malas: & mala bonas quandoque significat. 1059.
Restrictionibus, amphibologijs; & æquivocationibus abundat Scriptura sacra. 718. Illæ ex iuxta causa non sunt causa erroris. 719. 770. 780. 781. 789. 790. 791. 817. 818. 822. 825. 835. 844. 850. 853. 858. 904. Restrictio purè mentalis. 740. Æquiparatur sensui mystico, & occulto. 764. 765. & infra. Non purè mentalis. 741. Tam purè mentalis, quam non purè mentalis absque iusta causa est propriè mendacium, & scandalum activum. 757. & seqq. Iuramento confirmata, periurium. Ibid. Ex iusta causa licet. 763. vsque ad 905. Restrictio purè mentalis æquiparatur iuramento. 835. 837. 856. 857. & infra. Opinio negans licitum illius vsum ex iusta causa quoad praxim non distinguitur ab affirmante. 738. 739. 831. 848. 864. 865. 903. Plures specificantur casus. 870.
Revelationes novæ non dantur. 191.

Digitized by Google

S

Sacerdotes omnes olim Episcopi. 1168. Quamvis non sint omnes docti, sunt valde necessarij. 455.
Schismatis prænũtia in Gallia. 1271
Scientia media datur. 95. 709. Infusa. 1303.
Scriptura sacra In toto opere. Nihil Divina Maiestate indignum continet. 129. Mysteriorum, & sensuum fœcũda. Est obscura. 1066. Cur. 1075. Eius abusus prohibetur. 1083. 1084. Dissertissima. 144. Dictata à Deo. 112. Quo modo. 75. Inter mixta restrictionibus. 718. Non continet omnia credenda 1131. Non vtitur rationibus purè probabilib⁹. 1297.
Scriptores sacri quos agnoverint sensus. 977. 1057. Habuerũt evidentiam in attestante. 156.
Sedes Apostolica. 1201. Eius auctoritas. Prima Sedes à nemine iudicatur. 1251.
Sensus Scripturæ sacræ. 916. Litteralis proprius, & impropri⁹ 918. Improprius propriè litteralis. 927. Litteralis proprius multiplex. 928. Improprius multiplex. 932. Reperitur in quolibet textu. 938. Multiplex in eodem. 952. Multiplicitatis causa 967. Opinio negans probabiliter digna est censura. 970 Regula ad allequẽdum legitimũ sensum. 972. Litteralis proprius cum metaphorico in eodem textu. 982. Quantum fieri potest, proprius semper sequendus. 983. Est fundamentũ, atque radix omnium sensuum. 940. Dividitur in Allegoricum, Moralem, & Anagogicum. 1011. Qualis in Prophetarum visionibus. 1013.
Sensus mysticus. 918. Admittendus est. 1019. Negatur ab Abulensi. 1023. Non invenitur in quolibet textu. 1036. Est proprius Scripturæ sacræ. 1041. Quotuplex. 1043. Firmum præstat argumetum. 1047. Comparatur cum litterali. 1051. Multiplex in eodẽ textu. 1061. Quanti fiat. 1062. Quis eius vsus. 1063.
Sensus Accommodatitius. 1078. Nõ est sacræ Scripturæ formaliter sumptæ. 1082.
Scripturæ verba quomodo accommodari debeant. 1083. Quæ accommodet Ecclesia NN. SS. Patribus Ioanni, & Felici. 1080. Accõmodatitius sensus nõ dat argumentũ adhuc probabile. 1103. 1104.

T

Thalmudistæ. 477. Thargum. 470.
S. Thomæ modestia. 1157.
Tertulianus. 984. Templarij. 1195.
Thomas Sanch. defenditur. 840.
Traditio. 1112. Regulæ pro discernendis traditionibus Divinis, & Apostolicis. 1141. Plures assignantur 1146. Mariã V. Fuisse in cœlos cum corpore assumptã, est traditio Apostolica. 1148.
Tridentinum Concilium. 1196.
Trinitatis expressè non meminerunt 72. Interpretes. 524.

V

Vatablus. 529. Vates Gentiliũ. 106.
Verborum proprietas, nisi bona yr-

Digitized by Google

4 vrgeat ratio, semper retinenda. 983.
Versio Scripturæ sacræ in alias linguas. 321. Quot versiones vernaculæ, & quæ. 349. 356.
Vernacula versio Vasconica Novi Testamenti. 361. Versiones non vernaculæ. 437. Chaldaica. 470. Syriaca. 478. Græca Septuaginta Interpretum optima omniũ Græcarum. 483. 500. Cellularum historia non approbatur. 506. Fuit miraculosa. 507. Qualis olim, & nunc eius auctoritas. 514. An sit pura. 519. Versiones Latinæ. 531. 532. 539. 557. 609. 611. 1182. & alibi.
Via multiplex ad assequendum legitimum Scripturæ sacræ sensum. 1108. 1110. 1169. 1170. 1183. 1201.
Vitæ puritas ad intelligendã Scripturam. 1302.
Viva vox quantã habeat vim. 1129
Vrbane semper loquendum. 1157.
Vulgata Editio omniũ optima. 611.
Nullo prætextu reijcienda. 609.
An possit meliorari. 662. Qualia hactenus habuerit menda. 444. 456. 620.

ADVERTENTIA.

Græci vocant Prolegomena, quæ nos dicimus Prologomena, & alij appellant Prologia, Proloquia, Antiloquia, Antilogia, Antiludia, Proludia, Præludia, Procemialia, Isagogica.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg. 2. col. 1. lin. 24. demostrat, leg. demonstret, pag. 4. col 1. lin. 32. libidis, leg. libidinis, pag. 6. col. 1. lin. 17. 805. leg. 986. pag. 7. col. 2. lin. 24. Moysem, leg. ad Moysem, pag. 8. col. 1. lin. 36. Mercenatum, leg. Mercenarium, pag. 9. col. 2. lin. 15. minus, leg. munus, pag. 9. col. 2. lin. 23. repetio, leg. repetitio, pag. 20. col. 2. lin. 25 invidiam, leg. in invidiam, pag. 23. col. 1. vlt. respicere, leg. respiscere, pag. 44. col. 2. lin. 8. 724. leg. 905. pag. 48 col 2. lin. 9. vivit, leg. vivi, pag. 56. col. 2. lin. 32. alium, leg. aliud, pag. 57. col. 2. lin. 36. que, leg. qui, pag. 57. col. 2. lin. 37. mutationi. leg. mutatione, pag 72. col. 1. lin. 24 alij, leg. aliqui, pag. 79. col. 1. lin. 24. veteri, leg. vereri, pag. 80. col. 1. lin. 33. crebre, leg. crebræ, pag. 94. col. 2. lin. 5. Ianuaren, leg. Iaunaren, pag. 135. col. 1. lin. 19. 797. leg. 908. pag. 161. col. 1. lin. 40. 362. leg. 662. pag. 190. col. 2. lin. 26. 1118. leg. 1307. pag. 225. col. 1. lin. 18. quãdo intervenit, leg quando non, pag 259. col. 2. lin. 14. laxant, leg. laxat, pag. 268. col. 1. li. 30. recepta, leg receptaque, pag. 292. col. 2. l. 3. subordinatione, leg. subornatione, pag. 349 col. 1 lin. 26. 979. leg. 977. pag. 351. col. 1. lin. 15. obest, leg. obstet, pag. 359. col. 2. lin. 32. inciter, leg. incitent, pag. 371. col. 1. lin. 28. traditionis, leg. traditiones, pag. 4 5. col. 2. lin. 32. Pontificis, leg. Pontifices, pag. 419. col. 2. lin. 14. erundineo, leg. arundineo, pag. 423. col. 1. lin. 16. dubitare, leg. dubitari, pag. 424. col. 2. lin. 2 non haud, leg. haud, pag. 443. col. 2. lin. 7. maledire, leg. maledicere, pag. 166. col. 1. lin. 10. admitte, leg. admitti, pag. 235. col. 2. lin. 17. debere, leg. non debere.

Hisce demptis, suo correspondet originali. Matriti die 29. Februarij, 1692.

Lic. D. Simon Ioseph de Olivares & Balcazar.

Corrector Generalis.

TAssaron los Señores del Real Consejo à seis maravedis cada pliego de este libro, intitulado: *Prologomena in Scripturam Sacram*: como mas largamente consta de su original, despachado en el Oficio del Secretario Negrete. En Madrid à 4. de Marco de 1692.

LAVS DEO.

Digitized by Google

arcelona
Digitized by Google

Digitized by Google

Biblioteca Episcopal de Barcelona
13030000016402
Digitized by Google

Digitized by Google